ALBII TIBULLI

CARMINA

EX RECENSIONE ET CUM ANIMADVERSIONIBUS

IMMANUELIS G. HUSCHKII

ACCEDIT SPECIMEN EDITIONIS VENETAE

A.

M.CCCC.LXXII.

AERI INCISUM

TOMUS SECUNDUS

LIPSIAE

APUD GERHARDUM FLEISCHERUM.

M.DCCC.XIX.

DE CODICIBUS
NUNC PRIMUM ADHIBITIS.

I. CODEX PARISIENSIS

EMPTVS

ROMAE 1703.

Codex n. 7989. Chartaceus, quo continentur 1. *Albii Tibulli* elegiarum libri IV. 2. *Sex. Aurelii Propertii* elegiarum libri IV. 3. *Valerii Catulli* Veronensis liber epigrammatum variorumque poematum. 4. *Epistola* Sapphus ad Phaonem. 5. *Petronii Arbitri Fragmentum* ex libro quinto-decimo et sexto-decimo. 6. *Moreti* liber Virgilii pueri. 7. *Claudiani* Carmen de Phoenice, *longe recentiore manu*, teste Montefalconio Bibl. MSS. Tom. II. p. 758. n. 5623. Adde Catal. Bibl. Reg. Paris. citante Heynio, P. III. Tom. I. p. 418.

Tibullum cum editione Vossiana contulit Bardilius, excepto Carmine ad Messalam, quod postea, me rogante, cum editione Ald. a. 1502. comparavit *Γρηγόριος Γεωργιάδης Ζάλυκος Θεσσαλονικεύς*. Ille librum ita describit: Constat codex paginis 257. fol. minori; pag. 179. post Catulli carmina haec ab eadem manu, cui codicem debemus, scripta nota exstat: 1423. di 20. Novbr. — Initiales litterae elegiarum pictae, versuum rubro colore notatae sunt. Elegiarum, quamvis singulae spatio distinctae inscriptionibusque insignitae sunt, numerus nunquam, libri in superiori cuiusvis folii margine adscriptus est; item versus ad singulorem carminum

finem numerati. Distinctionibus, praeterquam puncto et nonnunquam punctis, quae vocant, interrogationis, non utitur librarius. — Titulus: *Albii Tibulli Poete illustris liber incipit.*

Propertii collationem adhuc desideramus.

Catullus, collatus cum editione Is. Vossii Lond. a. 1684. a Paul. Marrone, laudato in praefatione, ita describitur: n. 7989. sur papier. *Codex emptus Romae anno* 1703. Il me semble avoir été écrit par un copiste tout a fait ignorant. Une infinité de vers y sont absolument defigurés soit par la transposition des mots, soit par des contresens manifestes; mais une main plus récente a corrigé tout cela, en sorte qu' il y a dans ce MS. beaucoup de rasures. par ex. dans la premiere piece vs. 5. il y avoit originairement

iam tamen *cum ausus* esses *unus Italorum;*

la seconde main a raïé *tamen*, a mis *tum* au dessus et a changé *esses* en *es* par la rasure des trois dernieres lettres. Ib. v. 8. il y avoit

quare tibi habe quidquid hoc mei.

la seconde main a fait

quare habe hoc tibi quidquid est libelli.

Chaque pièce y a un titre, écrit en caracteres rouges, le reste est en noirs. Dans ces titres la seconde main a aussi changé quelquefois: par ex. le titre de la premiere pièce était,

Catulli Veronensis poetae illustris ad Cornelium.

La seconde main a ajouté au commencement *Valerii* et *Nepotem* à la fin. Outre ces titres il y a de cette même seconde main des sommaires de chaque pièce à la marge, et au bout de chaque pièce l'indication du nombre des vers dont elle est composée. *versus* VI. *versus* IX.

Fragmenti Petroniani historiam fuso Montefalconius, pressius persequitur Burmannus in praefatione Petronii.

II. CODEX LIPSIENSIS.

Biblioth. Senat. Rep. I. n. 85. Membranaceus, Tibullum solum complectens. Primae librorum litterae aureo colore et picturis, Elegiarum nunc rubro nunc caeruleo colore distinctae sunt. Scriptus Codex est a librario imperitissimo haud dubie Saeculo XV. Nam inter carmina, quae Tibullo eadem manu adscripta sunt, duo reperiuntur *Thomae Senecae Camertis*, qui floruit ab anno 1420. usque ad annum 1472. natus circiter finem Saeculi XIV. aequalis Philelphi, Aurispae, Pontani.*) Carmina illa scripta sunt *in Aeneam puerum*, edita fortasse cum iis, quae reperiuntur in Opere citato supra: *Carmina illustr. Poett. Italic. Tom.* IX. p. 59. seq. Primi initium hoc est:

Aeneas *primis atavisque ingentibus orte;*

secundum incipit sic:

Parce puer cuiquam nimium te credere passim,
Omnia formosis retia ponit Amor.

Insunt his nonnulla, similia iis, quae perstrinxit Basinius in Epistola ad Robertum Ariminensem, edita ab Amadutio in Anecd. Litterar. Tom. II. p. 500. Altera eiusdem Epistola, versibus composita, ad magnanimum invictumque regem *Sigismundum Pandulphum Malatestam*, exstat ibidem p. 405. ubi notat Hieron. Ferrius: „Thomas Seneca Camers, quem *insignem Magistrum* vocat Blondus in Italia illustrata, Aesii, Ari-

*) Accurate hoc demonstravit *Angelo Bataglini* in libello inscripto: *Della Corte letteraria* di Malatesta *Signor di Rimino*, apud Basinium Opp. Tom. II. p. 91—93. scribens inter alia haec: Di Tommaso Seneca, nato da Giacomo di Camerino, parecchie notizie ha raccolto e publicato il Sig. Abate Francesco Lanzelotto, alle quali nondimeno si vuole aggiugnere, che anzi ch' e' passasse a Iesi nel 1425 insegnò Umane lettere in Ancona. Quivi certo si ritrovava nel 1420, e con tale riputazione, che Ciriaco Anconitano, mentre che gli faceva le dichiarazioni di Dante, si faceva in cambio da lui spiegare Virgilio. — Franc. Filelfo facea di costui grande stima e mostrò di averlo in particolare benevolenza. — Fu Seneca Camerte a suoi di poeta, grammatico, rétore ed istorico di gran nome.

mini, Bononiae et Florentiae docuit, non Latinis modo, sed Etruscis litteris commendatus. Imitatorem idoneum Petrarchae vocat Crescimbenius in Hist. Ital. Poesis lib. 5. p. 214. Quadrius meminit Vol. II. p. 195." At non memoratur in his Epistolis et animadversionibus, Senecam illum esse interpolatorem Catulli et Tibulli, nec Senecae commenta leguntur in contextu Codicis Lipsiensis. Tamen dubitari nullo modo potest, quin librarii, qui exararunt Parisinum, Dresdensem, Mediolanensem, designaverint, quem dixit Blondus, *insignem Magistrum.* Huius carmen unum, quod et brevius est et fortasse ineditum, hoc loco describam e Codice Lipsiensi, iamiam remittendo cum Editione Regiensi Bibliothecae Senatoriae Praefecto, Henr. Blümnero, viro excellentissimo et humanissimo, qui utrumque librum, quoad libuit, utendum mihi concessit, rara et memorabili facilitate, quam quibus verbis digne satis dilaudem, non reperio.

Thomae Senecae Camertis
atque vatis in Aeneam puerum.

Aeneas primis*) atavisque ingentibus orte,
 Qui superas formae nobilitate genus
Cura mihi est, nec me terrae pelagique labores
 Immemorem faciunt difficiles ve**) dei
Crescit in arma senex, at quae mandata dedisti
 Sero***) sed haec primis exequor auspiciis
Prima cano, nam prima meo sub pectore vivunt
 Iussa tua, absentis lumen et ora tuor
Idque prius volui, sed non prius ulla facultas
 Praebuit optatas ad mea vota vias
Nunc quoque confiteor, ad te cum scribere vellem
 Obstitit officio res onerosa meo

*) Fort. *priscis.*
**) Fort. *difficilem ve.*
***) Fort. *Servo.*

Nempe ea quae magnos etiam fregere poetas
Singula, sunt uni cuncta canenda mihi
Nam genus et virtus et forma insignis et aetas
Est tibi; quidnam plus Iuppiter altus habet?
Haec ego si numeris felicibus edere temptem
Otia destituant et superatus eam
Nec tua nobilitas nec tantum nomen avorum
Carmen amat victi debile vatis opus
Et mihi ceu modo *sum curis* exesus amaris
Non Thymbraeus adest Pieridesque favent
Censeo sustineas paulum et tua vota moreris
Expecta, referes hinc meliora *sed o**)
Tu q̊, et fidum fastu3 infelice clientem
Vre sed officium collige mente puer.

*) Haec, et, quae sequuntur, non expedio. Nisi forte scripsit Seneca: *Tu* quoque ne *fidum fastu infelice clientem Vre*—

VITA TIBULLI

Ex Codice MS. Bibliothecae Regiae[a]) descripta a P. Burmanno Secundo cum lectionis diversitate.

Albius Tibullus, Eques Romanus[b]), insignis forma cultuque corporis observabilis, ante alios Corvium (*Corvinum*) Messalam oratorem[c]) dilexit, cuius et contubernalis Aquitanico bello[d]) militaribus donis donatus est; hic multorum iudicio maxime Quintiliani viri in studia litterarum accerrimae licentiae[e]) inter Ele-

a) Laudat Burmannus hunc Codicem simpliciter ad Anthol. Lat. Tom. I. p. 416. Nec accuratius eum designavit in schedula, inserta Editioni Broukh. (in Bibl. Reg. Berolinensi,) cui inscripsit Vitam, supra repetitam.

b) Codd. Paris. et Lips. *eques regalis*.

c) Iidem libri cum Ed. Venet. a. 1472. habent *originem* pro *oratorem*, cui voci Burmannus substituit *Imperatorem*. Tacitus XIII. Annal. 34. *Nerone tertium Consule, simul iniit Consulatum* Valerius Messalla, *cuius proavum*, oratorem Corvinum, *D. Augusto, abavo Neronis, collegam in eo magistratu fuisse, pauci* iam senum *meminerant*. Nonnulli *auctorem*. Perperam. *Iam senum* autem coniunxit Tacitus, ut *iam iuvenem* Tibullus I. 4. 33.

d) Iidem libri *equitanico*, Edd. Venett. 1487—93. *contubernalis* Iapidio: pannonico: et aquitano *bello*.

e) Verba: *maxime — licentiae*, absunt a Cod. Lips, qui habet, *multorum iudicio inter elegos princeps est habitus*. Voci *licentiae* Burmannus substituit *diligentiae* cum Ayrmanno, cui obloquitur Heynius, corrigens *Elogographos*.

giographos summum obtinet locum. Epistolae quoque eius amatoriae, quamquam breves, utiles sunt. Obiit adolescens*f*), ut indicat Epitaphium infra scriptum:

Te quoque Virgilio comitem non aequa Tibullum
Mors iuvenem campos misit in Elysios
Ne foret aut Elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

f) *adolescens*. Fort. *iuvenis*. Sic enim in ipso carmine subiecto: *tempore Virgilii*, additur apud Broukhusium. Burm. Libri omnes habent *adolescens*.

TIBULLI VITA

auctore Hieronymo Alexandrino.*)

Albius Tibullus eques illustris et insignis forma in urbe romana ubi natus pergratus et militaribus‡ et togatis signis fuit quum vir esset doctus+ nec‡ ut solent quidam vultum auste℞‡ et tristem sed hylarem‡ et iocundum erga omnes habuit+ Quippe Tibullus statura pulcher‡ corpore agilis Facie iocundus‡ lingua comis‡ moribus dulcis‡ et familiaris erat‡ Ante alios vero sibi omni officio‡ et benevolentia Messalla corvinus favit+ Erat hic orator insignis‡ atque conscilio et opera Octavius princeps gravibus in rebus ac maximis utebatur‡ Amavit quidem Tibullum Messalla‡ Eundemq₃‡ et domi et foris multis donis‡ et favoribus sublevavit+ Neque vero Tibullus fide minus integra quacunque in re obeunda solicitus+ Sed percupidus honoris eius et cultor erat‡ Aegaeum vero cum eo navigans mare mala valitudine captus est+ Tunc salutis causa proximam in terram phaeatiam bona cum Messallae licentia conscilio voluntate concessit armaque posuit ibi+ Ac spraetis

*) Descripsi ex Editione Regiensi, servata interpunctione, de qua dixi supra. Exstat haec Vita etiam in Cod. Colbertino et Ed. Venet. a. 1475. Auctorem esse Hieronymum, patet e Vita Propertii, iu cuius fine legitur: Vale gratissime lector‡ et memor Hieronimi Alexandrini (mi) ‡ qui tibi tris nitas clarissimorum poetarum in lucem dedit Catulli Tibulli‡ et Proptii+

qui divitias auro fulvo cūgererent+ Ad litterarum ocia quae iam reliquerat rediit+ Epistolas familiares ad Amicos complures et delectabiles‡ metro et prosa dedit+ Libros autem tres amatoria de re suam ad deliam eligiató+ metro scripsit+ Sic enim quae nomine vero Plautia vocaretur hoc isto ficto nomine ac non suo appellavit + plura non scripsisse Tibullus memoratur+ Obiit mortem in flore iuventutis Natus vero est hyrtio‡ et pansa consulibus biennio postquam cesus est Iulius Caesar+ Natalis quoque ovidio Nasoni poetae annus idem fuit Se quidem memorat natum uterque versu isto Cum cecidit fato consul uterque pari+ Nam ad liberandum brutum consules hyrtius+ et pansa missi apud Mutinam fugatoque Antonio pempti sint+ Haec sunt quae de Tibulli vita invenire potui+

ALBII TIBULLI
ELEGIARUM
LIBER TERTIUS.

ALBII TIBULLI
ELEGIARUM
LIBER TERTIUS.

Adhuc Tibullus suos ipsius amores cecinit. Nunc progreditur ad celebrandos aliorum sive veros sive fictos amores, Lygdami et Neaerae libro tertio, Cerinthi et Sulpiciae libro quarto. Hinc intelligitur, quamobrem Ovidius duas modo Tibullo amicas commemoret, Deliam et Nemesin. Hinc etiam illud intelligi potest, quid sit quare is, qui primas partes proximis agit Elegiis, natum se esse dicat Hirtio et Pansa Coss. in quem annum non Tibulli dies natalis incidit, sed eius, quem lamentantem inducit, Lygdami, El. 5. 17 — 18. Hodie actores cum auctore commutantur. Nam librum tertium Lygdamo Vossius, quartum Sulpiciae aliisque auctoribus tribuit Heynius, neuter iis argumentis, quae Tibulli auctoritatem convellant. Sed hic singularis fabula agitur, cuius explicandae opportunitatem praebent El. 1. vss. 23 — 24.

> *Haec tibi* vir quondam, nunc frater, *casta Neaera,*
> *Mittit et, accipias munera parva, rogat.*

Ad quem locum Muretus, Id, inquit, quo modo acciderit, coniectura satis assequi non queo; ut, *qui*

antea vir fuerat, nunc sit frater, idemque speret, quae nunc *soror* est, aliquando *coniugem fore.* nisi forte id est, quod unum mihi venit in mentem: Tibullum (ipsum enim esse arbitror, qui se ficto nomine Lygdamum vocat) et hanc Neaeram, quaecunque tandem est — nam hoc quoque nomen commenticium est — eos igitur fratrum aut sororum filios fuisse. Notum est autem et eos, qui fratribus sororibusve editi sint, fratres vocari, et inter eos olim et legitimas et usitatas fuisse nuptias. Hanc igitur sororem suam videtur *Tibullus* aliquandiu in matrimonio habuisse: deinde casu aliquo intervenisse discessio. Sperabat autem *Tibullus*, nuptias denuo conglutinatum iri, idque toto pectore cupiebat. — Hanc Mureti explicationem paullo post impugnavit Lipsius Var. Lectt. II. c. 1. statuens, non sine quadam cavillatione, adverbium *quondam* hoc loco non praeteritum sed futurum tempus designare. Profecto is non erat Muretus, qui nesciret, huic adverbio hanc etiam vim interdum inesse. Sed locum illam habere posse, ubi coniunctim ponuntur *quondam nunc*, tantum abest, ut crediderit Muretus, ut mirandum sit, id in mentem venire potuisse Lipsio. Neque enim tam temere confundere solent auctores classici verborum significationes in formulis, quas consuetudo quasi consecravit. Semper adverbia illa ita coniunguntur, ut respondeant graecis *ποτὲ, νῦν δὲ*, vel *νῦν δὲ καὶ πάλαι*, sicut a Tibullo ipso I. 1. 19.

> *Vos quoque felicis* quondam, nunc *pauperis agri*
> *Custodes, fertis munera vestra, Lares.*

Sed quid tandem impulit Lipsium, optimum Latinitatis magistrum, ut ad illam hoc certe loco contortam nec ferendam adverbii *quondam* confugeret interpretationem? Nimirum hoc propterea fecit, ut commodius ad suum sensum explicaret *fratris* et *sororis* compellationes. Fratris, inquit, et Sororis nomine Veteres solent longe aliter uti, quam vulgo hodie ea nomina sonant. „Fratres enim puellae blandientes vocabant interdum amatores suos et eos, quibuscum consueverant, ut contra adolescen-

tuli amicas suas easque, quibuscum caput aliquando collimarent, ut Plautus loquitur, Sorores blande appellabant.“ In hanc sententiam posterioris aevi editores discesserunt omnes. Bronkhusius omnia confundit. Ego locum Xenarchi addam, ne quis forte credat, hoc ad solos pertinere Romanos, apud Athenaeum XIII. p. 569. C.

> αὗται βιάζονται γὰρ εἰςέλκουσί τε,
> τοὺς μὲν γέροντας ὄντας ἐπικαλούμεναι
> **πατρίδια**, τοὺς δ' **ἀπφάρια** τοὺς νεωτέρους.

Eiusmodi argumentis, e meretricia domo repetitis, satis se refutasse putarunt viri docti, duce Lipsio, Muretum, cuius unice vera est ratio, modo discedas ab illa propositione, qua statuit, Tibullum *ipsum se ficto nomine* Lygdamum *vocare*. Lygdami ille, quicunque fuerit, celebrat hoc libro statim ab inito (vel certe promisso) coniugio ortum *discidium* sive *dissidium*, ea illum spe adhuc ductum deformans, fore ut gratia male sarta aliquando coeat nec penitus rescindatur. Hinc *Kalendis Martiis*, ipso Matronalium die, munera mittit *Nymphae* El. 1. 21. Hinc El. 2. optat, ut, si forte cura *coniugis ereptae* mortem sibi attulerit v. 29. mater Neaerae moereat *genero*, Neaera *viro* v. 14. Hinc El. 3. nullis se votis coelum implere ait, nisi quae *pro dulci reditu* voventur v. 27. Hinc El. 4. malo somnio se territum queritur, quo Phoebus nuntiasset, *malle* Neaeram *alterius* esse puellam *viri* v. 58. *nec gaudere* casta *nuptam* domo v. 60. Neque vero Elegiis 5. et 6. quidquam inest, quod huic interpretationi repugnet. Ergo hoc libro fabula agitur eadem fere atque *Orestis* et *Hermiones*, quam Epist. VIII. celebravit Ovidius, primo statim disticho Eleg. 1. versum 25. ita exprimens, ut Mureti partim, partim nostram interpretationem penitus confirmet:

> *Alloquor Hermione* nuper *fratremque* virumque,
> Nunc fratrem; *nomen* coniugis *alter habet.*

Quod distichon quoniam a quibusdam subditicium habetur, quibus ego numquam adsentiar, age ei substituamus eiusdem Epistolae vss. 27 — 30.

Quid? quod avus nobis idem Pelopeïus Atreus?
Et si non esses vir *mihi,* frater *eras.*
Vir, *precor,* uxori, frater *succurre* sorori:
Instant officio nomina bina *tuo.*

Iam recte et accurate scriptum esse intelliges, quod legitur, teste Heynio, in Guelf. 2. „Hic liber est de amoribus Lygdami et Neaerae. Etenim Tibullus amavit solam Deliam et Nemesin: quod Ovidius ostendit.“ Minus accurate Lips. ad Neaeram *suam.* Ed. mai. a. 1472. Ad Neaeram amasiam *suam* Liber III. Ed. min. eiusd. anni simpliciter: Liber secundus explicit, incipit tertius. Sed notabilis est observatio viri docti ad marginem Ed. Vicent. in bibliotheca Gotting. „Hic liber *inscriptus videtur Lygdami nomine*, qui amabat Neaeram. Alioquin amicas Tibulli solas duas, Deliam et Nemesim, agnoscit Ovidius.“ Nempe putavit vir doctus, librum Tibulli tertium Lygdami nomine inscriptum fuisse ad eum fere modum, quo liber Propertii primus putatur Cynthiae. Hoc si quis imitaretur, et hunc librum inscriberet *Tibulli Lygdamus*, non multum ille a veritate abluderet. Quid vero, si quis huic libro nomen inscriberet *Epistolarum?* Nam hic re vera *Epistolae* scribuntur *ad Neaeram, ad Familiares.* Adsunt *tabellariae*, quibus illae perferendae traduntur, *Musae,* hoc negotio iam fungentes apud Pindarum Nem. III. Responsum ad primum libellum, quem pertulerant *Musae*, poetae refert *Apollo* El. 4. Quae omnia generis esse epistolici, quis non videt? Nec ego quidquam vidi fictum alibi ingeniosius. At sic titulo suo privabuntur Elegidia illa libri quarti. Illa vero! Sed quo tandem modo titulo privari possunt, quem aut numquam habuerunt, aut communem cum libro tertio? Scripsit Tibullus utroque libro Epistolas *amatorias, breves, utiles.* Sed convenit hoc nomen tertio magis, quam quarto libro, quo, ut nunc est, carmina continentur generis longe diversi, fortasse etiam aliena. Nobis tamen hodie non licet novos titulos adpingere libris antiquis Marte nostro, auctoritate nulla.

Sed mihi nec auctori-

tas deest. Nam postquam disputationem huc deduxeram, ecce mihi offerunt se notationes quaedam Codicis Parisini, quae coniecturam meam mirifice confirmant. Nempe liber Tibulli secundus hanc ibi subscriptionem habet: *Albii Tibulli poetae illustris liber secundus explicit. Incipit liber tercius ad Neaeram amasiam suam.* Porro Elegiae libri tertii sextae, id est, ultimae, cui in hoc etiam Codice annectitur Carmen libri quarti XII. *Ne tibi sim, mea lux* etc. haec addita est Nota: *Repetuntur hi tres versus* (haec tria disticha) *infra in fine libri,* epistola: Estne tibi, *in fine* epistolae. — Nimirum *in fine epistolae* propterea, quod hic etiam Codex carmen XII. annexum exhibet carmini XI. Iam huic carmini XII. haec adscripta sunt verba: *Habentur hi tres versus supra* eodem libro *circha medium* epistola: „Si mihi difficile est", *in fine* epistolae. — Nempe *eodem libro* scripsit Grammaticus, quia liber III. et IV. unum in hoc codice constituunt librum, ut verba *circha medium* sumenda sint pro, *circa medium librum tertium.* Medium autem circiter locum universae huius farraginis obtinet *Elegia* libri, quem nos dicimus, tertii *sexta,* a cuius versu 33. *Si mihi* (Hei mihi!) *difficile est* etc. nova vel separata incipit in hoc Codice Elegia, quam Grammaticus, ut vides, vicissim *Epistolam* appellat. Alterum igitur fieri potuit, ut Tibullus Elegias libri tertii et quaedam quarti Carmina communi nomine Epistolarum complecteretur: alterum, ut quartum hoc nomine insigniret, tertium privaret, fieri non potuit.

Caeterum annotationem illam, quam supra e margine Editionis Vicent. descripsi, Antonius etiam Perreius, cuius Excerpta nunc in manibus habeo, libro huic inscripsit paucis mutatis: „Hic liber *inscriptus videtur* Ligdami nomine, *qui Neeram amabat. Nam et Ovidius Amicas Tibulli duas agnoscit, Deliam et Nemesin.*" De hoc consensu vide, quae dicentur infra ad El. 4. 65. et ad El. 6. 63.

ELEGIA I.

Martis Romani festae venere Kalendae;
Exoriens nostris hinc fuit annus avis.
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
Perque vias urbis munera perque domos.

V. 3. Ut.

1. KALENDAE] Sic Ed. min. a. 1472. cum cod. Paris. Maior cum Lips. *Calendae.* Vide Quintilianum I. 4. 9. I. 7. 10. Diomedem p. 417. Putsch.

2. HINC FUIT] Hoc Scaliger reposuit e suo libro, quicum consentiunt duo Voss. Askew. Monac. Bern. Nostri libri *hic.* Lips. *hic sinit.*

3. ET VAGA NUNC CERTA — POMPA] Duo libri scripti, Guelf. 1. 4. et Ed. Rom. *Ut* vaga. Hoc non redolet simplicitatem Tibulli. Vide I. 9. 45. II. 4. 4. Pompa *certa* displicet Lachmanno ad Propertium p. 164. reponenti *crebra,* quod occupavit Mitscherlichius in Tentam. Crit. p. 12. Sed ita periret huius loci concinnitas et elegantia. Nam *vaga* munera quasi temperantur pompa *certa,* si quidem in summa *discurrentium undique* confusione nemo tamen erat, qui non *certum* voto peteret *finem.* Nemo errare potuit apud Appuleium IX. p. 184. quandoquidem ibi asinus in mola *vagatur* errore *certo.* Non multum tamen aberat, quin Pricaeus reponeret *incerto.* Sed cohibuit eum *in orbe termini circumfluentis* Beroaldus, errorem asini illustrans erroribus *Planetarum.* Martialis VIII. 33. 15.

> Nec vaga *tam tenui* discurrit *aranea tela.*

Alii *discursat.* — Ad talem *pompam munerum,* notante Heynio, respicit Propertius III. 13. (11.) 27. de pacata prisci aevi iuventute:

> Illis pompa fuit *decussa Cydonia ramo,*

Dicite, Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen.

Et dare puniceis plena canistra rubis —

Ergo felix agrestum, quos dicit Propertius, eademque pacata iuventus,

Divitiae quorum messis et arbor erant,

urbanis Romae *pomposae* amatoribus exemplum praeivit offerendi puellis, magno portantium comitatu, complura simul munerum fercula? Hoc nec mihi persuasit Heynius, nec tibi persuadebit Vossius ad Virgilii Ecl. II. 51 — 55. Sed locus Propertii corruptus est. Editio princeps, ait Vulpius, pro *Illis pompa fuit* habet, *Illis munus erant.* Nempe ita habet Ed. min. a. 1472. quam solam vidit Vulpius, Ed. mai. a. 1472. habet, *Illis pompa fuit.* Haec est antiquior lectio, quamvis sit in libris recentissimis. Sed quae ista est Latinitas, *Illis pompa fuit — dare canistra?* Hic mendum subesse sentientes veteres tum librarii tum editores substituerunt *Illis munus erant* vel *erat.* Pessima lectio, qua non contentus Heinsius reponebat, *Illis* poma *suo*, vel

Illis dona suo *decussa Cydonia ramo* etc.

non addens, quo modo haec conciliari possint inter se. Nempe tetigit rem vir doctissimus, sed acum non invenit. Quod valde miror. Nam acus paene Heinsium tetigit. Quidni enim retinebat *fuit?* Repone:

Illis poma fuit *decussa Cydonia ramo*
Et dare *puniceis plena canistra rubis* —

Possis etiam *dona* legere. Sed illud magis placebit. Hoc autem Latinum esse docent Cortius ad Sallustii Iugurth. c. 110. Gronovius Observatt. IV. c. 8. et Heinsius ipse ad Ovidium II. A. A. 28. Lucretius IV. 834.

Nec fuit ante videre oculorum lumina nata.

6. SEU MEA, SEU FALLOR] Lips. *falor.* Heinsius

Carmine formosae, pretio capiuntur avarae.
Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis.

V. 8. tuis.

seu falso, locum ita construens, *seu mea,* seu cara tamen, *si fallor.* Hoc non intelligo. Recte Vossius sententiam ita constituit, *seu mea sit, seu non sit*, tamen cara Neaera. Propertius I. 17. 16.

> *Quamvis dura,* tamen rara *puella fuit.*

8. GAUDEAT, UT DIGNA EST, VERSIBUS ILLA MEIS] Verba, *ut digna est*, uncinata sunt in Ed. mai. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. etiam in duobus libris Zwickav. quos vidi apud Wunderlichium. Quod quid sit, ignoro. Sed potest locus ita interpungi:

> *Gaudeat ut,* digna est, *versibus illa meis.*

Sic de Sulpicia IV. 2. 24.

> Dignior est *vestro nulla puella* choro.

Propertius III. 1. 39.

> *Carminis interea nostri redeamus in orbem,*
> Gaudeat ut solito *tacta puella* sono.

Ubi altera Ed. princ. cum multis libris habet *Gaudeat insolito*, altera (minor) cum aliis *Gaudeat ut solito*, nullus neque scriptus neque editus liber *Gaudeat in solito*, ut separatim scribi iussit nec tamen ipse edidit Burmannus, deceptus caeteroquin formula *gaudere in puero* II. 4. 28. Nemo *gaudet* in *sono*, multi *in puero*. Haec valde differunt. Ovidius IV. Fast. 193.

> Pandite *mandati memores*, Heliconis alumnae,
> Gaudeat *assiduo cur Dea Magna* sono?

Et hic quidem respondet Erato. Nam hoc volebat Ovidius, addens ultro: *Sic ego: sic Erato.* Num etiam Tibullo respondent Pierides? Hoc volebat Muretus, pro *meis* corrigens *tuis:* „Musae enim ipsae loquuntur.“ Scaliger con-

Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pumex cui canas tondeat ante comas;

V. 10. Pumice quae.

tra, Si diligenter inspiciamus, non loquuntur hic Musae. Ab hac parte stat Heynius. At Vossius primum cum Mureto respondere facit Musas, deinde sine Mureto ridet Musarum responsum. Quem igitur nos ridebimus? Lygdamum, inquit. Ego alium putabam. Tu, qui toties apud Homerum legisti,

ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσαι —

num semel respondere vidisti Musas? Immo semper respondet Homerus ipse, fidus Musarum interpres, ut statim ab initio Iliadis. Tamen etiam Perreius, nisi fallor, (potest enim esse Heinsii manus) versui 7. adscripsit „verba Musarum" et v. 8. voci *meis*, quam habet Ald. 1502. *tuis*, nullo citato codice.

9. LUTEA SED NIVEUM — LIBELLUM] Ed. mai. a. 1472. et Vicent. *Luthea*. Cod. Lips. mendose *niveis* — *linebellum*.

10. PUMEX ET CANAS TONDEAT ANTE COMAS] Ed. mai. a. 1472. et Vicent.

Pumicet et canas *tondeat* arte *comas*.

Pumicet et multi habent libri, ut Paris. nullus *cavas*, perpauci *arte*. Ed. min. a. 1472. Venet. 1475. Reg. Lep. Brix. Venett. 1491. 93. Aldd.

Pumicet et canas *tondeat* ante *comas*.

Sic fere omnes libri scripti, etiam Lips. nisi quod *Punicet* habet, ut unus Statii, et Pontanus. Iam de lectione *ante* nemo dubitabit. Vide II. 1. 24. II. 6. 24. Sed pro *Pumicet* Guelf. 2. Voss. 3. 5. Exc. Perrei.

Pumex et canas tondeat ante comas.

Ita Muretus edidit, et alios ita legere Statius notavit. Heinsius primum emendaverat, *Pumice et incanas*, deinde *Pumice quae canas;* ut *tondeat* sit pro

Summaque praetexat tenuis fastigia chartae,

Indicet ut nomen, littera facta, meum:

V. 12. pacta.

tondeatur vel *tondendas praebeat.* Prorsus insolenter, de re praesertim inanimata. Vossius ne ad animalia quidem, v. c. ad *hircos*, transferri posse hanc huius verbi significationem docet ad Virgil. III. Georg. 311. p. 602. Nunc transfert eam adeo ad *membranam.* Guelf. 1. *Pumiceque* et. Haec nos scriptura ad veram, nisi fallimur, lectionem ducet. Fuerunt, qui pro *Pumex* scriberent *Pumix*, quam formam praetulit Scaliger. Fac igitur, in vetere quodam libro exaratum fuisse obscure *Pumix* c̄, in alio *Pumix* qū. Hinc librarius fecit *Pumice que.* Quod quum metro adversari videret, addidit commune illud supplementum *et.* Abiice hoc *et*, quod peperit alteram lectionem *Pumicet et*, mutansque c̄ in *cui*, vel qū in *quoi*, (ut infra ad initium El. 2.) lege:

Pumex cui *canas tondeat ante comas.*

Sic habes lectionem, consuetudini Albianae vel maxime convenientem. Saepe de hac orationis structura dixi, v. c. ad I. 6. 40. II. 1. 78. II. 5. 43. Unum locum adscribam, quia est simillimus, II. 2. 5.

Ipse suos Genius adsit *visurus honores,*
Cui decorent *sanctas mollia serta* comas.

11. SUMMAQUE PRAETEXAT] Lips. *Spumaque p̄texat.* quod utrum sit *protexat* an *praetexat*, ignoro. Nam unus Stat. habet *protexat.* Paris. *protexit.* Sed vera lectio est *praetexat.* Plinius H. N. praef. p. 3. *Argumentum huius stomachi mei habebis, quod in his voluminibus* auctorum nomina praetexui. Cicero II. Div. 54. *Atque in Sibyllinis* ex primis *versuum cuiusque sententiae* litteris *illius sententiae carmen omne* praetexitur. Haec dicitur ἀκροστιχίς. At apud Tibullum designatur παραστιχίς. Sueto-

nius Grammat. 6. de Aurelio Opilio: *Huius cognomen in plerisque indicibus et titulis per unam litteram scriptum animadverto: verum ipse id per duas effert* in parastichide libelli, *qui inscribitur* Pinax. Hinc perelegaliter auctor Ciris ad Musas v. 98. *nunc age, divae*,

> *Praecipue nostro nunc adspirate labori,*
> *Atque* novum *aeterno* praetexite *honore* volumen.

Exemplar editionis Reg. Lep. in bibliotheca Senat. Lips. quod in manibus habeo, ab hoc in primis libro usque ad finem multis interlitum est viri cuiusdam docti notis. Hic voci *tenuis* adscripsit „f. *phyliris*" id est, *philyris*, supplens fortasse ad verbum *praetexat* nomen *membrana*. Admonitio bona est, emendatio falsa. Plinius H. N. XIII. 23. de papyro: *Praeparantur ex eo* chartae, *diviso acu in* praetenues *sed quam latissimas* philuras.

12. INDICET UT NOMEN LITTERA FACTA MEUM] Libri omnes Broukhusii, Statii, Vossii, Paris. *littera facta*. At, inquit, veteres Edd. habent *littera pacta*. Ego contra liquido affirmare possum, veteres Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. Aldd. etc. habere *littera facta*. Nullum equidem illius scripturae vestigium deprehendi ante Ed. Basil. a. 1569. quae versum ita exhibet:

> *Indicet* et *nomen littera* pacta *tuum.*

Habet quidem unus liber Bronkh. *et* pro diversa lectione, nullus *pacta*. Lips. *fata*. Guelf. 4. *sancta*. *Litteram facere* vel universe est *titulum* facere, vel litteram proprie, nomen auctoris *indicantem*. Hinc *index* pro *titulo*. Cicero ad Attic. IV. 15. extrem. *Parantur orationibus* indices *gloriosi*. Et supra Suetonius, *indices* a *titulis* distinguens. Vide Cicer. IV. ad Attic. 4. Iam pro *meum* quinque libri Broukhus. habent *tuum*, iidem tamen pro varia lectione *meum*, sicut Guelf. 3. Duo vel tres Anglicc. tres item Voss. sine varietate *meum*. Enimvero Paris. et Lips. Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. Venett. Aldd. etc. *tuum*; quae lectio Muretum induxit,

Atque inter geminas pingantur cornua frontes;
Sic etenim comptum mittere oportet opus.

V. 14. tenerae *pro* etenim.

ut v. 8. *meis* mutaret in *tuis*, et dialogum fingeret Musas inter et poetam. Broukhusius contra omnium consensu librorum v. 8. temperavit quorundam dissensum v. 12. et ut illic retinuit *meis*, ita hic reposuit *meum*.

14. SIC ETENIM COMPTUM MITTERE OPORTET OPUS] In fronte huius annotationis prima omnium collocari iure suo poscit lectio lacunosa Ed. min. a. 1472.

Sic et tnt comptum mittere oportet opus.

Absque enim hac Editione esset, plane nesciremus, qui factum sit, ut alii libri scripti editique exhiberent *Sic etenim*, alii *Sic etiam*. Nunc res apparet. Nimirum codex antiquissimus vocem obtulit mutilam, quam bona fide expressit illius auctor Editionis, caeteri pro suo quisque captu mutarunt partim in *etenim*, partim in *etiam*. Illud legitur in Paris. multisque aliis libris apud Broukhus. in Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. et Vicent. hoc in Guelf. 1. 4. in Ed. Brix. 1486. Rom. apud Heynium, Venett. 1491. 93. Ald. 1502. — Cod. Lips. et Reg. Lep. *Sic et enim.* Iam particula *etenim* proxime abest a mutilae scripturae vestigiis, nullamque litteram perire sinit. Longius abest *etiam*. Hoc languet, illud et loco suo positum est, et periodum bene concludit. Hac igitur lectione contenti sumus. Nam quod Vossius, qui nihil lacunosi in libris suis reperit, voci *etenim*, quam latam vocat, substituit *tenerae*, hoc magis delet quam explet veteris scripturae vestigia, magis etiam languet, quam *etiam*.

Per vos, auctores huius mihi carminis, oro
Castaliamque umbram Pieriosque lacus,
Ite domum, cultumque illi donate libellum,
Sicut erit: nullus defluat inde color.

V. 18. erat.

15. PER VOS, AUCTORES HUIUS] Cod. Paris. *Par vos.* Guarn. *Parvos.* Sic supra I. 5. 7. *parce* pro *per te.* Pro *huius* cod. N. Heinsii chartaceus habet *eius.* quod per se nihil est. Movet tamen suspicionem corruptelae. Certe, si uno modo libro confirmaretur, quod in exemplari Lips. Editionis Reg. Lep. voci *huius* adscriptum reperio, sic Tibullum scripsisse contenderem,

Per vos auctores, Musae, *mihi carminis oro.*

16. CASTALIAMQUE UMBRAM] Paris. *Castaliam umbrosam.* Voss. 4. *Castalium numen,* in ora tamen *Castaliamque umbram.* Guelf. 2. pro *umbram* ab alia manu adscriptum habet. *undam.* Ed. Voss. mendose *Castiliamque.*

18. SICUT ERIT] Haec est veterum librorum lectio, editorum quidem omnium, nescio an etiam scriptorum. Certe neque Heinsius nec Broukhusius varietatis aliquid in tot libris animadverterunt. Sed Statius, qui post Aldum edidit *Sicut erat,* in Vaticano, ait, *Sicut erit.* Num igitur in aliis fuit *Sicut erat?* Ita videtur, sed non probaverim. Nam quod Romani in epistolis imperfectum ponunt pro tempore praesenti, fit hoc, ubi de actione sermo est, quae, quando epistola legitur, praeterlapsa est. Nunc autem sermo est de re corporea, nondum absoluta, per singulas certe partes ita descripta, ut nasci ante oculos nostros

Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
An minor, an toto pectore deciderim.

V. 19. nostri sit.

videatur, quam Musae rogantur ut perferant Neaerae non *sicut est*, nec *sicut erat*, sed *sicut erit*, id est, *qualis erit*, ut supra scribebat I. 5. 91. *Tunc mihi*, qualis eris, — *obvia curre*. Haec vera est lectio. Aliter res habet apud Propertium, ubi item confunduntur *erat* et *erit*, II. 10. 12.

Pierides, magni, nunc erat *oris opus.*

Hic fides habenda libro Groningano, quem nunc quidem recte secutus est Broukhusius, adhibens testimonium Horatii I. 34. 4. *Tempus erat* pro *Tempus est.* Adde Homeri Il. μ. 271.

νῦν ἔπλετο ἔργον ἅπασιν.

19. ILLA MIHI REFERET] Codd. Paris. Lips. cum multis aliis habent *referet*. Alii *referat*. Edd. etiam veteres in partes discesserunt diversas. Nam princeps a. 1472. Venet. 1475. Rom. huius anni, Reg. Lep. Brix. *referat*, Vicent. *refferat*. At Ed. min. a. 1472. nisi fallor, *refert*, sicut est etiam in Aldd. 1. 2. quod non dubito, quin sit pro *referet*, quod habet in Comment. Cyllenius, et expressum video in Venett. 1491. 93. Iam mihi etiam, ut Vossio, praeferendum videtur, quod Scaliger revocavit, *referet*, quae forma usitatior est altera in epistolis cum aliis tum Ciceroni, v. c. VII. ad Famil. 23. extr. *Tu et ad omnia* rescribes *et*, *quando te exspectem*, facies *me*, si tibi videtur, *certiorem*. In altera versus parte nihil usquam discrepantiae reperitur,

si nostri mutua cura est:

nisi quod unus et alter liber habet *nostri si*. Sed duplex vitium in his verbis deprehendisse sibi videtur Vossius, primum negans, recte deinceps poni *si* — *an*, pro *an* — *an*,

deinde addens, nec illud ferri posse *si est*, quum sequatur *an deciderim*. Prior ratio falsa est. Nam ita etiam scribit Propertius, (si forte excipiendus sit Horatii locus, de quo infra dicam) III. 5. 39 — 45.

Sub terris si *iura deum et tormenta Gigantum*,
Tisiphones atro si fuerit *angue caput* —
An *ficta in miseras descendit fabula gentes*.

Ergo etsi veri speciem habet, tamen non persuadet emendatio ingeniosa:

Illa mihi referet, nostri sit *mutua cura:*

quemadmodum etiam scribit Virgilius II. Georg. 227.

Rara sit an *supra morem si densa requiras*,

vel *requires*, ad quod verbum referenda est particula *si*, nunc quidem traiecta. Martialis XI. 60.

Sit *Phlogis* an *Chione Veneri magis apta requiris*.

Maiorem veri similitudinem altera observatio habet, non recte compositas esse duas diversi modi constructiones *si* est, *an deciderim*. Sed in his facile nos falli possumus rationibus grammaticis. Quidni priorem propositionis partem definite, posteriorem, quam vel maxime abhorrebat, indefinite ac dubitanter efferre potuerit auctor? quum praesertim in eiusmodi oratione modos variare soleant et alii scriptores, et Propertius eo loco, quem paullo ante laudavimus v. 25 — 46. Caeterum cum Tibullo plane conspirat Horatius I. Epistt. 3. 30.

Debes hoc etiam rescribere, Si tibi curae est,
Quantae conveniat, Munatius; an *male sarta*
Gratia nequicquam coit et rescinditur, ac *vos*
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat,
Indomita cervice feros?

Ubi item Nic. Heinsius praeferebat librorum quorundam scripturam, *Sit tibi curae*, non curans constructionis mutationem. Opposuit se Bentleius, e cuius editione locum descripsi, aptum sane et accommodatum ad illum, quan-

Sed primum nympham longa donate salute,
Atque haec submisso dicite verba sono:

V. 21. meritam larga.

doquidem Horatius etiam tres constituit inimicitiae paullatim increscentis gradus, plane ut Tibullus, laudatus propterea a Broukhusio, culpatus ab Heynio. Martialis X. 20. 9.

> *Si tibi mens eadem*, si nostri mutua cura est,
> *In quocunque loco Roma duobus erit.*

20. AN MINOR, AN TOTO PECTORE DECIDERIM] Sic libri mei omnes. Pauci pro *An minor* habent *An maneam*, e correctione Pontani. Heinsius, *Anne amer*. Ayrmannus, *Aut minor, an*. Quintilianus I. 5. 49. *Nam et* an *et* aut *coniunctiones sunt: male tamen interroges*, hic, aut ille, *sit*. Statius IV. Theb. 507.

> *Nostri cura minor?*

Pro *an toto* unus Statii *e toto*, pro *pectore* Laudi liber et Askew. *corpore*. Cicero II. Tusc. Dispp. 23. *Ad ferendum dolorem placide atque sedate plurimum proficit* toto pectore, *ut dicitur*, cogitare, *quam id honestum sit.* Etiam apud Ovidium X. Metam. 443. vulgo legitur *toto pectore.* Ibi tamen recte Heinsius ex Oxon. aliisque libris reposuit *toto corpore.* De hac confusione dicetur infra ad Eleg. 4. 81. Vide Catullum LXIV. 69. et LXVI. 23. Bene Vulpius comparat locutionem Homericam Il. ψ. 595.

> *ἐκ θυμοῦ πεσέειν, καὶ δαίμοσιν εἶναι ἀλιτρός.*

21. SED PRIMUM NYMPHAM LONGA] Lips. *mympham*. Sed claris litteris Edd. principes, Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Aldd. Stat. *nympham*, ut est in duobus libris Broukhus. In Wittiano lacuna erat, quam alia manus supplevit addendo *nympham*. Discessit hinc Ed. Rom. 1475. adsumens, quod in compluribus est libris, *meritam*. Paris. Askew. Hamb. Scalig. et Anglic. unus *meritum*. Unde alii

Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera,
Mittit et, accipias munera parva, rogat;

fecerunt *marathum*, *myrtum*, *myrcum*. De lectione *meritam* Heynii iudicium meum facio, nullam ei inesse vim, nec magis probari eam posse censeo, quam v. 14. *tenerae*. Nec me movet locus Claudiani, qui, quod nemo animadvertit, huius non dialogi, sed perpetuae orationis formam imitatur XXIX, 1.

Dic, mea Calliope, *cur tanto tempore differs*
Pierio meritam *serto redimire* Serenam?

Hoc loco desideratur nomen, quidni *Nympha?* Cuius vocis significatio pendet ab argumento horum carminum. Vide interpretes ad Ovidium Epist. I. 27.

Grata ferunt Nymphae *pro salvis dona* maritis.

Pro *longa* complures libri, in his Paris. et, ut videtur, Lips. Edd. principes, Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. etc. *larga*. Sed in uno Stat. duobus Palatt. in altero Witt. et Exc. Perreii est *longa*, quod Scaliger reposuit, laudans Virgilium Ecl. III. 79.

Et, longum *formose* vale, *vale, inquit, Iola*.

Longum, ait, *salvere*, *longum valere* dicebant. Bona observatio. Propertius III. 11. 50. ad Romam,

Et longam *Augusto salva precare* diem.

Tibullum ob oculos habuisse videtur Statius IV. Silv. 4. 10. Epistolae mandans ad Marcellum, quod ille Musis ad Neaeram:

Cui primum *solito vulgi de more* salutem,
Mox inclusa modis haec reddere verba *memento*.

22. SUBMISSO — SONO] Explicat Horatius I. Epistt. 8. 15.

primum gaudere, *subinde*
Praeceptum auriculis *hoc* instillare *memento*.

23. VIR QUONDAM] Pro *vir* Voss. 3. *doix*, id est, *coniux*. Quae glossa e margine in textum irre-

Teque suis iurat caram magis esse medullis:
Sive sibi coniux, sive futura soror.
Sed potius coniux; huius spem nominis illi
Auferet exstincto pallida Ditis aqua.

psit. Pro *quondam* Lips. *condam*.

24. MITTIT ET — ROGAT] Colb. Guelf. 1. 4. Edd. Rom. 1475. Brix. 1486. Venett. 1491. 93. *ut*. Sed excipienda est, quam Heynius addit, Ald. 1502. quae *et* habet. Recte. Conf. Pindari Pyth. II. 124 — 130. (67 — 71.) Nem. III. 132.

25. IURAT CARAM MAGIS] Dresd. *magis caram*. Lips. *iurat* que *caram*. Idem vss. 26 et 27. *coniunx*, ut Ed. Reg. Lep.

26. SIVE — CONIUX, SIVE — SOROR] Terentius Aud. I. 3. 11.

Sive ista uxor sive amicast, gravida e Pamphilo est.

Ubi Bentleius ob metri rationem cum Ian. Gulielmio edidit *Si ista uxor, sive* — eodem sensu.

28. AUFERET — DITIS AQUA] Guelf. 3. 4. *Aufert*. id est, *Auferet*. Vide ad v. 19. Ed. min. a. 1472. *Auferat*.

ELEGIA II.

Qui primus caram iuveni, carumque puellae
Eripuit iuvenem, ferreus ille fuit.

V. 1. carumve.

ELEGIA II. „Queritur de discidio amoris." Ed. mai. a. 1472. „De amoris disidio queritur nomine Ligdami." Ed. min. a. 1472. Accuratius Ed. Reg. Lep. cum cod. Lips. fere conspirans: „Cū queritur *de dissidio amoris Lygdami* (ligdani) et optat funeri suo interesse Neaeram: et eiusdem Lygdami epithafium." Illud *Cū*, non dubito, quin mutandum sit in *Qui*, ut clare legitur in cod. Lips. Qui ..... de amoris dissidio queritur nomine Lygdami etc. hoc est, Elegia, quae in fronte habet *Qui*. Sic Veteres citare solebant libros et carmina, v. c. Virgilius Ecl. V. 86. De isto scripturae compendio *cū* pro *qui* vel *cui* vide, quae supra notavimus ad III. 1. 10.

1. QUI PRIMUS — CARUMQUE PUELLAE] Sic Ed. min. a. 1472. (exhibens tamen *charam*) cum cod. Paris. aliisque libris, Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep. quae tamen in fine versus habent *caraeque puellae*. Nonnulli *carumve*.

2. ERIPUIT] Paris. et Voss. 4. *Erripuit*. Ille etiam v. 4. *errepta*.

Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere et erepta coniuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc; non haec patientia nostro
Ingenio; frangit fortia corda dolor.

3. DURUS ET ILLE FUIT] Exc. Pocch. et Perrei. cum nonnullis libris repetunt superiora, *Ferreus ille fuit.* Sed particula *et* abesse nequit, nisi cum Hoeufftio legere malis, *Durior ille fuit.* quae utique egregia est emendatio, *durior* ferreo *ille fuit, qui* etc. Propertius I. 16. 29.

Sit licet et saxo patientior *illa Sicano,*
Sit licet et ferro durior *et chalybe.*

5. NON HAEC PATIENTIA NOSTRO INGENIO] Hanc lectionem exprimit Ed. min. a. 1472. eandemque habent Rom. 1475. et Venett. 1491. 95. etc. codd. Paris. unus Broukh. complures apud Voss. Eam Iov. Pontano deberi, Pocchus et Perreius in Excerptis notarunt, nam in libris antiquis legi:

non hoc patiemur et aequo
Ingenio.

Sic Edd. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. et Reg. Lep. cod. Lips. cum aliis. In Vatic. *non hoc nostro patiemur Ingenio.* Goth. *non haec nostro patientia Ingenio.* Quod si Pontanus e mendosa librorum scriptura vulgatam formavit, laudandus est, non reprehendendus. Vix aliter scribere potuit Tibullus.

6. FRANGIT FORTIA CORDA DOLOR] Ex hoc versu vocem *fortis* praeceperunt nonnulli librarii v. 5. scribentes, *Non ego* fortis *in hoc.* Cicero II. Tuscul. Dispp. 8. *Sed videamus Herculem ipsum, qui tum* dolore frangebatur, *quum immortalitatem ipsa morte quaerebat.* Illustravi hoc genus scribendi supra ad I. 1. 3. Unde corrigendus est locus Propertii II. 8. 31. ubi vulgo legitur de Achille:

Nec mihi vera loqui pudor est, vitae-
que fateri
Tot mala perpessae taedia nata meae.
Ergo quum tenuem fuero mutatus in
umbram,
Candidaque ossa super nigra favilla
teget:

Viderat ille fugas, *fractos in litore Achivos.*

Sed libri aliquot scripti melius sic:

Viderat ille fuga fractos *in litore Achivos.*

Virgilius II. Aen. 13.

Fracti bello, *fatisque* repulsi
Ductores Danaum.

7. NEC MIHI VERA LOQUI PUDOR EST] Sic cod. Paris. et Edd. Venett. 1491. 93. Nam quod Heynius scribit „Ita emendatum in Ald. sec." (1515.) nihil est. Edd. principes statim discidium fecerunt. Nam maior habet, *Haec mihi* verba *loqui pudor est*, ut legitur in libris perpaucis, etiam Lips. Ed. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Minor contra, *Haec mihi* vera *loqui pudor est;* quod expressit Rom. 1475. Heynius addit „edd. e Romana deductae", id est, Venett. cum comment. Cyllenii. Supra I. 6. 31.

Ille ego sum, nec *me iam* dicere vera pudebit.

8. TAEDIA NATA MEAE] Scaligeri liber, unus Gebhard. et Guelf. 2. *nota.* Lips. *nacta.* Unus Stat. et Dresd. *tot superesse meae.* quam absurdam lectionem, ortam ex *παρηχήσει, tot — perpessae,* adsumpsit Ald. 1502. propagarunt Gryph. et Plant. Propertius II. 22. 4.

O nimis exitio nata *theatra meo.*

Similiter Martialis III. 4. 5.

Cur absim, quaeret: breviter tu, multa, fatere,
Non poterat vanae taedia ferre *togae.*

9. ERGO CUM TENUEM FUERO] Ed. mai. a. 1472. Vicent. Brix. Venett. 1491. 93. Aldd. Plant. *Ergo* ego

Ante meum veniat, longos incompta capillos,
Et fleat ante meum moesta Neaera rogum.

cum. Sed Statio observante, „abest omnibus libris scriptis *Ego.* delendum igitur." Delevit iam is, qui curavit Ed. min. a. 1472. Nec comparet *ego* in Ed. Reg. Lep. Brouk-husius delevit „propter dactylorum intempestivam celeritatem in re lugubri." Cod. Lips. *Ergo ergo* pro *ego*, quod insertum ab iis est, qui putarent, ultimam in *Ergo* brevem esse. Correpta an corrupta demum est post Ovidium. Veteres semper produxerunt. Vide Broukhusium ad Propertium III. 5. (7.) 1. Santenium ad Catulli Eleg. in Manl. 48.

10. CANDIDAQUE — SUPER NIGRA — TEGET] Ed. mai. a. 1472. Vicent. Reg. Lep.

> *Candida* quae *ossa* supra *nigra favilla teget.*

Supra est in libris permultis, ortum e scriptura *sup*, quam reperio in cod. Lips. et Edd. Venetis 1491. 93. Sed rectius cum aliis libris, (ut Paris.) Ed. min. a. 1472. versum ita exhibet:

> *Candida*que *ossa* super *nigra favilla teget.*

Pro *nigra* duo Voss. *magna*. Lips. *mgna fauila.* Caeterum notabis temporum mutationem in eadem periodo *fuero mutatus* et *teget*, quae fraudi fuit Mureto in Propertio I. 15. 29.

> *Mutaprius vasto* labentur *flumina ponto,*
> *Annus et inversas* duxerit *ante vices* —

Ubi ille edidit *labantur*, quod recte abiecit Lachmannus, duce Propertio ipso II. 15. 27. et alibi. Sic Graeci futurum indicativi cum aoristo coniunctivi coniungere solent, in primis Homerus, v. c. Il. ε. 212.

> εἰ δέ κε νοστήσω καὶ ἐσόψομαι.

11. INCOMPTA] Haec scriptura post Aldum demum mutari coepta est

Sed veniat carae matris comitata dolore;
Moereat haec genero, moereat illa viro.

in *incomta*. Codd. Paris. et Lips. Edd. a. 1472. etc. *incompta*.

12. MOESTA NEAERA] Ed. min. a. 1472. *casta*. Sic unus Broukh. et Vindob.

13. SED VENIAT] Laudi liber et Aldd. *Sed veniet*. Quod sequitur, *matris* comitata *dolore*, satis insolenter dictum est pro, comitem habens *matrem dolentem*. Quanto simplicius is, qui locum ad ipsam Tibulli matrem transtulit, Ovidius III. Am. 9. 51.

Hinc soror *in partem* misera cum matre *doloris*
Venit, inornatas *dilaniata* comas.

14. MOEREAT — GENERO — VIRO] Quis, inquit Lipsius Var. Lectt. II. c. 13. Quis in Latina lingua ita hospes est? Aut quis aliquem Romani sermonis sensum habeat, qui non statim videat orationis illius barbariem et sordes? *Maerere alicui*, seu *Maerere genero* et *viro*, pro, *lugere generum* aut *virum*. Haud timide quidem igitur hoc loco lego,

Maereat haec generom,
maereat illa virom.

E contrario Vulpius, Versus elegantissimae simplicitatis, quales fieri iampridem desierunt. *Genero* et *Viro* possunt esse tertii casus: dicebant enim *moerere alicui*, nempe alicuius gratia. Cicero pro Sextio (c. 14. §. 32.) *Quis umquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quemquam aut* sibi moerere *aut ceteris supplicare?* Haec Vulpius, immemor annotationis Lipsianae, quam omnino nemo, quod sciam, h. l. memoravit. Sed Veteres constat dixisse *moerere aliqua re*, ut Cicero passim et Sulpicius apud Ciceronem IV. Ep. 5. *da hoc familiaribus, qui* tuo dolore moerent. Alio modo scribitur, *moerere sibi*.

Praefataeque meos Manes, animamque precatae,
Perfusaeque pias ante liquore manus:

V. 15. Praefatae ante.

15—16. PRAEFATAE ANTE — PRECATAE, PERFUSAEQUE — ANTE] Inficetus locus vel propter repetitionem particulae *ante*, quam modo non sine vi bis deinceps positam vidimus vss. 11 — 12. nunc autem ineleganter inculcatam cognoscimus. Quorsum *praefatae ante*, quum *praefari* per se sit *ante fari*, vel *affari?* Virgilius XI. 301.

Praefatus divos *solio rex infit ab alto.*

Sed prorsus abiiciendum est illud *ante*, eique substituendum vel *atque* vel, quod probabilius videbitur, *que*, id quod in contextum inferre non dubitavi:

Praefataeque *meos Manes*, *animamque precatae.*

Propius quidem *atque* abest ab *ante*, quam *que*. Sed *ante* mihi ortum videbatur ex syllabis repetitis *atae* verbi *Praefatae*, quod scribebatur *Prefate*, sicut *ate* pro *ante*. Nec obstat huic emendationi repetitio copulae *que*. Propertius IV. 8. 65.

*Imponit*que *notam collo*, *morsu*que *cruentat*,
*Praecipue*que *oculos*, *qui meruere*, *ferit.*

Porro pro *precatae* libri ferme omnes habent *rogatae* vel *rogate*. Nonnulli *rogantes*. Cyllenius locum accurate tractat: „*Animamque rogate*: textus est antiquitatis vitio obscurus. Nam quidam habent *rogate*: quidam codices servant *precate*. Si *rogate* legimus, inusitate dictum constat: sin aliter, recte quidem et latine. Namque est hypallage per Zeugma, ut sit sensus: mater generum, filia virum suum ploret, ambae tamen antea mutis Manibus *praefatae* et animam *precatae*. At nonnulli dicunt illud *que* esse supervacuum *animamque rogatae*. ut sit: praefatae meos Manes et ante perfusae manus pio liquore *rogate* animam: et *rogate*

Pars quae sola mei superabit corporis, ossa
Incinctae nigra candida veste legant;
Et primum annoso spargant collecta Lyaeo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent;
Post haec carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.

V. 21. villis.

imperativi modi sit." Hoc expressum reperio in Edd. Venett. 1491. 93. *Praefatae — rogate*. Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. *Prefate — rogate*, *Perfusaeque*. Huic vir doctus adscripsit: „Vulgo *precatae*. An *animaque rogata?*" In quod Heynius etiam incidit, corrigens ultro, *animamque vagantem*. Statius *togatae:* Scaliger *rigatae*. Male. Mihi *animam precari* dictum videtur pro *animam precando vocare*, quod alibi dicitur *voce precari*. Vide II. 1. 83. Locus similis est Virgiliano V. 98.

Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchisae magni, Manesque *Acheronte remissos*.

17. PARS QUAE] Lips. *Pars quaeque*. Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. *Pars quoque*.

18. LEGANT] Mei libri omnes *legent — spargent*.

19. COLLECTA LYAEO] Ed. min. a. 1472. *perfusa lyaeo*.

21. CARBASEIS — VELIS] Paris. *garbaseis — ventis*. Caeteri quoque scripti editique *ventis*. Vicent. *vinclis*. Colb. *vittis*. Unus Ital. et tres Voss. *velis*. quo modo alios legere iam Statius animadvertit. Lips. medio versui interiectam exhibet vocem inexplicabilem: *Post haec carbaseis* ubo *humorem* ..... *tollere uentis*. Iam lectioni *velis* cur substituatur emendatio Vossiana *villis*,

Illuc, quas mittit dives Panchaia merces,
Eoique Arabes, pinguis et Assyria,
Et nostri memores lacrimae fundantur eodem;
Sic ego componi, versus in ossa, velim.

V. 23. Illic.

nulla subest ratio. Velorum enim varia sunt genera, crassa, ut navium, tenuia, immo tenuissima, ut hominum voluptatibus perfluentium, *quos*, ut Cicero Catil. II. 10. scribit, *pexo capillo, nitidos, aut imberbes aut paene barbatos videtis: manicatis et talaribus tunicis*, velis amictos, *non togis*. Non igitur e latinitate ecclesiastica haec *velorum* fluxit significatio, quod ille ait, sed ex aurea Latinitatis aetate. Iis *velamenta* substituit Lucanus VIII. 367.

Illic et laxas vestes et
fluxa *virorum*
Velamenta *vides*.

At idem X. 141. de Cleopatra:

Candida Sidonio perlucent pectora filo,
Quod Nilotis acus compressum pectine Serum
Solvit et extenso *laxavit stamina* velo.

23. ILLUC] Hoc Passeratius substituit. Libri et Edd. veteres *Illic*. Mihi illud magis placet, quam hoc. Vide I. 3. 7.

24. PINGUIS ET ASSYRIA] Vulgo repetitur e superiore versu *dives* pro *pinguis*, quod Muretus demum in contextum intulit. Et legitur ita in nonnullis libris.

26. SIC EGO COMPONI — VELIM] Haec nota est locutio, *componere aliquem*. Quaeritur, an Latini etiam dixerint *componere alicuius ossa*. Hoc negat Porsonus ad locum Propertii II. 24. 35.

Tu mea compones *et dices* ossa, *Properti*,
Haec tua sunt.

In quibus ego adhuc ver-

Sed tristem mortis demonstret littera casum,
Atque haec in celebri carmina fronte notet:

V. 27. caussam.

bis hyperbaton agnoscens construebam, *Tu* mea *compones* ossa *et dices.* De quo traiectionis genere satis supra disputavi. Verum Porsonus de loco illo ita scribit *Tracts and Miscellaneous Criticisms* etc. p. 581. „Ut de constructione impedita nihil dicam, nunquam Latini *componere alicuius ossa*, sed *componere aliquem.* Tibullus III. 2. 26.

> *Sic ego componi versus in ossa velim.*

Unde legendum, *Tu* me *compones.*" Sic locum Propertii iam laudaverat Torrentius ad Horatii I. Serm. 9. 28. Falso. Nam Latini procul dubio dixerunt *componere alicuius ossa,* sicut dixerunt *componere alicuius cinerem.* Ovidius III. Fast. 547.

> Compositusque cinis, *tumulique in marmore carmen*
> *Hoc breve, quod moriens ipsa reliquit, erat.*

Vide Passeratium. Aliam viam ingressus novissimus editor locum ita interpunxit:

> *Tu* mea compones *et dices: Ossa, Properti* —

Quod nullo modo ferri potest. Hoc enim foret, *Tu res meas compones* et dices — Latinitate bona, sensu alienissimo.

27. SED — DEMONSTRET — CAUSSAM] Statius in quibusdam libris invenit *Sit.* Unde Ed. Bas. fecit *Sic.* Unus et alter *designet.* Hoc parum interest. Illud mirum, his quatuor extremis versibus ter deinceps inculcatam esse vocem *causa*, primum hoc loco, deinde v. 29. ubi omnes paene libri scripti et editi ante Muretum exhibent *causa* vel *caussa* pro *cura*, tandem v. 30. *caussa perire fuit.* De versu 29. postea videbimus. Nunc quaero, quae ista sit elegantia: littera demonstret *mortis*

LYGDAMUS HIC SITUS EST; DOLOR HUIC ET CURA NEAERAE,
CONIUGIS EREPTAE, CAUSSA PERIRE FUIT.

caussam et simul notet *caussam mortis!* Nego equidem, ita scripsisse elegantissimum Tibullum; cumque libri quidam, Florent. Statii, Guelff. 1. 2. 4. Edd. Rom. 1475. Brix. et Venett. 1491. 93. pro *caussam* claris litteris exhibeant *casum*, aio et confirmo, Tibullum scripsisse:

Sed tristem mortis *demonstret littera* casum.

Hanc lectionem tam evidentem in ordinem recipere non dubitavi. Cicero de Senect. 19. *quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? quin etiam aetas illa multo plures, quam nostra,* mortis casus *habet.* Virgilius X. Aen. 791.

Hic mortis durae casum, *tuaque optuma facta,*
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem nec te, iuvenis memorande, silebo.

29. DOLOR HUIC ET CURA NEAERAE] Maxima librorum scriptorum pars, quod modo dixi, Edd. a. 1472. Venet. et Rom. 1475. Vicent. Reg. Lep. Brix. etc. *causa Neaera.* Substituit tandem Muretus, quod confirmatum postea est Askew. Voss. 1. 4. Goth. Exc. Pocchi et Perreii, *cura Neaerae*, accedente Statio, sed, quod vix credideris, obloquente Scaligero, qui, *caussa Neaerae* est, ait, Neaera ipsa, addens: eleganter repetitur *caussa* pene diverso sensu. Hic igitur elegantiam invenit, ubi nos barbariem et mendum. Recte Statius scribit: In veteribus libris erat compeudio scriptum cā. quod utrumque possit significare. Cod. Lips. cā *neera.* Edd. Venett. 1491. 93. cā *neaera.* Vir doctus ad oram Ed. Reg. Lep. notat: „*Neaerae* omnes MSS.

Scal. et Comel. Lege, *dolor huic est caussa Neaerae.* Vel, *clausa Neaera.* Nam ereptam initio ait.“ Vixit ille post Passeratium et Dousam, quos passim laudat. Vidit igitur meliora. Tamen deteriora secutus est.

Adponam huic Elegiae, tamquam corollarium, Achillis Statii observationem ad verba *Lygdamus hic situs est:* „Hae quoque litterae singulares in vetustis monumentis saepe leguntur atque intelleguntur,

H. S. E.“

Et ne ἀσύμβολος discedam, addam lepidum Senecae locum Ep. 55. de Vatia, qui in villa consenuit, nulla alia re quam otio notus. *Nunquam,* inquit, *aliter hanc villam* Vatia vivo *praeteribam, quam ut dicerem:* Vatia hic situs est.

ELEGIA III.

Quid prodest coelum votis implesse, Neaera,
Blandaque cum multa tura dedisse prece:
Non, ut marmorei prodirem e limine tecti,
Insignis clara conspicuusque domo;

V. 3. *Omittitur* e.

ELEGIA III.

1. COELUM VOTIS IMPLESSE] Nihil notavit Broukhusius. Monendum igitur, Edd. a. 1472. cum codd. Dresd. et Voss. 3. *flammis* habere pro *votis*, quorum hoc (*votis*) in textu, illud (*flammis*) in margine habet Vicent. Quod accuratius perscripsi propter Heynium, hoc etiam loco, ut toties alibi, fallentem. Ed. Reg. Lep. *votis*, ut Venett. 1491. 93. Adeo discrepant inter se Editiones veteres. Ego ne unam quidem novi, cum altera conspirantem. Vide annotationem primam. Livius V. 39. *Romani — totam prope urbem* lamentis impleverunt. Virgilius IX. Aen. 24. laudatus a Statio:

Multa deos orans oneravitque *aethera* votis.

2. BLANDAQUE — TURA DEDISSE] Statius, nescio qua auctoritate, edidit *tulisse*. Exstat haec lectio in cod. Paris. Sed praestat *dedisse*. Vide I. 7. 53. I. 8. 70.

Nec prodest *sanctis* tura dedisse *focis*.

3. PRODIREM E LIMINE TECTI] Dresd. *a limine*.

Aut ut multa mei renovarent iugera tauri,
 Et magnas messes terra benigna daret:
Sed tecum ut longae sociarem gaudia vitae,
 Inque tuo caderet nostra senecta sinu;
Tunc quum, permensae defunctus tempore lucis,
 Nudus Lethaea cogerer ire rate?

V. 9. praemensae.

Caeteri *e limine*. Utrumque bene. Ovidius III. Fast. 305. *gelido Numa* prodit ab *antro*. Corvin. praepositionem omisit. Nec hoc male. Douza ex uno libro, quem nemo novit, et ex Edd. antiquis, (quae omnes habent *tecti*) reposuit *templi*. Hoc quidem pessime. Horatius I. Ep. 18. 73.

Intra marmoreum *venerandi* limen *amici*.

5. TAURI] Edd. Venetae 1491. 93. *tanti*. Mendose.

7. SOCIAREM] In Vaticano et Sfortiano, Paris. et Ed. min. a. 1472. *sociarent*. Brix. et Venett. 1491. 93. *satiarem tempora vitae*. Illud Scaliger tuetur.

9. TUNC CUM PRAEMENSAE DEFUNCTUS TEMPORA LUCIS] Hic versus ita *primum* editus videtur in Aldinis. Quod si verum est, laetabor. Est enim vitii suspectus, quod dubito an impressum iam sit Editioni min. a. 1472. Certe vir doctus, qui hanc Editionem comparavit cum Ald. 1502. nullam hoc loco discrepantiam animadvertisse videtur. Potuit ille tamen falli et, quod scriptum reperiret *pmensae*, sumere pro *praemensae*. Ed. Venet. 1491.

Tunc cū *pmensae defunctus* tēpore *lucis*.

Quod altera a. 1493. ita expressit:

Tūc cum permēsae *defunctus* tēpore *lucis.*

Edd. antiquiores, ut princeps a. 1472. Rom. et Venet. 1475. Vicent.

Tunc cum permensae *defunctus* tempora *lucis.*

Reg. Lep. *per mense.* Ergo, nisi fallimur, prima statim Chalcographiae aetate hic locus triplici modo editus est: 1. *permensae tempora lucis;* 2. *praemensae tempora lucis;* 3. *permensae tempore lucis.* Tres hae diversitates in variis etiam libris scriptis comparent. Nonnulli tamen quartam adiiciunt, nemini Editorum veterum probatam. Nempe Paris. unus St. duo Broukhus. tres Voss. Excerptt. Pocchi et Perr. exhibent:

Tunc cum permenso *defunctus tempore lucis.*

(Lips. *Nunc cum* pmenso.) Hoc Mureto, Pulmanno et Scaligero placuit, displicuit Broukhusio et Heynio. Ac Broukhusius quidem, alteri favens scripturae, *praemensae defunctus tempora lucis*, tantum, inquit, temporis vivere unusquisque credebatur, quantum ei Parcae fuissent *praemensae* in ipso lucis exordio. Sed scire velim, quis Veterum dixerit, Parcas hominibus *praemetiri*, hoc est, in antecessum admetiri vitam? Ego neminem novi et hanc notionem e nostra aetate in Antiquitatem illatam aio. Nec hoc convenit Parcae, lancem tenenti in monumento Mus. Cap. T. IV. t. 29. Heynius *permensum esse vitae tempora*, *spatia*, per se eleganter dici non negat. Sed et *permensum* passive dici et *defunctum* adeo addi, iuxta durum vocat. Igitur lectionem *praemensae — tempora* item reposuit, non sollicitus, ne ei passiva verbi *praemetiri* vis vicissim obiiciatur. Hoc tamen nihil offensionis habet. Sed iterum quaero, quis Veterum dixerit *praemetiri?* Laudatur a Lexicographis e libello *de Re Agraria* c. XV. *Cultellandi autem ratio quae sit, saepe quaeritur, cuius* praemensi soli *spatium consummamus.* Sed ut auctoritas huius libelli incerta est, ita lectio istius loci dubia. Quae quum ita sint, non haesitavi, deleta voce manifesto suspecta, Tibullo restituere Edd. veterum lectionem:

Tunc quum permensae *defunctus* tempore *lucis* —

hoc est, ut Plato scribit Politic. p. 29. Tom. VI. Bip. ὅταν αἱ περίοδοι τοῦ προσήκοντος αὐτῷ μέτρον εἰλήφασιν ἤδη χρόνου. De quo scribendi genere quaedam monui ad Heracliti dictum, Ἥλιος οὐχ ὑπερβήσεται μέτρα, Comment. de Vasc. Locrensi p. 16. Paullo aliter Nemesianus, laudatus a Broukhusio, Ecl. I. 20.

Quem nunc emeritae *permensum* tempora vitae
Secreti pars orbis habet mundusque piorum.

Porro *defunctus tempore* (Colb. *perfunctus*), ut apud Horatium II. Ep. 1. 21.

nisi quae terris semota suisque
Temporibus defuncta *videt, fastidit et odit.*

10. NUDUS LETHAEA COGERER IRE RATE] Ed. mai. a. 1472. Vic. et Reg. Lep. *lethea.* quae macula adhuc inhaeret Edd. Broukhus. et Vulpii. Ed. min. a. 1472. *Laethaea.* Venett. 1491. 93. *laethea.* Caeterum Broukhusius haec scribit, Magna est soni scabrities in his *rer, re, ra.* Editiones priscae habent fere *cogeret.* Sed quid illo faciamus? — Edd. a. 1472. et Vicent. habent *cogerer.* Quo quid faciendum sit, vides. Rom. apud Heynium, Reg. Lep. et Venett. 1491. 93. *cogeret.* Quod merum est mendum. Ista autem non sine nota praetermittenda est animadversio de repetita littera *r,* propter fatalem paene consensum Vulpii cum alibi tum ad hunc locum, cui adscripsit, „poeta noster hoc loco usus est numeris paullo asperioribus: iteratur enim saepius littera canina." Hanc ille querelam repetit ad persimilem versum Propertii III. 5. 14.

Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.

„Sonus asper ob repetitam caninam litteram. Durius tamen Tibullus: *Cogerer ire rate.*" Accidit igitur tum litterae *r,* quod hodie accidit litterae *s,* quam toties in his carminibus exagitavit Vossius. Quod tamen mireris, utraque littera eosdem et accusatores nacta est et defensores. Nam Vulpius Tibullum statim ita excusat, „Non temere tamen

Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?
    Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
    Taenare, sive tuis, sive, Caryste, tuis?

id fecisse putandus est: voluit enim exprimere indignationem et rabiem umbrarum, quae, vitae prioris dulcedine amissa, coguntur loca mortuorum adire, Charontis *navicula* transvectae." Vossius vero versum Tibulli I. 2. 52. ita expressit:

> *Sola feros* Hecates *perdomuisse canes,*

pro *Hecatae*. Quare? Ceteras caussas omitto. Sed soni, inquit, suavitas non convenit Hecatae. Dissonus verborum sibilus ei accommodatior est, augens utique horrorem, quo animum legentis percutit cogitatio deae horribilis. Ergo Tibullus nunc scripsit *Hecates*, data opera reiterans litteras sibilantes. — Pertinet huc, quod de lingua latina universe scribit Quintilianus I. 5. 72. *Sed minime nobis concessa est ὀνοματοποιΐα. quis enim ferat, si quid simile illis merito laudatis, λίγξε βιὸς, et σίζε ὀφθαλμὸς, fingere audeamus? Iam ne* balare *quidem aut* hinnire *fortiter diceremus, nisi iudicio vetustatis niterentur.* De littera autem canina audiamus auctorem Etymol. Magni p. 700. Sylb. Ῥῶ τὸ στοιχεῖον παρὰ τὸ ῥέω· ὑγρὸν γάρ ἐστι καὶ εὐμάλακτον καὶ ὡσεὶ ἔλαιον ῥεῖ ἐν τοῖς μέτροις (τὰ ἀμετάβολα):

12. SI FINDANT — MILLE BOVES] Codd. Lips. Askew. Monac. Voss. 3. Ed. Basil. a. 1569. *fundant*. Sic supra I. 7. 21. pro *cum findit* Dresd. habet *confundit*. At unus Angl. *scindant*. Sic IV. 1. 175. pro

> *Et* ferro tellus, *pontus* confinditur *aere:*

alii *conscinditur*. Nec male. Boethius III. Cons. Phil. III. 5.

> Ruraque *centeno* scindat opima *bove*.

13. PHRYGIIS INNIXA COLUMNIS] Sic Ed. mai.

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos?
Aurataeque trabes, marmoreumque solum?
Quidve, in Erythraeo legitur quae litore, concha,
Tinctaque Sidonio murice lana iuvat?

V. 17. Quid vel Erythraeo.

a. 1472. Vicent. Reg. Lep. etc. At Ed. min. a. 1472. *subnixa*, ut Colb. Santenius ad Balbi El. 67. p. 1832.: „tres mei codices vulgatam *innixa* confirmant, elegantiorem, puto, quam *subnixa*.“

14. CARYSTE] Paris. *Thariste*. Edd. principes et Aldd. *Chariste*. Vic. et Reg. Lep. *cariste*.

17. QUIDVE, IN ERYTHRAEO — QUAE LITORE] Tantum abest, ut praepositionem *in*, quam contra librorum suorum fidem in *vel* mutavit Vossius, omiserint mei, ut eam diversis locis iteraverint. Nam Paris. ita:

> *Quid ve* in *erithraeo legitur quae* in *litore concha.*

Lips. vero sic:

> *Quid ue meri traheo legit ī litore cōca*

adposita verbo *legit* desuper syllaba *ur*. Non defuturos esse praevideo, quibus haec ipsa iteratio pro argumento sit, in exilium mittendam esse praepositionem. Mittant, per me licet, unam, modo mihi relinquant alteram, cuius patrocinium iam suscepi supra I. 2. 39 — 40. Sic fieri iubet ipse Tibullus IV. 2. 19.

> *Et quascunque niger rubro* de litore *conchas*
> *Proximus Eois* colligit *Indus equis*.

18. TINCTAQUE SIDONIO] Ed. mai. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. *Cinctaque*. Minor *Tinctaque Sidonia*. Supra II. 4. 28.

Et quae praeterea populus miratur? in illis
Invidia est; falso plurima vulgus amat.

Et niveam Tyrio murice tinguit ovem.

Vide Horatium II. carm. 16. 35. II. Ep. 2. 181. et confer versum, ad eiusmodi exemplum conformatum, quem Pontanus obtrudere volebat Tibullo II. 3. 75.

O valeant cultus et tinctae murice lanae.

19 — 20. MIRATUR? IN ILLIS INVIDIA EST] Omnes libri mei tum scripti tum editi pentametrum sic exhibent:

Invida quae falso plurima vulgus amat.

Cod. et Ed. Lipss. *Invida que.* Ad oram Ed. Vicent. notatum: „*Invidia est falso* em. Pontanus." Sic Excerptt. Pocchi, Perreii et Scaligeri, Codd. Vindob. et Voss. 3. Hanc lectionem recte reposuit Scaliger, nec video, cur Heynio displicuerit sententia vel locutio, *invidiam esse aliqua in re.* Vulpius iam comparavit Aristotelis locum I. Rhetor. ὅλως δὲ τὰ τοιαῦτα τῶν ἀγαθῶν ἔστιν ἀπὸ τύχης, ἐφ' οἷς ἔστιν ὁ φθόνος, *in quibus est invidia.* Vir doctus in Actis litter. Soc. Rheno - Trai. T. III. p. 149. laudat Plinium Paneg. c. 88. 5. *An satius fuit,* Felicem *vocare? quod non moribus sed fortunae datum est: satius,* Magnum? cui plus invidiae *quam pulchritudinis* inest. Pro quo alii dicunt *invidiam habere*, ut Propertius II. 25. 34. Pindarus Pyth. XI. 45.

ἴσχει τε γὰρ ὄλβος οὐ μείονα φθόνον·
ὁ δὲ χαμηλὰ πνέων ἄφαντον βρέμει.

In transcursu emendandus est Antiphanes ep. VIII. Anal. T. II. p. 206.

ὁ φθόνος εἰς πολὺν ὄλβον ἀπέβλεπεν· ὃς δὲ τὰ μικρὰ
πορθεῖ, καὶ τούτους γηρὰν ἀεὶ μ' ἔλεγεν.

Sic cod. Palat. mendosissime. Quod alii aliter, ego simpliciter ita corrigendum censeo:

καὶ τοῦτον χείρονα δεῖ με λέγειν.

Non opibus mentes hominum curaeque levantur;
Nam Fortuna sua tempora lege regit.

V. 21. homini.

Qui res parvas, non ita magni pretii res, vastat ac disperdit, ei non Invidiae sed peius etiam illo ac deterius nomen convenit, οὐ Φθόνος, ἀλλὰ Φθόρος, quod ipsum, praepositis verbis, τοῦτον ἄγει, insigni audacia in contextum intulit Brunckius. Firmant emendationem Philodemus ep. I. v. 4. p. 83. et Strato ep. III. 6. p. 359. Est autem Tibulli locus elegantissimus. Nam *admiratio* est mater invidiae. Propertius II. 17. 11.

Quem modo felicem, Invidia admirante, *ferebant* —.

21. MENTES HOMINUM CURAEQUE LEVANTUR] Duplex huius etiam loci scriptura per duplicem Editionum classem propagata est. Nam Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. habent, quod libri scripti numero plurimi, in his Paris. servant, *hominum*. At Ed. min. a. 1472. et Aldd. *homini*. Sic Lips. Voss. 1. Bern. duo Broukh. quatuor Gebhardi. Askew. *hominis*. Iam illud quidem recte et Latine dicitur, *curae* homini *levantur*. Cicero II. Tusc. Dispp. 24. his levabat *omnem volnerum* metum *nobilitas mortis et gloria*. Sed, *mentes homini* levantur, mihi prorsus insolita videtur compositio, nisi *homini* ad *curas* solas referre velis, quod durissimum. Praefero igitur lectionem Editionis omnium principis.

22. NAM FORTUNA SUA TEMPORA LEGE REGIT] Tantus est librorum in lectione *gerit* consensus, ut eam a Broukhusio repositam esse non mirer. Tres quatuorve codd. habent *regit*, quod Heynius, obsecutus Mureto et Scaligero, revocavit. Quodsi quis recte ac proprie dicitur *rem* civitatis *publicam gerere*, quidni Fortuna *res* hominis *privatas*, conditiones, casus? Haec enim sunt *tempora*. Accedit, quod *lege fatali res geri* dicuntur etiam

Sit mihi paupertas tecum iucunda, Neaera;
At sine te regum munera nulla volo.

V. 24. velim.

apud Ovidium III. Metam. 316.

Dumque ea per terras
fatali lege geruntur.

Nec tamen altera lectio temere est derelinquenda. Nam et apud Sallustium *Humanarum rerum Fortuna pleraque regit*, et fieri potuit, ut librarius ultimam syllabam vocis *lege* repetendo *gerit* scriberet pro *regit.* Virgilius XII. 405.

Nulla viam Fortuna regit.

Fortuna igitur, quamvis varia, *regit* res humanas *sua lege*, sicut Necessitas, vel Natura varios hominum *casus* invictis *legibus* gubernat apud Euripidem Hec. 840.

δεινόν γε, θνητοῖς ὡς ἅπαντα συμπιτνεῖ,
καὶ τᾶς ἀνάγκας οἱ νόμοι διώρισαν,
φίλους τιθέντες τούς γε πολεμιωτάτους,
ἐχθρούς τε τοὺς πρὶν εὐμενεῖς ποιούμενοι.

Hoc, credo, intelligi potest. At viri docti, qui adhuc omnes *τὰς ἀνάγκας* tulerunt, ad miras profecto delapsi sunt tum explicationes tum emendationes. Mirum, inquit, *ὡς — καὶ οἱ νόμοι τῆς Ἀνάγκης διώρισαν ἅπαντα* quoad amicitiam et inimicitiam. Horatius III. 1. 14. aequa lege Necessitas *Sortitur insignes et imos.* Seneca ad Helviam c. 9. *Omnia volvuntur semper, in transitu sunt et, ut* lex et naturae necessitas ordinavit, *aliunde alio deferuntur.* Valer. Maximus I. 6. 12. de Pompeio: *Sed invictae leges necessitatis pectus, alioqui ab amentia remotum, prodigia ista iusta aestimatione perpendere passae non sunt.* — Pro *tempora* Lips. et Ed. Vicent. *tempore.* Eadem in margine *regit.* Omnes in contextu *gerit.*

24. AT — REGUM MUNERA NULLA VOLO] Sic Lips. Multi Broukhus. cum Paris. et Ed. min. a. 1472. Vicent. *Et — volo.* Ed. princ. et Reg. Lep.

O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!
At si, pro dulci reditu quaecunque voventur,
Audiat aversa non meus aure Deus:

V. 25. mihi te poterit quae.

Et sine te regnum munera nulla volo.

Fortasse his Editoribus in memoria haerebat locus similis Propertii I. 14. 25.

Quae mihi dum placata aderit, non ulla *verebor*
Regna, *nec Alcinoi* munera *despicere.*

Pro *munera* Laudi liber *tempora* (e v. 22.), pro *volo* Col. et Hamb. *velim.* quo illud longe est efficacius. Nepos XV. 4. *Namque orbis terrarum divitias accipere* nolo *pro patriae caritate.*

25. QUAE TE POTERIT] Duo libri, Witt. et Voss. 4. *poterit quae te.* Nullus, *mihi te poterit quae* reddere.

28. AVERSA NON MEUS AURE DEUS] Vulgo *adversa.* Venett. 1491. 93. *aversa.* Recte. Dii implorati, ut opem ferant, vel audiunt, vultum ad vota vertentes, (Propertius III. 3. 10. *versos ad pia vota deos*) vel non audiunt, vultum auresque avertentes, (Horatius Ep. X. 18. *preces aversum ad Iovem*). Hactenus etiam *adversi* recte alibi dicuntur. Confundit haec Heinsius ad Ovidium Ep. VII. 4. perperam *aversos* reponens pro *adversos* apud Propertium I. 1. 8.

Quum tamen adversos cogor habere deos.

Unde firmari potest Valckenarii emendatio, pro *παντοίους* legentis in Hermesianactis Elegia v. 8.

ἀνταίους δ' ἐξανέπεισε θεούς.

Adversus deus est, quem Tibullus dicit, *deus non*

Nec me regna iuvent, nec Lydius aurifer amnis,
Nec, quas terrarum sustinet orbis, opes.
Haec alii cupiant; liceat mihi, paupere cultu,
Securo cara coniuge posse frui.
Adsis, et timidis faveas, Saturnia, votis,
Et faveas, concha, Cypria, vecta tua.
Aut si Fata negant reditum, tristesque Sorores,
Stamina quae ducunt, quaeque futura canunt:

meus. Terentius Phorm. I. 2. 24.

Memini relinqui me,
deo irato meo.

Donatus: Sic Virgilius (XII. 559.) *nec di texere Cupentum Aenea veniente* sui. Hoc Asper. Sed mihi videtur ad hoc addidisse *meo,* ne esset *ἀμφίβολον,* cui diceret, *irato deo.* Naevius in Stalagmo,

Deo meo *propitiò,*
meus homo est.

29. IUVENT] Omnes *iuvant.* Ald. 1515. *iuvent.* Euripides Herc. Fur. 649. (45.)

31. HAEC ALII CUPIANT] Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Reg. Lep. *capiant.* Minor cum Paris. et Lips. *cupiant.*

34. CYPRIA VECTA] Ed. princ. *Cyrpia.* Cod. Lips. *cipria grata.*

35. AUT SI FATA NEGANT REDITUM] Nonnulli libri *At,* depravati e versu 27. ubi Vulpius intelligit *reditum in gratiam,* laudans locum de Haruspicum Responsis 24. *quid existimatis eum, si reditus ei gratiae patuerit, esse facturum?* Sed rectius Achilles Statius *reditum* proprie sumit, adhibens Horatium Ep. XIII. 15.

Me vocet in vastos amnes nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

V. 37. ad *vastos*.

Unde tibi reditum *certo subtemine Parcae*
Rupere.

ubi corrigit *secto;* quod non fugit Bentleium, quem vide. Homerus Od. α. 17.

τῷ οἱ ἐπεκλώσαντο θεοὶ οἶκόνδε νέεσθαι.

36. FUTURA CANUNT] Vulgo *neunt*. Unus liber Monac. *canunt*, quod felici coniectura assecutus erat Nic. Heinsius ad Ovidii Ep. XVII. 194.

37. ME VOCET IN VASTOS AMNES] In hac lectione conspirat quantum est librorum scriptorum et editorum. Tamen novissimus editor substituit *ad*. Lygdamus, inquit, optat, ut deus ipsum vocet *ad* amnes infernos, non *in* amnes. Ergo non hoc scripsit, sed illud. Equidem, quid Lygdamus scripserit, nescio. Hoc scio, Tibullum scripsisse *in* vastos amnes. Propertius I. 3. 6. de Baccha:

Qualis in herboso *concidit* Apidano.

Non impediebatur metro, quo minus scriberet,

Qualis ad herbosum *concidit* Apidanum.

Tamen alteram formam praetulit, tamquam exquisitiorem, hoc est, orationi poeticae, quam praeceperant Graeci, accommodatiorem. Homerus Il. σ. 520.

οἱ δ' ὅτε δή ῥ' ἵκανον, ὅθι σφίσιν εἶκε λοχῆσαι,
ἐν ποταμῷ, ὅθι τ' ἀρδμὸς ἔην πάντεσσι βοτοῖσιν —

Hoc est, quod postea dicit, ποταμοῖο παρ' ὄχθας. Quare non erat, cur Heynius offenderet in loco Apollodori II. 7. 5. ἄγων δὲ Δηϊάνειραν ἐπὶ ποταμὸν Εὔηνον ἧκεν, ἐν ᾧ καθεζόμενος Νέσσος ὁ Κένταυρος τοὺς παριόντας διεπόρθμευε μισθοῦ — At Ovidius tamen scripsit I. Trist. 2. 65.

Mittere me Stygias *si iam voluisset* ad undas.

Nemini, ne ita scriberet, interdictum erat. Quidam tamen libri exhibent *in undas.* Haec scriptura proficisci non potuit a librario indocto; at potuit ab Ovidio, poeta eruditissimo. Apud Propertium adhuc ita editur II. 34. 53.

> *Nec si post* Stygias *aliquid restabit* ad undas.

Edd. principes, *restaverit undas.* Huic lectioni utique praeferenda est vulgata, modo intelligas, quod neminem vidisse miror, *post* non esse praepositionem sed adverbium pro *postea*, sicut II. 3. 48. Hoc non capientes librarii fecerunt *post Stygias* — restaverit *undas.* Enimvero non credibile est, Propertio hanc ambiguitatem placuisse, quum in promptu esset scribere:

> *Nec si post* Stygiis *aliquid restabit* in undis.

At *in* vastos amnes, et statim *in* ignava aqua, hoc ferri nequit. Similis observatio similem peperit emendationem I. 5. 19 — 20. *Ah* mihi felicem — *sed*, pro *At* mihi felicem — *sed* renuente deo. Quasi non sexcenties ita scripserint Veteres. Virgilius VI. Aen. 404.

> Ad *genitorem* imas *Erebi descendit* ad umbras.

Sed hic etiam Menag. habet *in umbras*, Goth. *in undas.* Utrumque bene habet. Vide Comment. de Orph. Argon. p. 12. Homerus Od. α. 183.

> πλέων ἐπὶ οἴνοπα πόντον ἐπ' ἀλλοθρόους ἀνθρώπους
> ἐς Τεμέσην μετὰ χαλκόν.

58. IN IGNAVA — ORCUS AQUA] Falso Heynius scribit, Venet. 1475. habere *ignaram.* Habet hoc cod. Heinsii chartaceus. Askew. *ignara.* Vindob. *et ignava.* Codd. Paris. Lips. et nonnulli alii libri *Orchus.* Servius ad I. Georg. 277. „*Probus* Orchus *legit.* (pag. 1455. Putsch.) *Cornutus vetat adspirationem addendam.*" Vide Broukhusium.

ELEGIA IV.

Di meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quae tulit extrema pessima nocte quies.

ELEGIA IV.

1. DII MELIORA FERANT, NEC SINT INSOMNIA] Sic cod. Lips. cum aliis. Complures cum Paris. *nec sint mihi somnia vera.* Ed. mai. a. 1472.

> Dic *meliora ferant, nec sint mihi somnia vera.*

Huc accedunt Edd. veteres Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. nisi quod pro *Dic* habent *Dii.* Altera Ed. a. 1472.

> *Dii meliora ferant: nec mihi sint somnia uera.*

Tertiam lectionem expressit Rom. 1475. cum commentario Cyllenii, *nec sint mea somnia vera.* Ita etiam Venett. 1491. 93. Cyllenius tamen *insomnia.*

2. EXTREMA PESSIMA NOCTE QUIES] Cod. Lips. *hecsterna,* coniungens una voce duas lectiones diversas, *hesterna,* quam exhibent Paris. Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. etc. et *externa,* quam habet altera Ed. 1472. Placet *extrema* propterea, quod v. 21. somnium matutino tempore oblatum dicitur. Nonnulli libri, ut Paris. habent *pexima* pro *pessima.* Ed. min. a. 1472. *proxima.* Ita etiam duo Voss. et Guelf. 3.

Ite procul, vani, falsumque avertite visum;
Desinite in somnis quaerere velle fidem.

V. 3. Somni *pro* vani. 4. vanis.

3. ITE PROCUL, VANI] In hac lectione consentit omnis antiqua Editio. Consentiunt libri scripti tantum non omnes. Nimirum perpauci exhibent:

Ite procul vanum *falsumque avertite visum.*

In qua scriptura etsi desiderantur, quos procul ire iubet poeta, tamen Scaliger hoc reposuit, illud delevit, fingens, insomnia procul ire iuberi. Somnia interdum alloqui poetas, probe scio. Eadem tamen, quae *falsi visi* nomine complectitur Tibullus, quo modo hoc ipsum visum *avertere* possint, non magis intelligo, quam qua ratione substitui hoc versu possint, quae antea non allocutus erat, insomnia. Hactenus bene Vossius reposuit *Somni* pro *vani*, modo non haec etiam emendatio *somnia* somnia *avertere* iuberet. Cui incommodo occurrere conatus est Wassenbergius apud Waardenburg. Opuscc. p. 182. emendans:

Ite procul vani falsique facessite visus.

Sed quamquam Veteres distinguunt *vanum* a *falso*, tamen tolerari nequit haec tautologia, *Ite procul vani visus*, *facessite* procul *falsi visus*. Redeamus igitur ad veteres Editores. Hi probe perspexerunt praestantiam receptae lectionis, intelligentes, *vanos* absolute poni pro *vatibus vanidicis*, iisque opponi v. 5. et 11. *vera monentes* seu, *vates veridicos*. Gellius XVIII. 4. *Nos autem postea ex Apollinari didicimus*, vanos proprie *dici*, *non ut vulgus diceret*, *desipientes aut hebetes aut ineptos*, *sed ut Veterum doctissimi dixissent*, mendaces *et* infidos *et* levia *inaniaque pro* gravibus *et* veris *astutissime componentes*. Vide Ciceronem Div. I. 19. Virgilius I. Aen. 592.

Ni frustra augurium vani *docuere* parentes.

Servius, *Vani parentes,* qui res falsas et inanes docent. Iam *vani* et *veri* vates plane ita distinguuntur Latine, ut ἀλαζόνες et ἀληθεῖς Graece, qui antiqua Dorum lingua vocabantur etiam καταλαθισταί. Vide Hemsterhusium ad Luciani Dial. Mort. XXIX. p. 447. et ad Timaei Lex. Plat. p. 112. Bene Statius adscripsit: „*Vani*, mendaces. *Vero* enim Plautus opponit in Mostell.

Vera *cantas*, vana *vellem patris amicus videlicet.*"

Propertius III. 8. 17.

His ego tormentis animi sum verus aruspex.

Ib. III. 13. 59.

Proloquar atque utinam patriae sim vanus aruspex.

Iuvenalis VI. 638.

Nos utinam vani! *sed clamat Pontia, feci.*

Porro pro *falsum*que avertite *visum* Waardenburgius reponit *falsum* ne advertite *visum.* Non male. Sic in simillimo versu Statii I. Silv. 5. 15.

Ite, *Deae virides, liquidosque* avertite *vultus,*

hodie legitur *advertite* ex emendatione Angeli Politiani.

4. DESINITE IN SOMNIS QUAERERE — FIDEM] Sic unus Italicus, mea sententia, optime. Caeteri *in votis*, quod adsumpserunt vett. Editores. Cod. Lips. *innotis.* In ora Ed. Reg. Lep. *ignotis.* Muretus *in vanis.* Scaliger *in vobis.* Guyetus *in nobis.* Heinsius *in veris.* Inconcinne omnes. Cicero Div. II. 59. *Quod si, ceteris temporibus*, falsis visis credendum non est; *non video, quid praecipui* somnus *habeat, in quo valeant* falsa *pro* veris. — *Quod si insanorum* visis fides non est habenda, *quia falsa sunt;* cur credatur somniantium visis, *quae multo etiam perturbatiora sunt, non intelligo.* Conf. v. 12. Ovidius XV. Metam. 565.

Aut sua fluminea quum vidit Cipus in unda,

Cornua, vidit enim, falsamque in imagine *credens*

Esse fidem —

Divi vera monent; venturae nuntia sortis,
Vera monent Tuscis exta probata viris:
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere iubent:
Et natum in curas hominum genus omina noctis
Farre pio placant et saliente sale.

V. 8. vana. 9. At.

5. VENTURAE NUNTIA SORTIS] Dresd. *mortis*. Mendose. Cicero I. N. D. c. 25. *Timuit Epicurus, ne, si unum* visum *esset* falsum, *nullum esset verum; omnes sensus* veri nuntios *dixit esse*.

8. MENTES FALSA TIMERE IUBENT] Cicero Div. II. 62. *Quid inscitius autem est, quam* mentes *mortalium* falsis et mendacibus visis *concitare?* — Nullus liber *vana* habet, repositum propterea ab Editore, quia praecesserat v. 7. *fallaci*. Infra non offendit El. 6. 46. loco magis suspecto:

Aut fallat *blanda sordida lingua prece:*
Etsi perque suos fallax *iurarit ocellos.*

9. ET NATUM IN CURAS HOMINUM GENUS] Locus varietate lectionis notabilis. Ed. mai. a. 1472.

Et natum in curam *hominum genus.*

Hoc habet etiam Ed. Lips. apud Heynium. Accuratius Vicent. *Et natum in curas.* Sic duo libri Statt. cum nonnullis Broukh. Heyn. et Voss. probante Mureto. Monac. et Vindob. *At natum in curas.* Ab Editione principe paullulum discedunt Venet. 1475. Reg. Lep. et Lips. quam Vossius comparavit, *Et* uanum *in curam* hominum *genus*. Longius ab his discedit Ed. min. a. 1472.

Et uanum uentura hominum genus.

Sed tamen, utcunque est, sive illi vera monenti,
Mendaci somno credere sive volent;

V. 11. moneri. Sic Askew. Voss. 5. duo Broukh. et Lips. Longissime aberrant Ed. Rom. 1475. Venett. 1491. 93. Aldd.

Et vanum metuens hominum genus.

Quod in libris aliquot sic expressum: *Et tantum metuens*, *Et vatum metuens*. Habes omnem fere scripturae varietatem, ortam, nisi fallor, e lectione mendosa, qualem exhibent Paris. et Bern. *Et natum maturas*. Huic alius hoc, alius illud substituit. Probabilis lectio est *At natum in curas*. Ovidius XIV. Metam. 98.

Nec non prius abstulit usum
Verborum et natae dira in periuria *linguae*.

Non minus tamen probabilis lectio est viri docti, adscripta margini Ed. Reg. Lep. „Septem MSS. *Et vanum ventura hominum genus* — Quae vera est tot libris scriptura, modo legas:

Et vanum venturi *hominum genus:*

quomodo saepe loquitur Silius Italicus. Palat. sextus (apud Gebhardum) *Et natum in curas*. Sed Graecismus caussa erroris.“ Est haec palmaria emendatio, qua certe meliorem ex illa lectione eruere nemo poterit. Non ita modo Silius scribit, sed etiam Virgilius X. Aen. 630.

Nunc manet insontem gravis exitus, aut ego veri
Vana *feror*.

Silius XII. 261.

Nec forsan voti vanus *foret*.

Tamen probabilitas huius coniecturae evanescit prae vulgata vel propter *Vanum*, non inferendum ultro huic carmini, ut v. 8. sed potius, ubi fieri possit, expellendum, ut v. 68. — Omina *noctis*. In Paris. *noctis* a recentiore manu additum est, erasa, quae prius posita erat, voce.

10. PLACANT] Reg. Lep. *placent*. Ed. Lips. apud Heynium, *Farre pioque placent*.

11. ET TAMEN — VERA MONENTI] Thuan. Flo-

Efficiat vanos noctis Lucina timores,
 Et frustra immeritum praetimuisse velit:
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto,
 Nec laesit magnos impia lingua Deos.

rent. et Vatic. *Sed tamen.* Recte. De confusione formularum *Et tamen*, *Sed tamen,* vide primam Bentleii annotationem ad Terentium. Ed. mai. 1472. Vicent.

> Sed *tamen utcunque est sive. illi vera* monenti.

Altera Ed. a. 1472. Venet. 1475.

> Et *tamen utcunque est sive illi vera* moneri.

Venett. 1491. 93. *Et — monenti.* Paris. *Et — moneri.* Lips. *Et — moveri.* Vide ad v. 3. Vera haud dubie lectio est Ed. principis, quam confirmant duo Statt. Land. et Pocchi Excerptt. Tibullus II. 4. 51.

> Vera *quidem* moneo, *sed prosunt quid mihi vera?*

Statius VIII. Theb. *et* vera monentibus *aris.*

12. VOLENT] Paris. Heins. Askew. Goth. *velint.*

13. VANOS NOCTIS — TIMORES] Propertius I. 5. 29.

> *Ne qua tibi insolitos portarent visa* timores.

Cicero pro Coel. 15. *qui te amat plurimum: qui propter, nescio quam, timiditatem et* nocturnos quosdam inanes metus *tecum semper pusio cum maiore sorore cubitavit.*

14. IMMERITUM PRAETIMUISSE] Vulgo *pertimuisse.* Correxit Gebhardus. Confirmant Dresd. Corvin. Monac. Goth. duo Voss. Sed Lips. ita:

> *Et frustra* immemorem tum *timuisse velit.*

15. SI MEA NEC] Lips. Palatt. plerique, unus Brouk-

Iam Nox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum caeruleo laverat amne rotas:
Nec me sopierat menti Deus utilis aegrae;
Somnus sollicitas deficit ante domos.
Tandem, quum summo Phoebus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies.

hus. *Dii.* Edd. vett. *Sic.* Vicent. et Venett. 1491. 93. Aldd. *Si.*

16. MAGNOS — LINGUA] Paris. *magicos.* Lips. *turba.*

17 — 18. AETHERIUM — EMENSA — MUNDUM] Omnes penes me libri antiquiores habent *aethereum — emersa*, praeter Ed. principem et, nisi fallor, Vicent. quae exhibent, *aethereum — emensa.* Hoc legi in Bas. a. 1530. testatur Vossius. Altera Bas. a. 1569. *aetherium — emersa.* Cod. Lips. *magris emersa — Non dum.*

19 — 20. MENTI DEUS UTILIS AEGRAE SOMNUS] Sic adhuc omnes Editores locum interpunxerant, ut *Somnus* retraheretur ad versum superiorem. Ed. Reg. Lep. *Somnus: sollicitas* etc. Sed vir doctus, quem saepe laudavi, adscripsit: „L—

Nec me sopierat menti deus utilis aegrae;
Somnus sollicitas deficit ante domos.

Optime. Nec alia distinctio admittenda.“ Hoc idem Vossius Marte suo assecutus est, recte caeteroquin monens, hanc distinctionem evertere emendationes Heinsii, *deficit ille domos*, vel *defit is ante domos.* Monendum tamen, veram interpungendi huius loci rationem iam dudum demonstravisse Gulielm. Canterum Novv. Lect. L. c. 18.

21. SUMMO — PROSPEXIT AB ORTU] Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Reg. Lep. Brix. *somno*, ut est in nonnullis libris. Venett.

Hic iuvenis, casta redimitus tempora lauro,
Est visus nostra ponere sede pedem.
*Non illo quidquam formosius ulla priorum
*Aetas, humanum nec videt illud opus.

V. 23. lauru. 25. Non illo vidit. 26. (human. nec fuit illud).

1491. 93. *sono*. Bene Cyllenius: Prospexit. coepit apparere in diluculo. — Nam *summus ortus* est *extremus* vel, quod Heynius ponit, *primus ortus*. Vide annotationem ad I. 4. 22. p. 116. *per* freta *summa*. Male Marklandus corrigebat ab *Oeta*. Quidni primo ab ortu, statim ubi *apparere* coepit, *prospicere* terram Sol dicatur? Homerus Od. λ. 15. de Cimmeriis, quos numquam

Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν —

quod Tibullus vertit IV. 1. 65.

Queis numquam candente *dies apparuit* ortu.

22. PRESSIT — LUMINA SERA] Ed. princ. Vicent. Reg. Lep. *Praessit*. Altera Ed. a. 1472. *Pressit* — lumina *fessa*. Sic alter Witt. tres Statt. Vindob. At Hamb. *lumina victa*. Haec varietas orta est ex I. 2. 2.

Occupet ut fessi *lumina* victa *sopor*.

23. CASTA REDIMITUS — LAURO] Askew. Vindob. Goth. et Bern. *lauru*. Mei libri omnes *lauro* habent, ut II. 5. 5. et 117. Charisius ipse, qui hanc formam reprobat p. 109. versum Virgilii III. Aen. 81. ita profert:

et sacra redimitus tempora lauro.

25 — 26. NON ILLO — ILLUD OPUS] Scholastica *νόησις*, Tibullo prorsus indigna, sive sententiam ipsam spectes sive verborum insolentiam. Sic se digne laudaturum putavit

is, qui versus adscripsit, praeclaram Apollinis speciem, quam informavit poeta, omni illam quidem laude dignam, sed non tam inepta et inficeta. Venit interpolatori in mentem, poetas interdum pulchros homines comparare cum statuis, ut Tibullus, nisi fallor, ipse I. 9. 17. quem ad modum Petronius c. 126. *mulierem omnibus simulacris emendatiorem* dicit. Sed quis *deum* omnibus simulacris emendatiorem dicat? quod per se intelligitur. Hominem deo pulchriorem est qui dixerit Q. Catulus loco egregio. Cicero I. N. D. 28. Q. Catulus, huius collegae et familiaris nostri pater, dilexit municipem tuum Roscium, in quem etiam illud est eius:

> *Constiteram* exorientem Auroram *forte salutans*,
> *Cum subito a laeva* Roscius exoritur.
> *Pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra,*
> Mortalis visu'st pulcrior esse deo.

Sic Phoebo Augustum pulchriorem dicit Propertius loco item egregio sed corrupto II. 31. 5.

> *Hic* EQUIDEM Phoebo visus mihi pulcrior *ipso*
> *Marmoreus tacita carmen hiare lyra.*

Sermo est de Augusto, *cui simulacrum factum cum Apollonis cunctis insignibus*. Hic igitur, vir primarius, simpliciter ac paene contemtim *Quidam* a Propertio dictus? Credat Marklandus, non ego. Aut melior emendatio admittenda, aut nulla. Mihi sic scripsisse videtur ille:

> *Hic* FIDICEN *Phoebo visus mihi pulcrior ipso.*

Nosti, a quo dictus sit Phoebus *Doctor argutae* fidicen *Thaliae*, vel, *Ductor Argivae* fidicen *Thaliae*. Sed redeo ad Tibulli interpolatorem. *Non ulla,* inquit, priorum *aetas* vidit formosius *opus*. Nunquam ita scribunt Veteres, sed vel *aetatem priorum* vel *aetatem priorem,* non *aetates* maiorum *plures* commemorant, nisi ubi de aurea, argentea et ferrea loquuntur. Ovidius I. Fast. 529.

> *Pars etiam, fieri solitis* aetate priorum
> *Nomina de ludis Graia tulisse diem.*

Intonsi crines longa cervice fluebant;
Stillabat Syrio myrtea rore coma.

V. 28. **Spirabat.**

Idem II. ex Pont. 6. 27.

Quos prior *est mirata, sequens mirabitur* aetas.

Sic alibi simpliciter *priores* ponuntur, ut Graece ἄνδρες vel ἄνθρωποι πρότεροι vel etiam simpliciter οἱ πάρος. Homer. Il. φ. 405. Eurip. Med. 1279. Hactenus Ed. mai. a. 1472. rectius expressit *illa* pro *ulla*. Iuvenalis I. 151. *unde* illa priorum *Scribendi — simplicitas?* Pro *videt* unus Stat. *fuit.* unus Broukh. *valet*, (pro diversa lectione *videt.*) Heinsius coniiciebat, *nec dedit.* Heynius, *Non* vidit *quicquam — nec fuit.* Vir doctus ad marginem Ed. Reg. Lep.: f. *nec videt* ullus *opus.* Addit tamen: „Versus mendosus et olens iuncturam.“ Huic igitur pentameter, mihi totum distichon subditicium videtur. Quo eiecto non magis aliquid desiderabitur, quam apud Balbum, qui hunc locum paene ad verbum descripsit T. I. p. 128. sine ullo versuum illorum indicio:

En Phoebus viridi redimitus tempora lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.
Candida vestis erat viridi distincta smaragdo,
Stabat et in toto plurimus ore decor.
Intonsi crines longa etc.

28. STILLABAT SYRIO MYRTEA — COMA] Et consuetudo Tibulli et consensus librorum scriptorum veterumque Edd. commendant lectionem *Stillabant*, cui perpauci substituerunt *Spirabant.* Vide Spanhemium ad Callimachi H. in Apoll. 59. et quae annotavimus supra ad I. 7. 51. Mei libri omnes pro *Syrio* habent *tyrio* vel *thyrio.* Askew. Bern. et Vindob. *Syrio.* Vide III. 6. 63. Pro *myrtea* Paris. *mirthea.* Lips. *mirtea.* Venet. 1475. et Reg. Lep. *myrthea.* Sed Edd. principes *myrtea.* Hanc lectionem primus impugnavit Cyllenius: Legitur, inquit, et *myrthea* coma. quod a

Candor erat, qualem praefert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus:
Ut iuveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras, ore rubente, genas:

V. 32. tota rubore.

nobis non probatur. Scimus enim ab omnibus quot legi auctoribus scriptum esse, Apollinem cingi laurea, non *myrtho*. etc. Hinc in Edd. Venett. 1491. 93. expressum *myrrhea*. Atqui hic de coma sermo est, non de corona. Heynius de *myrtea coma*, quam admisit, scribit, Moneri tamen potest illud, Apollini fere *flavum* et *aureum* tribui capillum, non facile *fuscum* et *nigricantem*. Nempe in memoria ei haerebat ὁ χρυσοκόμας Ἀπόλλων, quem poetae vulgo dicunt, v. c. Euripides Suppl. 975. Pindarus Isthm. VII. 69. Hemsterhusius ad Lucianum Tim. 4. T. I. p. 107. „Aurei plerumque Deorum crines, (in statuis) quique adeo furum cupiditatem irritare poterant.“ Enimvero pictores *fuscum* et *nigricantem* Apollini tribuebant capillum. Vide praeclaram disputationem Sophoclis cum grammatista Eretrio apud Athenaeum XIII. p. 603. *Οὐδ' ὁ ποιητὴς, ἔφη, (σοὶ ἀρέσκει) λέγων, χρυσοκόμαν Ἀπόλλωνα; χρυσέας γὰρ εἰ ἐποίησεν ὁ ζωγράφος τὰς τοῦ θεοῦ κόμας, καὶ μὴ μελαίνας, χεῖρον ἂν ἦν τὸ ζωγράφημα.* Quem locum alibi illustravimus.

29—30. CANDOR ERAT, QUALEM PRAEFERT —) Nonnulli libri *perfert*, *profert*. Mendose. *Praeferre candorem*, ut *imaginem modestiae prae se ferre* apud Tacitum. Catullus LXIV. 194.

Frons exspirantes praeportat pectoris iras.

Cicero I. N. D. 27. *Dicemus ergo idem quod in Venere Coa: corpus illud non est, sed simile corpori, nec ille* fusus et candore mixtus rubor *sanguis est, sed quaedam sanguinis similitudo.*

31. UT IUVENI PRIMUM VIRGO] Incognitam adhuc lectionem offert cod. Lips.

Ut iuveni primum iuvenis deducta marito.

52. INFICITUR — ORE RUBENTE, GENAS] Duo Anglicc. *Infecit.* Vulpius ita: *Inficere* hoc loco est *tingere.* Unde *infectores* tinctores. Hic igitur verbum eo sensu cepit, quo Caesar V. Bell. Gall. 14. scribit: *omnes vero se Britanni vitro* inficiunt, *quod caeruleum efficit colorem.* Est, qui in eandem sententiam disputet, et locum sensu cassum pronuntiet. At locus ut nulla lectionis varietate inquinatus, ita est sanissimus. Nam quod duo libri habent *Infecit*, ortum hoc est e scriptura, qualem exhibet cod. Lips. *Inficit*˘, pro *Inficitur.* Iam qui *inficere* sumunt pro *tinguere*, similiter decipiuntur ut, quem modo dixi, grammatista Eretrius, quum Sophocles in convivio pronuntiabat versum Phrynichi:

λάμπει δ' ἐπὶ πορφυρέαις παρῆϊσι φῶς ἔρωτος.

(Porson. Adverss. p. 136. παρῆσι.) Nimirum grammatista vocem πορφύρεος proprie accipiens hactenus recte reprehendebat Phrynichum: εἰ γὰρ ὁ ζωγράφος χρώματι πορφυρέῳ ἐναλείψειε τουδὶ τοῦ παιδὸς τὰς γνάθους, οὐκ ἂν ἔτι καλὸς φαίνοιτο. At Sophocles recte hominem irridebat, opponens ei inter alia exemplum Aurorae, quam poeta ῥοδοδάκτυλον dicit: εἰ γάρ τις εἰς ῥόδεον χρῶμα βάψειε τοὺς δακτύλους, πορφυροβαφοῦς (πορφυροβάφου) χεῖρας καὶ οὐ γυναικὸς καλῆς ποιήσειε. Eodem fere modo refutandi sunt, qui *inficere* hic sumunt pro *tinguere*, quod ipsum verbum translate posuit supra Tibullus I. 8. 52.

Sed nimius luto corpora tinguit *amor.*

Inficere in universum est *alterum cum altero commiscere* ita, ut propria rei indoles et natura pereat. Quod Graeci dicunt μιαίνειν, φθείρειν, χραίνειν, Latini *violare, corrumpere, polluere.* Iis, quae supra de hac re annotavi ad I. 9. 17. adde, quae scripsit Schaeferus ad Dionysium Halic. p. 129. Ut autem omnia illa, quae proposui, verba media sunt, ita etiam *inficere*, quod bono sensu usurpavit Tibullus, malo Horatius Ep. VII. 15.

Tacent et ora pallor *albus* inficit.

Iam Tibullus ut exprimeret

Ut, quum contexunt amarantis alba puellae
Lilia; ut autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla;
Namque haec in nitido corpore vestis erat.

V. 36. Quae cocco — corpora vesticrat.

illum *candore mixtum ruborem*, qua meliore uti poterat verborum compositione? Quod si scripsisset *tota rubore*, et verbum *inficere* et comparationes, quas subiecit, effectu carerent, nec appareret, quorsum commemorasset *genas*, partem totius. Nunc recte scripsit *ore rubente*. Ubi enim *os* pudore *rubet*, genae *inficiuntur*, ut cum praevia luci

Tradendum Phoebo Pallantias inficit *orbem.*

Hinc Laevius vicissim *rubentem Auroram* appellavit *pudoricolorem*. Gellius XIX. 7. Cf. Ovidius II. Am. 5. 33 — 36. Propertius II. 3. 9 — 14. Ennius apud Nonium c. VIII. 4.

Etsi mulier erubuit *ceu* lacte *et* purpura mista.

33. UT — AMARANTIS] Edd. vett. *Et — amaranthis*. Cod. Lips. *Et — adamantis*. Paris. *Et — amarantis*. Aldd. *Ut*. Etiam v. 34. vulgo *et* legebatur, cui Broukhusius substituit *ut*, confirmantibus id Monac. Bern. Hamb. et Voss. 2.

36. NAMQUE HAEC IN NITIDO] In hoc versu primus offendit Vulpius, scribens: Huic versui, aut ego valde fallor, *περισσότης* et *ψυχρότης* quaedam inest. Satis enim fuerat pallam in hexametro nominasse, ut intelligeremus, hac veste Apollinem indutum fuisse. Temeraria crisis. Non tam vulgare vestimenti genus erat *palla talaris*, ut satis fuisset eam in transcursu nominare, sed certo illa hominum generi peculiaris erat et propria,

Artis opus rarae, fulgens testudine et auro,
Pendebat laeva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno,
Felices cantus ore sonante dedit.

e qua intelligi potissimum poterat, *statum* iuvenis, qui describitur, *prorsus citharoedicum* fuisse. Vide Salmasium ad Tertull. de Pallio p. 469. et Boettigerum ad Longinum p. CLIX. ed. Weisk. Huc animum advertere nos iubet poeta, more suo addens:

> *Namque* haec *in nitido corpore* vestis *erat.*

In libris nulla prorsus diversitas est, nisi quod Edd. vett. ut alibi, ita hoc loco *Nanque* habent pro *Namque*, in ora autem Ed. Gryph. 1573. *hoc* notatum legitur pro *haec*, sensu minus commodo: *non nudus erat iuvenis, sed* in hoc nitido corpore *vestis erat.* Hymnus Homer. in Solem v. 13.

> *καλὸν δὲ περὶ χροῒ λάμπεται ἔσθος.*

39. HANC PRIMUM VENIENS] Libri L. et B. quos citat Burmannus apud Vossium, id est Laud. et Bodlei. pro *veniens* habent *Veneri*, unde ille formabat *feriens;* Schraderus *verrens* vel *moderans*. Male. Terentius Eun. III. 2. 4.

> *quam venuste! quod dedit*
> *Principium* adveniens.

Orator pro Domo 2. §. 4. *Tune es ille, inquit — quo restituto, Senatus auctoritatem restitutam putabamus, quam* primum adveniens *prodidisti?* Cicero Pis. 16. §. 38. *qui* ut venit *statim* —. Pro *Hanc — modulatus* Heynius malit *Hac — modulatus*. Unde oratio evadit prorsus inficeta. Nec admittenda est altera eius emendatio, *moderatus*. Sic Gronovius Diatr. p. 56. *moderatus* reponit in Claudiani Praef. ad II. Rapt. Pros. 15. pro

> *Et resides leni* modulatus pectine *nervos.*

Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
  Edidit haec dulci tristia verba modo:
Salve cura Deûm; casto nam rite poetae
  Phoebusque et Bacchus Pieridesque favent.
Sed proles Semelae Bacchus doctaeque Sorores
  Dicere non norunt, quid ferat hora sequens:

Sed locutionem *modulari lyram* bene illustravit Vossius, qui et hunc versum laudat et Senecae Med. 626.

42. DULCI TRISTIA] Sic Monac. et Bern. ut e coniectura edidit Broukhusius. Vulgo *tristi dulcia.* Nonnulli *sono* pro *modo.* Ed. min. a. 1472.

Haec edidit tristi dulcia verba modo.

43. CURA DEUM] Ovidius III. Amor. 9. 17.

At sacri vates et divum cura *vocamur.*

45. PROLES SEMELAE — SORORES] Vulgo *Semeles.* Libri tamen nonnulli *Semelae.* Vide I. 2. 52. Pro *sorores* cod. Lips. *puellae.* Ex interpretatione, nisi fallor, ut intelligatur, quae illae sint *doctae Sorores.* Sed ita saepe Musae vocantur, v. c. apud Ovidium V. Metam. 255. Quid? quod eaedem *Sorores* saepe dicuntur simpliciter. Propertius II. 30. 27.

Illic adspicies scopulis haerere Sorores.

Rursus III. 1. 17. Sed III. 3. 33. *novem — puellae.* At statim subiicitur v. 37.

E quarum numero me contigit una Sororum.

Sic pro *dearum* edidit ex uno alteroque libro Broukhusius. Quam lectionem poterat confirmare exemplo Virgilii Ecl. VI. 65.

Aonas in montes ut duxerit una Sororum.

At mihi fatorum leges, aevique futuri
Eventura, pater posse videre dedit.
Quare, ego quae dico non fallax, accipe, vates,
Quodque Deus vero Cynthius ore feram.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec cupido bella puella viro:
Pro qua sollicitas coelestia numina votis;
Quae tibi securos non sinit ire dies:
Et, quum te fusco Somnus velavit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus:

V. 49. quid dicam. 50. Quidque. 56. Vanis nocturnum ludit.

et Ovidii V. Metam. 268.

quam sic affata est
una Sororum.

47. AEVIQUE FUTURI] Guelf. 2. *cuiusque*. Paris. *cuicunque futuri*.

50. QUODQUE — FERAM] Ed. mai. a. 1472. Vicent. et Reg. Lep. *Quidque — ferat*. Ed. min. Venett. 1491. 95. Aldd. etc. *Quodque — ferat*. Sed Broukhusius recte substituit *feram*. Eaedem Edd. v. 49. *quae dico*. Duo libri *qui dicor*. Perperam. Sensus est: Tu et hoc, quod cum maxime *dico*, et ea, quae deinceps *dicturus sum*, ut vera accipe. Vates enim sum *non fallax*. Propertius IV. 8. 74.

Accipe, *quae nostrae*
formula legis erit.

54. IRE DIES] Tres Anglicc. Witt. et Lips. *esse dies*. Sic etiam Ed. min. a. 1472.

55. ET QUUM — SOMNUS VELAVIT AMICTU] Cod.

Lips. *Que*, id est, *Quae* pro *Et*. Caeterum Heynius scribit, *Nova imagine* Somnus hic amictu suo obnubere dicitur, quorum oculos vincit. Nova vero? Immo antiquissima imagine. Somnus ipse apud Homerum Il. ξ. 359. ubi de Iove dormiente refert,

> αὐτῷ ἐγὼ μαλακὸν
> περὶ κῶμ' ἐκάλυψα,

hoc ipsum dicit, se Iovem *sopore*, tamquam *velo*, cooperuisse, *velasse*. Conf. Od. σ. 200. Nec ego cum Schneidero riderem personatum Orpheum, si finxisset, Somnum vel Somnium *umbrae vestem* iniecisse Aeetae Argonautt. 777. Nunc ei non *εἶμα* sed *δεῖμα πέλωρον ἔσκηψεν περὶ φρένας*, quod alii iam monuerunt. Recte tamen apud eundem v. 543. Iason dormiens inducitur *κῶμα περὶ βλεφάροισι βαλών*, non *λαβών*, quod, praeeunte Ruhnkenio, reposuit Hermannus. Dictum enim illud est, sicut apud Homerum Od. δ. 245. *σπεῖρα κάκ' ἀμφ' ὤμοισι βαλών*. Cicero I. Tusc. Disputt. c. 38. *Habes* somnum *imaginem mortis*, *eamque quotidie* induis. — Redit in memoriam *Mors tenebris adoperta caput* I. 1. 70. Sed has etiam *tenebras*, *ἠέρα*, *nubem* vel *nebulam*, qua Homerus deos, ne conspiciantur ab hominibus, circumfundit simpliciter, in *nebulae amictum* mutavit Virgilius, praeeunte tamen Homero ipso.

56. VANUM NOCTURNIS FALLIT] Nonnulli libri *ludit* habent pro *fallit*. Codd. Paris. et Lips. *ymaginibus*. *Ludit* legas an *fallit*, parum interest. Virgilius I. Aen. 408. *Quid natum — falsis Ludis imaginibus?* Ecl. II. 27. *si numquam* fallit *imago*. Enimvero nemo sibi facile obtrudi patietur, reclamantibus praesertim libris omnibus, *Vanis nocturnum*, vixque reperietur, qui credat, hodieque pro non latina habitam esse scripturam *Vanum fallit*. Charisius p. 265. Inludo vario *et* vanum. *Vanus* est non modo is, qui fallit, sed etiam is, qui fallitur. Vide notata ad vss. 5. et 9. Claudianus XXXIII. 98.

> *aut* vanas *tonitru*
> deludimus aures?

Ubi item alii substituerunt *vario — aures*, ut ille *Vanis nocturnum*. Ovidius II. ex Pont. 9. 29.

> Vana *laborantis si* fallat vota *coloni*.

Carminibus celebrata tuis, formosa Neaera
Alterius mavult esse puella viri:
Diversasque tuis agitat mens impia curas,
Nec gaudet casta nupta Neaera domo.

V. 59. suas.

58. MAVULT ESSE] Libri consentiunt, discrepant Editiones. Nam Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. habent *maluit*. Reg. Lep. mendose *manuli*. Nec illud fortuito factum. Nam nunc ipsum video, cod. Paris. habere *maluit*. Ed. min. a. 1472. *mavult*.

59. DIVERSASQUE TUIS — MENS IMPIA] Non ausus sum hanc lectionem expungere, quum et per se probabilis sit, et firmetur etiam libro Vindob. Lipsius eam coniectura assecutus erat: in ordinem receperunt Broukh. Vulpius, Heynius. Vulgo *Diversasque suas agitat — curas*. ubi, recte monente Heynio, *suas* plane est otiosum, ne dicam vitiosum. Convenit hoc nostrae potius, quam latinae linguae, quae pronomen *suus* non sic solet adiicere ἐκ περιουσίας. Pro *obire diem supremum* sunt, qui dicant, *obire diem suum*, nemo *obire diem* suum *supremum*. Monuit Cellarius in Antibarbaro. Vide interpretes ad Orat. de Harusp. Resp. c. 20. §. 43. *Saturninum — a sua frumentaria procuratione Senatus amovit*. Ergo iam Muretus legebat *Diversasque suis*, id est, propinquis ac gentilibus. quod non placet. Gebhardus, Diversoque *suas — agitat curas*. De qua emendatione audiamus virum doctum, ad oram Ed. Reg. Lep. ita scribentem: „*Diversoque* Gebhardus, qui Claudianum male citat I. de Rapt. Proserp. 118.

Audierat mandata pater, secumque volutat
Diverso *ducens animos*.

Inibi enim melius *Diver-*

Ah crudele genus, nec fidum femina nomen!
Ah pereat, didicit fallere si qua virum!
Sed flecti poterit; mens est mutabilis illis.
Tu modo cum multa brachia tende prece.

sos, et ita omnes libri. (Vid. Gesn.) Ita hic quoque non *Diverso* hoc est varia in loca, sed in diversum a Tibullo alterum amabat Neaera. Vera lectio ab aliis inducta *Diversasque tuis* pro *a tuis*. — Cedo usum *τοῦ diverso* in aliquo scriptore huius aevi, immo Latino. Si quidem tuis te verbis in me invehentem alloquor. Nam Claudianum manifesto corrumpis." Recte adverbium *diverso* ut inusitatum designat vir doctus. Terentius And. I. 5. 25.

> *Tot me inpediunt curae, quae meum animum* divorsae *trahunt.*

Ibi alii *diverse* legunt, alii *divorsum*, nemo *diverso*. Gesnerus ad Claudiani l. c. profert e MS. Claver. *diverso*, additque, „*quod placet.*" At in Thesauro locum non consessit huic formae. Gellius VII. 17. *Alio quoque loco Virgilius verbo isto utitur* a tua sententia diverse. Vellei. Paterc. II. 80. 2. *in id furoris processerat, ut* — semper diversa his, *quae aliis placebant*, dicendo *totam victoriam ut suam interpretaretur*. —, Ed. Rom. a. 1475. Venett. 1491. 95. etc. *mens anxia.*

63. SED FLECTI POTERIT — ILLIS] Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. 1491. 95. Aldd. *illi.* Sic Paris. cum nonnullis Broukh. Sed Ed. min. a. 1472. Rom. 1475. codd. etiam complures, in his Lips. *illis*; quod recte restituit Scaliger. Praestat sententia generalis. Est autem

65 *Saevus Amor docuit validos tentare labores:*
Saevus Amor docuit verbera posse pati.

versus Homericus ex Il. *o.* 203.

ἤ τι μεταστρέψεις; στρεπταὶ μέν τε φρένες ἐσθλῶν.

64. CUM MULTA BRACHIA TENDE PRECE] Nescio, unde profecta sit lectio *fide* pro *prece*, quemve sensum illi subiecerint librarii veteresque Editores, qui maximo consensu *prece* neglexerunt, *fide* retinuerunt, donec tandem Broukhusius illud ex bonis aliquot libris, binis Vaticanis et Excerptt. Pocchi, Perr. et Lipsii, quibuscum conspirant Guelf. 2. Monac. et Hamb. tamquam e fuga revocaret et auctori restitueret. Eandem confusionem factam videbis infra El. 6. 46. Nec tamen bene Broukhusius locum interpretatur, cogitans de victis, simul ad precandum, simul in signum, quo se victos faterentur, brachia tendentibus, quum res potius repetenda sit a consuetudine Veterum, cum precibus simul brachia tendendi vel tollendi in coelum, ad deos, quod Apuleius expressit *porrigere in preces manus.* Vide ad I. 7. 53. Hinc Graeci et Romani pro *precari deos* vel simpliciter dicunt *χεῖρας ἀνασχεῖν θεοῖς, ἀείρειν θεοῖς*, *brachia tendere, protendere* diis, vel coniunctim *precari et brachia protendere diis*, in coelum. Homerus Il. *γ.* 318. *η.* 177.

λαοὶ δ' ἠρήσαντο, θεοῖσι δὲ χεῖρας ἀνέσχον.

Quam lectionem, Homero nunc redditam, egregie explanavit Wolfius Praef. p. LXXIX. Ed. a. 1804. Conf. Orphei Argon. 450. et 1020. Quare non satis accurate Valckenarius ad Callimachi Elegg. Fragmm. p. 86. tractavit locum Catulli de coma Berenic. v. 9.

quam multis illa Deorum,
Laevia protendens brachia, *pollicita est.*

Virgilius X. Aen. 667.

Et duplices cum voce manus *ad sidera* tendit.

65. SAEVUS AMOR — LABORES] Versus suspe-

ctus. Integrum habent Excerptt. Pocchi et Perr. Corvin. Voss. prim. et liber Cuiacii, ex quo eum Scaliger in ordinem recepit. Sed alium huic versum substituunt alii libri, ut Lips. Edd. vett. omnes:

Saevus Amor docuit dominae fera verba minantis.

Hunc versum etiam Paris. habet, ab eadem illum quidem manu scriptum, sed litteris minoribus. Duo Statt. *fera bella.* Unus Broukh. in contextu, alter in margine:

Te victum placidumque tuae monstrato puellae.

Fuit igitur in libris lacuna, quam pro captu ingenii alius aliter suppleret. Qua in re consentientem habeo virum doctum, ad marginem Ed. Vicent. quae servatur in bibliotheca Gotting. ita scribentem: „*Saevus amor docuit.* Suppositicius est hic versus. Pont. sic reposuit ex V. C.

Flere nec ante pedes pudeat, dominamque vocare."

Hunc versum a Pontano repositum esse, notavit etiam Perreius, monente Broukhusio in Libello Varr. Lectt. Neque tamen ex ingenio, sed ex V. C. reposuit. si fides habenda viro illi docto, quem Perreium ipsum esse probabiliter demonstravit Handius Observatt. Critt. in Catulli Carm. p. 22. — Ita est. Nam Perreius, cuius Excerpta nunc ob oculos habeo, primum ad versum illum, *Saevus — minantis*, quem etiam Aldd. habent, notat, *Novitius versus:* deinde addit, Pontanus reposuit *ab illo*, ut asserebat, *codice*, pro hoc novitio:

Flere nec ante pedes pudeat dominamque vocare.

Pon. Vel sic tamen versus suppositicius est. Vide Tibullum I. 2. 93. Ergo nihil sanum videtur ne in hexametro quidem recepto, nisi forte versus dimidium, *Saevus Amor docuit.* Nam quod addunt libri nonnulli, *validos tentare labores*, hoc et ipsum suspectum et ex interpolatione profectum videtur. *Tentare laborem* etiam Virgilius posuit V. Aen. 499. Sed *validos* tentare *labores* qui scripserit, neminem novi. Ferrem, si scripsisset auctor:

Saevus Amor docuit validos *tentare* leones.

Me quondam Admeti niveos pavisse iuvencos,
Non est in vanum fabula ficta iocum.

Propertius II. 19. 21.

Non tamen ut vastos ausim tentare leones.

Ubi temere Broukhusius e libro Groningano, qui toties in errorem coniecit editores, reposuit *temerare* leones. De Mimalione Propertius I. 1. 12.

Ibat et hirsutas ille videre feras.

66. VERBERA POSSE PATI] Rursus e libro Cuiacii, cui tres Voss. accedunt, Scaliger reposuit *verbera saeva*, deleta lectione elegantissima *posse pati*, quam exprimunt Edd. veteres sine exceptione omnes.

67. NIVEOS PAVISSE IUVENCOS] Ita Edd. Rom. a. 1475. et Venett. 1491. 93. Caeterae *niveas iuvencas*. Eadem varietas est in libris scriptis. Broukhusius *niveos iuvencos* reposuit, quia supra etiam II. 3. 11. Admeti *tauros* pavisse perhibetur Apollo. Adde, quod Graecorum hic potius mos est, de grege femininum genus usurpandi, v. c. Homeri Il. β. 763. Od. μ. 127. quam Latinorum. Quare Propertius etiam Solis *iuvencas*, quas dicit Homerus, mutavit in *iuvencos* III. 12. 29.

Lampeties Ithacis verubus mugisse iuvencos.

68. IN VANUM — FICTA IOCUM] Duo apud Broukh. libri *facta*. Vulpio offensioni fuit, adiectivum *vanus* in hoc carmine paullo repeti frequentius. Hic igitur non tulisset, hanc vocem ultro inferri v. 8. ubi *Somnia* fallaci *nocte* — quid certius *timere iubent*, quam *falsa?* Neque vero v. 9. Et hoc loco quid obstat, quo minus *vanum* mutemus in *vacuum?* Tacitus I. Historr. 50. *Si Resp. et Senatus et Populus* vacua nomina *sunt, vestra* etc. Ernestius reposuit *vana*. Sed vide Ed. Bipont. Appuleius IX. p. 186. confictis *observationibus* vacuis, *fallens omnes homines et*

Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora,
Nec similes chordis reddere voce sonos;
Sed perlucenti cantus meditabar avena,
Ille ego Latonae filius atque Iovis.

V. 69. canora.

miserum maritum decipiens. Ubi videndus est Pricaeus p. 507. (Oudendorpius p. 621.) Et haec frequens est aberratio librariorum. Vide I. 2. 88.

69. CITHARA — GAUDERE SONORA] Sic omnes libri scripti editique, non *canora.* Etiam apud Claudianum XL. 5. *cautes sonorae* manifesto sunt *dulci* lyrae *sono resonantes,* perstrepentes. Apud Virgilium quidem III. Georg. 199. Aquilone incumbente *summae* sonorem *Dant silvae.* At apud Lucretium V. 335. *organici* melicos *peperere* sonores. Statius I. Silv. 5. 4.

Tu quoque muta ferae, *volucer Tegeaee,* sonorae
Terga premas.

Cithara *sonora* est φόρμιγξ λιγεῖα· *gaudere cithara,* ut supra III. 1. 8. *gaudere versibus.* Homerus de Achille Il. ι. 186.

τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ.

71. SED PERLUCENTI CANTUM] Codd. Paris. et Lips. cum aliis, Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Reg. Lep. *cantum.* Contra Ed. min. 1472. Vicent. Venett. 1491. 93. Aldd. *cantus,* ut supra v. 40. *Perlucenti* avena an scripserit auctor, dubito. Ovidius IV. Metam. 313.

Nunc perlucenti *circumdata corpus* amictu.

Hoc clarum, illud obscurum. Vulpius sumit pro *tenui,* „quae enim tenuia sunt, inquit, perlucent." Vossius Lygdamum irridet. Sed Tibullus scripsisse videtur *permulcenti avena.* Ovidius item de Apolline II. Metam. 683.

Nescis, quid sit amor, iuvenis, si ferre recusas
  Immitem dominam coniugiumque ferum.
Ergo ne dubita blandas adhibere querelas.
  Vincuntur molli pectora dura prece.
Quod si vera canunt sacris oracula templis,
  Haec illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse.
  Felix hoc, alium desine velle virum.

V. 80. hoc! Alium.

Dumque amor est curae, dum te tua fistula mulcet.

74. IMMITEM DOMINAM] Perperam Broukhusius ex uno Bodl. quicum consentiunt duo Voss. reposuit *dominum*, ne bis idem dicatur. Scripturam receptam praeclare illustravit Heynius.

78. NOSTRO NOMINE] Ed. min. a. 1472. Rom. 1475. Reg. Lep. Venett. 1491. 95. Aldd. *nomina.* Correxit Statius *nomine*, ut est in Ed. principe.

80. FELIX HOC, ALIUM] *Hoc* primum Muretus e vetere libro reposuit. Habent illud Cuiac. et Voss. quintus. Libri Anglicc. Paris. Lips. et Edd. veteres, *Felix ac alium.* Unde Statius formabat *atque*. Excerptt. Perreii et Lipsii, *Felix ergo.* Mihi unice placet recepta lectio et interpunctio Salmasii ad Spartian. p. 31. *Felix hoc* coniugio vel viro, *alium* etc. Quod Heynio in mentem venit, verba *Felix hoc* ad superiora referre, Hoc con-

Dixit, et ignavus defluxit corpore somnus.

Ah ego ne possim tanta videre mala!

Nec tibi crediderim votis contraria vota,

Nec tantum crimen pectore inesse tuo.

V. 81. pectore. 83. Non ego. 84. pectori.

iugium, *hoc felix*, tibi promittit Delius, quamvis ipse precario proposuerit, assumpsit Vossius. Muretus distinguebat *Felix. hoc alium*, id est, alium quam hunc *desine velle virum*.

81. DEFLUXIT CORPORE SOMNUS] Non dubitavi reponere, in tanto praesertim librorum consensu, *corpore* pro *pectore*, quod Scaliger ex Ald. 1502. repetiverat, adstipulantibus Broukhusio, Vulpio, Heynio. Somnus nunc *pectora* occupat, nunc *corpora*. Vide v. c. Virgilium IV. Aen. 522. Cul. 92. Hoc loco rectius, credo, defluxit *corpore ignavus*, ignavo corpore, *somnus*, quam *pectore*, quae lectio hic per errorem repetita videtur e vss. 76. et 84. monente etiam Vossio. Codd. Paris. et Lips. Edd. principes, Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. *corpore*. Venett. 1491. 93. *pectore*. Vide, quae notavimus supra ad Eleg. 1. 20.

82. AH EGO NE POSSIM] Codd. Lips. et Voss. tres *Haec ego*. Ille etiam *non posum* pro *possum*, quod cum aliis libris exhibent etiam Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. Ald. 1502. Alii *ne possem*. Vicent. *non possim*. Sed iam Ed. min. a. 1472. et Rom. 1475. *Ah ego ne possim*. II. 4. 7.

O ego ne possim *tales sentire dolores*.

Ad quem modum scripsit Propertius I. 5. 5. (non *meae*, quod Hemsterhusius malebat, sed) quod omnes libri praestant veteres:

Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
Infelix, properas ultima nosse mala.

83. NEC TIBI CREDIDERIM VOTIS] Verba *Nec*

tibi quibus de caussis corrupta dicantur, adhuc ignoro. Hanc lectionem tuetur omnis antiqua editio. Similiter supra II. 2. 15. *Nec tibi malueris.* Tres libri, non quatuor, Broukhuss. id est, duo Statt. cum uno Anglic. habent *Non ego*, quod etiam est in Gothano. Colb. *Haec ego*, id est *Nec ego.* Nam eodem modo in libris exaratum reperias *Nec* et *Haec*. At enimvero *Nec* tibi — *pectore* tuo, hoc tamen est mendosum. Nihil ego vidi sanius. Hanc enim pronominum coniunctionem vel maxime frequentant Romani. Propertius III. 12. 10.

> *Haec* tua *ne virtus fiat amara* tibi.

Idem IV. 1. 139.

> *Nam* tibi *victrices, quascunque labore parasti*,
> *Eludet palmas una puella* tuas.

Ubi Burmannus corrigit *duas.* Quam correctionem alibi refutavimus. Nunc vide Lachmannum, huius tamen consuetudinis non memorem ad III. 18. (IV. 17.) 31. in quo loco emendando vereor, ne operam aeque perdiderit vir doctissimus quam Handius ad Gronovii Diatrib. p. 304. De Graecorum usu nunc nihil dicam. Est enim satis notus — intelligentibus. At non est silentio praetereunda probabilis Heynii emendatio:

> *Nec tibi crediderim* nostris *contraria vota.*

Nam voces *nostris* et *votis* etiam permutantur in simili versu Propertii I. 5. 9.

> *Quodsi forte tuis non est* contraria votis.

84. PECTORE INESSE TUO] Dresd. Guelf. 1. cum tribus aliis, nescio quibus, libris *pectori*, quod primus Scaliger recepit, imitante Broukhusio. At recte Heynius, duce Vulpio, reposuit *pectore*. Hoc Grammaticae convenire negat vir doctissimus. Quem errorem communem habet cum Bentleio ad Terentii Phorm. I. 4. 2.

> *Ita nunc inparatum subito tanta* me inpendent *mala.*

Ubi ille, *In me* huc adscisco: cum nusquam alibi *Impendere* reperias nisi aut Dativo iunctum, aut cum praepositione Accusativo. Sed vide Ruhnkenium ad h. l. et Cortium ad Sallustii Catil. 2.

Nam te nec vasti genuerunt aequora ponti,
Nec flammam volvens ore Chimaera fero,
Nec Canis anguinea redimitus terga caterva,
Cui tres sunt linguae tergeminumque caput,

V. 85. non vasti.

9. *aliquo negotio intentus;* Burmannum ad Suetonii Caes. 66. vetustissima nave impositos, *quocunque vento, in quascunque terras, iubebo avehi.* Quintilianus VIII. 3. 68. *At, si aperias haec, quae* verbo uno inclusa *erant, apparebunt.* Ergo *pectore inesse* idem est quod *in pectore esse*, eaque structura exquisitior est altera *pectori inesse*, pro qua Ovidius adeo posuit *pectus inesse* II. Fast. 119.

Nunc mihi mille sonos, quoque est memoratus Achilles,
Vellem, Maeonide, pectus inesse *tuum.*

85. NAM TE NEC] Thuan. et Colb. *Nam te non.*

87. NEC CANIS ANGUINEA — CATERVA] Lips. *Nec osanguinei.* pro quo *consanguinea* habent Paris. duo Statt. duo item Broukh. recentiores, alii. Nec tamen desunt boni libri, qui alteram lectionem expresserunt *canis anguinea*, duo Witt. Askew. Monac. Voss. 4. Edd. principes Rom. et Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. quae lectio cur expungatur, non video. Nam quod Is. Vossius ad Catullum p. 215. docuit, probante Broukhusio ad Propertium IV. 8. 10. ab *anguis* non formari *anguineus*, sed *anguinus*, hoc nihil ad *Canem*, nec per se certum est. Quidni, ut a *sanguis* fit *sanguineus*, ita ab *anguis* fiat *anguineus?* Nec damnavit hanc formam Heinsius ad Ovidii IV.

Scyllaque virgineam canibus succincta figuram:
Nec te conceptam saeva leaena tulit,
Barbara nec Scythiae tellus, horrendave Syrtis;
Sed culta, et duris non habitanda, domus,
Et longe ante alias omnes mitissima mater,
Isque pater, quo non alter amabilior.

Tristt. 7. 12. nec Ruhnkenius delevit in Lexic. Schelleriano. Paris. cum paucis *cathena* pro *caterva*.

89. SCYLLAQUE — SUCCINCTA FIGURAM] *Scyllave* Heynius substituit ad regulam, quam confutavi supra ad II. 4. 17. Habent illud tres ad summum libri, Editio ante Heynianam nulla. Pro *succincta* Paris. Lips. *submixta*, quod exhibent Ed. mai. a. 1472. Venet. et Rom. 1475. Vicent. Reg. Lep. Alii *subnixa*, quod placuit Cyllenio. Colb. *conmixta*. unde Heinsius fecit *commissa*. Longius aberrant aliae lectiones, *comitata*, *redimita* a recepta *succincta* vel *subcincta*, quam confirmant Scalig. codd. Statt. duo, unus Broukh. Vindob. Bern. Goth. Vide Virgil. Ecl. VI. 75. Ed. min. a. 1472. ita:

Scyllaque uirgineam anibus succincta *figuram.*

90. SAEVA — TULIT] Eadem edit. *scaeva*. Hamb. *dedit*.

91. SCYTHIAE — HORRENDAVE SYRTIS] Paris. *Sithiae*. Lips. *sitye — orendaque*. Ed. mai. a. 1472. *horrendaque Sitis*. Sed iam Cyllenius legit *horrendave Syrtis*, ut est in libris non paucis, etiam in Edd. Venett. 1491. 93. Aldd. Eaedem Edd. v. 92. *diris*. Antiquiores *duris*.

93. ET LONGE ANTE ALIAS] Libri omnes *alias*,

Haec Deus in melius crudelia somnia vertat,
Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.

Edd. partim *alios* habent, partim *alias*. Illud exstat in Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep. Aldd. hoc in Ed. min. 1472. Rom. 1475. et Venett. 1491. 93. Muretus *alias*, Scaliger *alios* reposuit. Nempe qui *alias* legerunt, ad unam respexerunt mitissimam matrem, qui *alios*, ad patrem simul amabilissimum. Haec ratio nescio an verior sit illa. Conf. III. 6. 52. Livius I. 9. Unam longe ante alias *specie ac pulchritudine insignem a globo Talassii cuiusdam raptam ferunt*. Tibullus II. 4. 24.

Sed Venus ante alios *est violanda mihi.*

Paene oblitus eram monere, pro *Et* Lips. et Goth. habere *Sed*. Sic Latinus Latinius *Sed* substituit Catullo El. ad Manl. 159. ubi rectius legitur:

Et longe ante omnes *mihi quae me carior ipso est.*

95. CRUDELIA SOMNIA] Ed. mai. a. 1472. Lips. apud Heyn. Reg. Lep. *crudelis.*

96. IRRITA] Eaedem Edd. cum Venet. 1475. Vicent. et Reg. Lep. *impia*, ut est in libris multis, etiam Paris. et Lips. Sed alii libri Monac. Voss. tres — *irrita*. Quae lectio expressa est in Ed. min. a. 1472. Venett. 1491. 93. Aldd. Sic infra III. 6. 50.

et ventos irrita ferre *iubet.*

ELEGIA V.

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
Unda sub aestivum non adeunda Canem,

V. 1. montibus.

ELEGIA V.

1. VOS TENET ETRUSCIS — FONTIBUS UNDA] Heynius ad vocem *Vos* notavit, Ita demum emendatum a Mureto, ut diserte in Guelf. 4. et in Guelf. 2. a manu docta cum interpretatione: *Dum vos loca plena voluptatum frequentatis, ego interim aegroto.* Hoc in primis incommodo laborat editio Heyniana, magno caeteroquin apparatu critico instructa, quod falsam exhibet lectionis originem ac propaginem, maximi rem momenti ad omnem scriptorum crisin. Velut hoc loco non Muretus demum emendavit *Vos* pro *Nos*, quod ille narrat, sed hanc lectionem iam Editor princeps a. 1472. ut veram agnovit et recepit, desertus tamen a successoribus, Venett. Vicent. Reg. Lep. qui expresserunt, quod praeceperat Ed. min. a. 1472. *Nos*, et huic scripturae convenienter v. 29. *nobis* vel *mihi* pro *vobis*. Falso tamen utroque loco. Recte Paris. Askew. etc. *Vos*. Pro *etruscis* Edd. veteres ante Ald. habent *aetruscis*, praeter Ed. min. a. 1472. quae exhibet *hetruscis*, e qua scriptura orta

Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis,
Quum se purpureo vere remittit humus.

V. 3. Nunc aequans — munia.

videtur illa. Sed illo tempore *ae* frequentabatur pro *e*, et contra. Pro *manat* quae *fontibus* Lips. *manat e fontibus*, Voss. tertius *manatque e fortibus una*, quintus *manatque e fontibus unda*, id est *quae e*. Sic apud Virgilium Cul. 146.

> *His suberat gelidis* manans e fontibus *unda*.

Non igitur verendum, ne in locutione *unda fontibus manat* fontes superfluant, ut propterea legendum sit, quod non nisi unus liber Statii, duo in margine habent, *montibus*. Ed. Vicent. sola, quod sciam, habet:

> *Os tenet aetruscis manat quae* fluctibus *unda*.

Qui praepositionem perire nolunt, possunt, per me licet, legere:

> *Vos tenet*, e Tuscis *manat quae fontibus unda*.

2. SUB AESTIVUM — CANEM] Ne haec otiosa habeas vel, ut Heynius, inepta et absurda, lege quae Apollinari suo scribit Plinius V. Epistt. 6. *Amavi curam et solicitudinem tuam, quod, quum audisses me aestate Tuscos meos petiturum, ne facerem suasisti, dum putas* insalubres. *Et sane* gravis et pestileus ora Tuscorum, *quae per litus extenditur*. Sed *hi* procul a mari *recesserunt*.

3. NUNC AUTEM SACRIS — MAXIMA LYMPHIS] In Lips. desideratur *sacris*. Quod quin casu exciderit, quum caeteri libri habeant omnes, nemo dubitabit. At in aliqua varietate versatur vox *maxima*, quam lectionem libri Broukhuss. Statt. Heynn. Vossiani etiam, nisi fallor, omnes, Lips. item cum Paris. et Edd. veteres agnoscunt, in dubium revocant Perreii, Pocchi et Colotii Excerpta, quae

offerunt pro ea *numina*, *munia*, *moenia*. Sed clarius luce est, hanc lectionis diversitatem ortam esse e v. 29.

> *At vobis Tuscae celebrantur* numina lymphae:

qui versus vicissim corruptelam contraxit ex initio carminis. Unus ibi etiam liber habet *munera* lymphae, quae lectio prope abest a scriptura *munia*. Iam Scioppius, *Baias* sumens pro celeberrimis illis Campaniae Baiis, *maxima* mutabat in *proxima*, (ut etiam Heinsius) id est, salubritate sacris Baiarum aquis hoc verno tempore proxime accedens unda: Scaliger e contrario lectionem *maxima* tuebatur, recte monens, omnia *θερμὰ ὕδατα* vocari Baias, a Baiis illis Campaniae. Martialis X. 13. 5.

> *Strataque* non unas *cingant triclinia* Baias.

Vide Broukhusium. At Heynius negat, latine dici potuisse Baiarum *maxima* pro *Baiarum maximae.* Ego contra nihil insoliti inesse putaverim in verbis *unda Baiarum maxima*, quamquam hac constructione non opus est, quum verba potius ita construenda sint, *unda maxima sacris lymphis Baiarum.* Huic constructioni ac lectioni simillima est, quamvis ille neget, Virgilii VII. Aen. 85.

> *Albunea*, nemorum *quae* maxima sacro
> Fonte *sonat*, *saevamque exhalat opaca mephitim.*

Unda *lymphis maxima*, quae propter lymphas salubres maxime celebratur, sicut vir *factis maximus*, qui propter facta. Prorsus enim fallitur Boissonadus, qui *maxima* sumit pro *maior*, superlativum pro comparativo ad Gregor. Corinth. p. 114. Haec igitur lectio, tot libris confirmata, minime videtur sollicitanda. Multo tamen minus particula *autem*, quam sartam tectamque praestat librorum consensus omnium. Hac, inquit, alibi nec Lygdamus utitur nec Tibullus, non nisi semel Propertius II. 32. 29. At utuntur hac particula poetae omnes, v. c. Catullus Com. Beren. 70. Virgilius III. Georg. 387. Cir. 276. Statius I. Theb. 401. Nec eam temere veteri possessione movisset editor, nisi mendosa lectio *munia* subiecisset locum Horatii II.

At mihi Persephone nigram denuntiat horam:
Immerito iuveni parce nocere, Dea.
Non ego tentavi, nulli temeranda piorum,
Audax laudandae sacra docere Deae.

V. 7. virorum. 8. cernere sacra.

Carm. 5. 2. quo puella dicitur *nondum munia comparis aequare*, ducta imagine a iuvencis *aequo iugo* trahentibus. At ego non video, quo modo undae *munia* tribui possint, quae conveniant potius balneatrici, quam deae Fontinali, nec qua ratione duo fontes, longo locorum intervallo *disiuncti*, munia ista *aequare*, id est, parem hospitum numerum pari sedulitate curare queant. Non iuvat coniecturis ludere tamquam tesseris. Sed quoniam vilis haec annona est, opponam isti emendationi aliam, nisi fallor, probabiliorem:

Nunc augens *sacris Baiarum* munera *lymphis.*

Abest *augens* propius ab *autem*, quam *aequans; munera lymphae* offert cod. Dresd. v. 29. *augere munera lymphis*, ut *augere dona venatibus* apud Virgilium IX. 407. Proba omnia. Tamen abiicienda haec emendatio est aeque atque illa, etiam tertia, quam, si desiderabitur, dabo.

4. HUMUS] Nescio, an ante Ald. 1502. nulla reperiatur Editio, quae pro *humus* habeat *hyems* vel *hiems*, ut est in uno Stat. et Excerptt. Lips. Nostri omnes *humus*.

7. NULLI TEMERANDA VIRORUM] Adhuc ne unus quidem repertus erat liber scriptus, qui in contextu haberet *virorum* pro *deorum*, quae lectio, orta e vicinitate nominum *dea* et *deae*, obsidet Edd. ante Scaligerum factas omnes. Scaliger laudat codicem infimae vetustatis, cui librarius adscripserat *virorum*, deleta voce *deorum*.

Nunc illam scripturam expressam vidit Vossius in ipso contextu librorum Vindob. Goth. Hamb. Voss. 1. et 5. Askew. Wunderlichius in Zwic. 2. Hanc igitur lectionem, a Scaligero primum repositam, posteriores etiam admiserunt editores. At Excerptt. Colotii habent *piorum*, quae nescio an vera sit lectio. Sermo enim esse videtur de initiatis, qui *pii* eximie dicuntur. Pertinet huc locus Ovidii III. Amor. 9. 37. de morte Tibulli:

> *Vive pius, moriere:* pius cole sacra, *colentem*
> *Mors gravis a templis in cava busta trahit.*

Vide Valckenarium ad Euripidis Hipp. v. 1364. Supra I. 3. 25. universe scripsit Tibullus: *pie dum sacra colis.* At, inquit Broukhusius, *temerare sacra* illi dicuntur, qui inrumpunt, quo iis ire non licet, et vident, quae videre est nefas. Quam in rem profert locum Propertii IV. 9. 69. de Ara Maxima:

> *Haec nullis umquam pateat* temeranda *puellis.*

Sed haec est scriptura Heinsii, non Propertii, qui posuit *veneranda*. *Temerare*, ut Festi verbis utar, universe est *violare sacra et contaminare*, *dictum videlicet a temeritate.* Hinc Ovidius de incestu Vestalium VI. Fast. 458.

> *Nullaque dicetur* vittas temerasse *sacerdos.*

Hinc idem IV. Pont. 10. 82.

> *Quis labor est puram non* temerasse fidem?

Temerat igitur etiam sacra *arcani prodigus*, qui sacra occulta vulgat.

8. LAUDANDAE SACRA DOCERE DEAE] Unus Vatic. Excerptt. Perreii et margo Ed. Vicent. *celandae.* quod commemoratione dignum, quum similiter scribat Horatius III. Carm. 2. 26. Cereris *sacrum* arcanae. Sed credibile est, hunc eundem locum ansam praebuisse ad interpolandum versum Tibulli. *Laudanda dea* est (secundum Scaligerum aliosque ἐπαινὴ Περσεφόνεια, obstante Heynio ad h. l. et ad Homeri Il. ι. 457.) vel σεμνὴ θεά, qua

appellatione et Ceres celebratur et Proserpina, vel *τίμιος*, ut apud Pindarum Ol. II. 117. *τίμιοι θεῶν*. *Sacra* deae *docere* quid sit, quaeritur et, quoniam non succedit interpretatio, mutatur. Merum scripturae mendum est, quod habet Dresd. *nocere*. Paullo melior lectio *movere*, quam Voss. secundus, optima omnium est *docere*, quam caeteri libri scripti editique habent omnes. Non audiendus Heinsius, qui *sacra subire* vel *prodere*, nec Heynius, qui *noscere sacra* vel *discere*, neque vero Vossius, qui *cernere sacra* substituit. *Cernere sacra*, *ὁρᾶν τοῖν θεοῖν τὰ ἱερά*, et similes locutiones quid significent, egregie docet Valckenarius ad Euripidis v. 25. ubi Hippolytus dicitur venisse

σεμνῶν ἐς ὄψιν καὶ τέλη μυστηρίων.

Sed *sacra docet* vel *edocet*, *διδάσκει* (Theocrit. XXVI. 9.) primum religiosi cuiusdam ritus auctor, qui eum incognitum adhuc et occultum hominibus tradit, sive deus sive dei interpres vates. Livius I. 7. *Potitii ab Evandro edocti antistites sacri eius per multas aetates fuerunt, donec* tradito *servis publicis* solemni *familiae* ministerio *genus omne Potitiorum interiit.* Hinc ii, qui *edocentur* sacra, ea *discere* dicuntur. Auctor Orat. *pro Domo Sua* c. 52. de Pinario Natta: *Quem ego tamen credo, si est ortus ab illis, quos memoriae proditum est*, ab ipso Hercule, *perfuncto iam laboribus*, sacra didicisse, *in viri fortis aerumnis non ita crudelem fuisse, ut in vivi etiam et spirantis caput bustum suis manibus imponeret.* Conf. Horat. II. Carm. 19. 1—4. Sed *docet* deinde *sacra* etiam is, qui tradita sibi et commissa *vulgat* et *enuntiat*, violato silentio nefarius. Livius IX. 29. *Eodem Appio auctore Potitia gens, cuius ad Aram Maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat*, servos publicos, *ministerii delegandi caussa*, solemnia eius sacri docuerat. — Operae pretium sit describere, quae statim addit Livius: *Traditur inde dictu mirabile, et quod* dimovendis statu suo sacris *religionem facere possit, quum duodecim familiae ea tempestate Potitiorum essent, puberes ad triginta omnes*

Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam tetra venena dedit;

V. 10. certa.

intra annum cum stirpe exstinctos; nec nomen tantum Politiorum interiisse, sed censorem etiam Appium, memori Deorum ira, post aliquot annos luminibus captum. Ex quo loco patet, quod supra scripsi, paullo *meliorem*, quam *nocere*, esse lectionem *sacra movere*, optimam omnium *docere*. Nec dubium videri potest, quin recte Scaliger posuerit, sermonem esse de sacris Cereris et Liberae, de quibus Cicero V. in Verr. 72. scribit: *Teque*, Ceres et Libera, *quarum* sacra, *sicut opiniones hominum ac religiones ferunt, longe maximis atque* occultissimis caeremoniis *continentur*— quarum sacra populus Romanus *a Graecis ascita et accepta* tanta religione et publice et privatim tuetur, *non ut ab aliis huc allata, sed ut caeteris hinc tradita esse videantur, quae ab isto uno sic* polluta et violata sunt, *ut* etc. Horatius III. 2. 25.

Est et fideli tuta silentio
Merces. Vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanae, *sub isdem*
Sit trabibus.

Quod vero quaeritur, quo modo quis *tentet* sacra *docere*, id est, *vulgare*, enuntiare, *tentavi audax* nihil aliud est quam *ausus sum*, quamquam *tentare* simpliciter pro *audere* et alii ponunt et Claudianus I. 18. Eiecta igitur lectione subditititia mihi locus ita constituendus videbatur:

Non ego tentavi nulli temeranda piorum
Audax laudandae sacra docere *Deae.*

9 — 10. INFECIT POCULA SUCCIS — NEC CUIQUAM TETRA VENENA DEDIT] Haec alibi etiam distinguuntur. Lex apud Ciceronem pro Cluent. 54. *Quicunque* fecerit, *vendiderit, emerit, habuerit,*

dederit (venenum). Philipp. XI. 6. de Domitio Apulo: *At hic nuper sororis filio* infudit venenum, non dedit. Pro quo Horatius Ep. V. 77. scribit, *infundere* alicui *poculum*. Moschi locum III. 118. quem supra ad I. 6. 30. cum hoc disticho comparavi, nunc adpositum video etiam a Wunderlichio, qui tamen male signum interrogationis, quod recte ad finem versus reiecit Wakefieldus, subiunxit voci φάρμακον. Locus sine dubio ita interpungendus est et vero etiam legendus:

> τίς δὲ βροτὸς τοσσοῦτον ἀνάμερος, ἢ κεράσαι τοι
> ἢ δοῦναι λαλέοντι τὸ φάρμακον, ἔκφυγεν ᾠδάν;

Nam quod supra exaratum video, „cui nec lectio λαλέοντι — convenit," merum scripturae mendum est, ita corrigendum, „cui nec lectio καλέοντι — convenit," quam habet Ald. Non mihi tum in mentem venit, nec postea veniet, sollicitare verbum, a quo totius sententiae lepos pendet et elegantia. Sermo est de suavitate loquelae et carminum Bionis, cuius labris admotum vel venenum vim suam amittere, *dulcescere* debuisset (ἐγλυκάνθη v. 117.),

> τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Hoc igitur dicit Moschus: *Quis carminis tui suavitatem abhorruit adeo ferus homo, ut vel misceret* (pararet) *tibi vel daret venenum* dulce *loquenti?* Quorsum enim cum Reizio κελάδοντι legamus? Propterea, inquit, quia sequitur ᾠδάν. At eodem iure reponere possis αὐδὰν, quia praecedit λαλέοντι. Sed neutra opus est emendatione. Locutionem ἐκφεύγειν ᾠδὰν satis tuetur Pindarus Ol. VI. 9. τίνα κεν φύγοι ὕμνον κεῖνος ἀνὴρ, ἐπικύρσαις ἀφθόνων ἀστῶν ἐν ἱμερταῖς ἀοιδαῖς; *quem ille effugiat hymnum?* quem non (lubenter) audiat, nactus laudatores non invidos? Sed veneficus ille sensu deteriore ἔκφυγεν ᾠδὰν, *carminis Bionei suavitatem* declinavit, *aversatus est*, *abhorruit*. Prorsus abiiciendae sunt emendationes ἔκφυγεν Ἅιδαν — quod foret *Acheronta fugit* Horat. III. 3. 16. — et ἔκφυγεν ἄταν, quod superfluit. Sequitur enim,

Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes;
Nec cor sollicitant facta nefanda meum;

V. 12. ulla.

ἀλλὰ Δίκα κίχε πάντας. Redeo ad Tibullum, cui primum Scaliger restituit *tetra* venena. Nam Edd. veteres, libri etiam complures apud Broukh. et Voss. item Paris. et Lips. *certa* habent. Cuiac. *trita*. Etiam apud Propertium II. 17. 14. confunduntur *tetra* et *trita* venena: ubi tamen insigni exemplorum copia demonstrat Broukhusius, Veteres frequentasse *tetra* venena. Hinc ib. II. 24. 27. sine ulla varietate:

> Tetra venena *libens et naufragus* ebibat *undas*.

Vide Oudendorpium ad Appul. p. 344. Nam quin per se *trita* venena recte dicantur, nemo dubitat. Vide egregiam Wyttenbachii annotationem ad Platonis Phaed. p. 327. ubi deinceps haec leguntur p. 96. *καὶ ὁ παῖς ἐξελθὼν καὶ συχνὸν χρόνον διατρίψας ἧκεν ἄγων τὸν μέλλοντα δώσειν τὸ φάρμακον, ἐν κύλικι φέροντα τετριμμένον*. Haec ibi apposite narrantur. At apud Tibullum valde frigerent *trita* venena post *pocula* succis mortiferis iam *infecta*; quemadmodum etiam *certa* venena post *succos mortiferos*. Ad oram Ed. Reg. corrigitur *tecta*. Sic *dolos veneni* legimus apud Catullum XXIII. 10. Unus Stat. *non umquam* pro *nec cuiquam*. Colb. *dedi* pro *dedit*. Hoc fortasse reponendum erat.

11. SACRILEGOS — ADMOVIMUS IGNES] Quam parum inter se consentiant Edd. veteres, hic etiam locus argumento est. Nam Ed. mai. a. 1472. ita:

> *Nec nos sacrilegos templis admovimus* aegros.

Hoc habent Cod. Lips. Guelf. 4. Edd. Venett. 1491. 93. At Edd. Venet. 1475. Reg. Lep. *amovimus*. Paris. *amovimus egris*. Ed. Rom. 1475. *sacrilegi admovimus ignes*. Veram lectionem exhibet Ed. min. a. 1472.

Nec nos, insanae meditantes iurgia linguae,
Impia in adversos solvimus ora Deos.

Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes.

Ita etiam Vicent. Aldd. Stat. In alia omnia abiit Scaliger, legendo:

Nec nos sacrilegi *templis admovimus* ergo.

Habet quidem Cuiac. *ergo.* Sed hoc absurdum. Laudi liber *damnavimus.* Cyllenius: Quidam textus habent *admovimus ignes,* et est clarus sensus.

12. FACTA NEFANDA] Lips. *fata nephanda.* Etiam Ed. princ. Vicent. cum aliis *nephanda.* Cod. 1. Witt. *ulla.*

13. MEDITANTES IURGIA LINGUAE] Sic Ed. min. a. 1472. Maior et Reg. Lep. *meditantis.* Maxima pars librorum, etiam Paris. et Lips. et Edd. Venet. 1475. Reg. Lep. *iurgia mentis.* quod tuetur Lachmannus ad Propertium I. 5. 18.

Expertae metuens iurgia *saevitiae.*

Ubi tamen unus et alter liber habent *verbera*, quae exquisita lectio utrum ab indocto librario profecta sit, quaeri potest. Dicunt Graeci *ἐπικόπτειν*, *ἐπιπλήσσειν*, *ἐπιῤῥαπίζειν τινὰ* pro *obiurgare aliquem* verbis, hinc etiam Latini *verberare* aliquem *convicio.* Est igitur credibile, Propertio substituta esse *iurgia* pro *verbera*, Tibullo quidem certe *mentis* pro *linguae.* Nam *iurgia* proprie dicuntur *lites*, hinc etiam *criminationes*, rixae, obiectamenta, suntque ea propria *linguae*, non *mentis.* Hinc Trausius apud Horatium II. Serm. 2. 99. *Iurgatur verbis*, id est, *obiurgatur*, et Venus apud Virgilium X. 95. *irrita iurgia* iactat. Ego *iurgia mentis* commode dici potuisse nego, illamque lectionem ortam esse arbitror e verbo *meditantes*, quod quoniam mentis proprium est, hanc vocem requiri putavit, quicunque fuit, interpolator. Hactenus bene quidem Lipsius emendavit, probante etiam Broukhusio,

Nec nos insana *meditantes iurgia* mente.

Et nondum cani nigros laesere capillos;
Nec venit tardo curva senecta pede.
Natalem nostri primum videre parentes,
Quum cecidit fato Consul uterque pari.
Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis?
Et modo nata mala vellere poma manu?

Sed praestat lectio Edd. principum, Vicent. Venett. 1491. 93. Aldd. etc. *insanae* — iurgia *linguae*. De *iurgio* vide Cortium ad Sallustii Catil. 51. 5.

14. IN ADVERSOS SOLVIMUS — DEOS] Broukhusius, Scribe, inquit, *aversos*, hoc est, *iratos*. Ita edidit. Sed *habuit* h. l. vir doctissimus *deos* ipse *iratos*. Quod quid sit, post Brissonium monuit Ruhnkenius ad Velleium p. 266. Idem accidit Heinsio ad Ovidii I. Tristt. 5. 45.

> *Multaque* in adversos
> *effudit verba* Penates.

Nam Penates, ante quos prostrata iacebat uxor, profecto non erant *aversi*, quippe immobiles, sed *adversi*, ut apud Propertium I. 1. 8. *dii*, de quo loco egimus ad III. 5. 28. Pro *solvimus* Dresd. *movimus*.

15. ET NONDUM — CAPILLOS] Voss. 1. et 5. *nudum*, id est, *nundum*, ut legitur in Cod. Paris. Ed. princ. Vicent. Reg. Lep. pro *nondum*. Unus bonae notae liber Witt. *capilli*.

17. NATALEM NOSTRI PRIMUM] Sic Witt. et Voss. 5. et tres Anglicc. quod in ordinem recepit Broukhusius. Alii *primo nostri*. Mei omnes scripti editique libri:

> *Natalem* primo nostrum
> *videre parentes*.

19 — 20. QUID FRAUDARE — VITEM] Laudi liber et Bodl. *vites*. Ovidius, qui v. 18. totum, hoc etiam distichon, paucis mutatis, suum fecit II. Am. 14. 23. Auctor epigrammatis 98. Anthol. Gr. T. II. p. 791. ed. Iacobs.

> *δακρυχαρὴς Πλούτων, οὐ*
> *πνεύματα πάντα βρό-*
> *τεια*

Parcite, pallentes undas quicunque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna Dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos,
Lethaeamque ratem, Cimmeriosque lacus:
Quum mea rugosa pallebunt ora senecta,
Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano nequidquam terrear aestu!
Languent ter quinos sed mea membra dies.

σοὶ νέμεται; τί τρυγᾶς ὄμφακας ἡλικίης;

21. PALLENTES UNDAS] Hanc lectionem exprimunt Edd. principes, Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. eamque confirmant libri tantum non omnes. At Rom. 1475. Venett. 1491. 93. Aldd. habent *umbras*, quod exhibent Guelff. 1. 4. Dresd. quatuor Voss. Utramque lectionem ob oculos habuisse videtur librarius Cod. Lips. scribens, *umdas*. Sed *pallentes undas* dicit, quos supra I. 10. 38. *obscuros lacus*, III. 1. 28. *pallidam Ditis aquam:* Sophocles fragm. Polyxenae p. 646. *μελαμφαεῖς λίμνας*, quae egregia est Valckenarii emendatio ad Phoen. 1017. pro *μελαμβαφεῖς*. Nam cur illud malim, quam quod Brunckio placuit, *μελαμβαθεῖς*, caussae est non modo Euripidis locus Hel. 525. *μελαμφαὲς Ἔρεβος*, sed etiam quae Aeschylus dicit v. 375. Eumenidum *λάχη θεῶν διχοστατοῦντ᾽ ἀνηλίῳ λάμπᾳ*, et quae praeterea collegit exempla Seidlerus ad Euripidis Troad. 566. Quibus addere iuvat Miltoni locum Parad. Lost I. 62.

yet from those flames
No light, but rather darkness visible
Serv'd only to discover sights of woe.

27. NEQUIDQUAM TERREAR AESTU] Lips. *nequicquam tereat*. Ed. princ.

At vobis Tuscae celebrantur numina lymphae,
Et facilis lenta pellitur unda manu.

Venet. 1475. Reg. Lep. et complures libri *nequicquam terreat*. Ed. min. a. 1472. *nequicquam torrear*, quod unus Stat. et quatuor Voss. confirmant. Hanc lectionem *nequicquam torrear* habet etiam Ed. Bartoliniana, quam dicit Morellius p. VIII. Sed tres Broukhuss. Paris. Edd. Vicent. Venett. 1491. 93. Aldd. *terrear*.

28. LANGUENT TER QUINOS SED] Cod. Lips. *tarquino*. Quod non monuissem, nisi etiam Ed. Vicent. haberet *tarquinos*. Nec monerem, in Cod. Dresd. legi *bis quinos*, nisi etiam IV. 2. (1) 16. pro *Vellera succis* bis *madefacta* duo librarii oscitantes scripsissent *succis* ter *madefactā*. De quo confusionis genere dixi ad I. 5. 21. Pro *sed* complures *iam*. Male. Pro *mea* unus *mihi*. Non male.

29. AT VOBIS — NUMINA LYMPHAE] Hic locus vehementer exercuit librarios et Editores veteres, dubitantes, utrum auctor epistolae versaretur ad fontes Tuscos, an amici, ad quos epistola scripta est. Qui v. 1. legebant *Nos tenet*, non poterant non hoc etiam loco legere vel *Et nobis*, quod habet Ed. min. a. 1472. Guelf. 2. complures Voss. vel *Atque mihi*, ut est in Rom. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. Aldd. Perperam Codd. Paris. et Lips. *Atque nobis*. quod in suis etiam libris invenerat Statius, addens tamen, nonnullos habere *At nobis* vel *Et nobis*. Princeps Editio inconstanter v. 1. *Vos*, hoc loco *Atque mihi*. Tandem Muretus e veteris libri scriptura vulgatam expressit, qua contenti esse possumus, quamquam Guyetus non infeliciter coniecerit, *At vos, queis* — Pro *numina*, quod caeteri habent, Dresd. exhibet *munera*, Colb. *carmine*, Thuan. *carmina*: pro *lymphae* tres Voss. unus Anglic. cum uno item Broukhusii *nymphae*, qui addit: sic ante Scaligerum legi solebat. Ego in nulla antiquioris aevi

Vivite felices, memores et vivite nostri,
Sive erimus, seu nos Fata fuisse volent.

V. 32. velint.

Editione vidi. Guyetus perperam corrigebat *limina nymphae:* nec melius Heinsius, *flumina lymphae*, nisi forte *Nymphae* voluit, quod probat Wakefieldus ad Lucretium I. 4. Pessime omnium Broukhusius edidit, sequente tamen Vulpio, *gramina Nymphae.*

31. MEMORES ET VIVITE] Excerptt. Lips. *sed.* quod exstat etiam in Ed. min. a. 1472. Melior certe lectio, quam Colb. *quoque.*

32. SEU NOS — VOLENT] Sic unus Stat. et complures Voss. Accedunt libri, qui habent *nolent*, *valent.* Caeteri libri scripti editique *velint.* quod probari nullo modo potest. Non ita vacillant invictae Fatorum leges (III. 4. 47.), ut adstringi se patiantur incertis temporum modis, praesertim falsis. Recte dicas, Sive *ero*, sive *fuero:* recte etiam, Sive *ero*, sive Fata *voluerint*, me fuisse. At nemo vivus vidensque dixerit, Sive *ero*, sive Fata *velint* me *fuisse.* Propertius I. 14. 14.

> *Quae maneant, dum me* Fata perire volent.

Sed ne quid usquam, quod antiquum est, intemeratum maneat, hunc etiam locum Burmannus Anth. Lat. T. II. p. 752. ita profert tamquam emendatum a Broukhusio:

> *Quae maneant, dum me fata* venire velint.

Verum Broukhusius, etsi *perire* temere mutatum volebat in *venire*, intactum tamen reliquit *volent*, eandemque formam recte restituit Tibullo. Vide II. 4. 43. II. 6. 3. Edd. Venett. 1491. 93. *seu* non — *velint.* quod agnoscit Cyllenius, ita scribens: „*Non velint* pro *nolint*, sicuti *non scio* pro *nescio.* Sed sciendum, aliquid semper inter utrumque poni venustatis gratia." Hic mentem alio habuit.

Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula mixta mero.

34. MIXTA] Heynius, *mixta*, ait, a Broukhusio. Vulgo *mista*, praeter Ald. primam. Hoc falsum. Omnes Edd. veteres, quas vel ipse ante oculos habeo, vel ab aliis collatas sequor, libri etiam Paris. et Lips. *mixta* habent.

ELEGIA VI.

Candide Liber, ades; sic sit tibi mystica vitis
Semper, sic hedera tempora vincta geras.

ELEGIA VI.

1. MYSTICA VITIS] Ed. mai. a. 1472. et Vicent. *candida*. Sic Zwick. 2. At Lips. *mustica*. Hinc ortum est *rustica*, quod duo libri Broukhuss. habent. Ita I. 1. 23. pro *rustica* pubes Cod. Guarn. habet *mystica* pubes: I. 10. 26. pro *Hostia — rustica* complures libri scripti et editi *Hostia — mystica*, quod scribi solebat *mustica*.

2. SEMPER, SIC — TEMPORA VINCTA GERAS] Accidit editoribus Tibulli hoc loco, quod Aristoteli in dicto quodam Heracliti, de quo refert III. Rhetor. c. 5. *τὰ γὰρ Ἡρακλείτου διαστίξαι ἔργον — φησὶ γάρ· Τοῦ λόγου τοῦδε ἐόντος αἰεὶ ἀξύνετοι ἄνθρωποι γίγνονται· ἄδηλον γὰρ τὸ αἰεὶ πρὸς ὁποτέρῳ διαστίξαι.* Sic illi dubitarunt, adverbium *Semper* utrum ad maiorem versum pertineret an ad minorem. Quod accidit etiam quibusdam librariis. Hinc duplex orta pentametri compositio. Nam Ed. mai. a. 1472. (Venet. 1475.) Vicent. Reg. Lep. Aldd. et Stat. exhibent ordinem verborum hunc:

Sic hedera semper tempora vincta feras.

Aufer et ipse meum pariter medicande dolorem:
Saepe tuo cecidit munere victus amor.

Hoc non ita multi libri habent, in his Lips. E contrario Ed. min. 1472. alterum ordinem expressit, quem in plerisque libris scriptis esse et Statius testatur et Broukhusius (est etiam in Paris.):

Semper *sic hedera tempora vincta* feras.

Sic etiam Brix. et Venett. 1491. 93. et hae quidem adhibita interpunctione hac: Semper. *sic hedera* — Quod recte admisit Scaliger, probantibus Broukhusio et Vossio. Confirmat illam adverbii *Semper* collocationem I. 5. 51.

Hanc volitent animae circum, sua fata querentes
Semper, *et e tectis strix violenta canat.*

Virgilius Ecl. VII. 49.

Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis
Semper, *et assidua postes fuligine nigri.*

Quibus locis ita illud positum est, ut ad utrumque membrum referri possit, sicut supra II. 6. 16. *Ilicet.* Quod convenire etiam videtur loco, quo de agimus. Vide Euripidis Phoen. 660. Philostrati Ep. 26. *Cornua* in suis libris legisse Statium credam, quamvis tacentem. Caeteri magno consensu *tempora. Geras* pro *feras* e tribus libris reposuit Broukhusius. Accedunt tres Voss. Conf. I. 3. 66. I. 7. 7.

5. ET IPSE — MEDICANDE DOLOREM] Vossian. primus *nuncque* pro *et ipse.* Idem liber pro *medicando*, quod caeteri libri habent, *medicande.* Bodl. *dolores.* Bern. *laborem.* Quot verba, tot aberrationes. Iam *pariter medicande*, ut Statius dudum emendaverat, Heynius post Vulpium explicat, „cui non minus medela et auxilium opus est, ut animi morbo isto, amore, libereris, quo in Ariadnen teneris.“ Idem tamen addit, *Sed haec putida sunt.* Quod verissimum. Num Bacchus adhuc

Care puer, madeant generoso pocula Baccho;
Tu nobis prona funde Falerna manu.

V. 6. I, nobis.

aetate Lygdami medicina illa indigebat? Ergo saltem *medicate* scribendum foret. Heynius malit, *Aufer et* indomitum succo medicante *dolorem*. Wacker. Amoen. p. 72: Adfer *et ipse* merum, *pater*, *et medicare dolorem*. Acutius Wassenbergius:

Aufer et ipse meum patera medicante *dolorem.*

Hac emendatione Boschio ad Anthol. Gr. p. 154. videtur „e tenebris orta lux et suavissimo poetae suus restitutus ingenuitatis et perspicuitatis nitor.“ Mihi contra placet, quod supra in transcursu proposui, *medicate*, unde facile formari potuit *medicando* duplicata syllaba priore vocis *dolorem*. Calpurnius Ecl. IX. 27.

Interea, tamquam nostri solamen amoris
Hoc foret, aut posset rabidos medicare furores —

4. CECIDIT MUNERE VICTUS AMOR] Guelf. 3. *numine* pro *munere*, quod cum illo confunditur etiam III. 5. 29. At Broukhusio displicet *cecidit*, non quo pravum putet, sed quod *cadendi* verbum pro eo, quod est victum abire, poni solere vix arbitretur. Malit igitur *cessit* vel cum Heinsio *cedit*. Sed Santenius ad Balbum, qui hunc versum ita expressit El. XX. p. 157.

Diluiturque tuo munere *victus amor*,

scribit p. 1825. „ne *cecidit* loco moveas, cavet Burmannus ad Phaedrum IV. 5. 2.“ Lachmannus ad Propertium I. 12. (11.) 18. testem citat Catullum XI. 22. Ego ad testimonium vocavi Graecos in Anall. Critt. p. 154. ad illustrandum locum Propertii I. 13. 5.

Incipis et primo lapsus *abire gradu.*

5. CARE PUER] Edd. principes et cod. Lips. *Chare.* Schefferi MS. *Carpe puer:* Heinsius addit „ut apud

Petronium." Petronii locus exstat c. 36. sed nulla similitudine attingit locum Tibulli. Mitscherlichius ad Horatium II. Carm. 11. 18. corrigit, *Larga, puer, madeant* etc. addens, apage illud frigidum, quod libros obsedit, *care puer.* Bona verba, quaeso. Statius III. Silv. 4. 60.

> Care puer, *Superis qui praelibare verendum*
> *Nectar et ingentem toties contingere dextram*
> *Electus.*

Solebant autem pueri ad cyathos eligi pulcherrimi dominisque carissimi, in publicis sacris etiam generosissimi.

6. I NOBIS PRONA FUNDE FALERNA MANU] Sic hunc versum de coniectura edidit Scaliger, quam forte fortuna confirmant Excerptt. Perreii et Vindob. Caeteri libri scripti editique ita:

> Et *nobis prona funde Falerna manu:*

nisi quod unus Stat. *plena* habet. Iam copulam hoc loco ferendam non esse, satis apparet. At vide mihi, quam inficete ei substituatur *I*, quum statim sequatur *Ite, ite,* sensu diverso. Comparemus cum hoc versu eiusdem compositionis versum 62. qui vulgo ita legitur:

> Tu *puer* et *liquidum fortius adde merum.*

Hic iterum Scaliger pro *et* reposuit *i*, quod nunc in eodem libro Vindob. repertum, at etiam in Monac. et Voss. quinto. Non magis hoc loco ferendam esse copulam, quam illo, me tacente, intelligitur. At illud nemini in mentem venit, quod in oculos incurrit, hic iterum accidisse, quod supra El. V. vss. 3. et 29. accidit, ut duo eiusdem carminis versus confunderentur a librariis et corrumperentur. Male pronomen *Tu* e v. 6. translatum in v. 62. sede sua expulit verbum *I*, male vicissim copula *Et* e v. 62. translata in v. 6. sede sua expulit pronomen *Tu*. Cui confusioni, facta iusta permutatione, ita occurri potest, ut nulla vocula pereat. Nempe versus 6. ita legendus est:

> Tu *nobis prona funde Falerna manu,*

versus autem 62. ita:

> I, *puer*, et *liquidum fortius adde merum.*

Hoc infra exemplis nonnullis firmabitur. Nunc

Ite procul durum, curae, genus, ite labores;
Fulserit hic niveis Delius alitibus.

V. 7. dirum.

pronomen *Tu* e perpetua scriptorum consuetudine in exhortatione poni a Tibullo, aliquot locis demonstrandum est. Supra I. 2. 15.

Tu *quoque ne timide custodes, Delia, falle.*

II. 5. 35.

Et tu, *Bacche tener, iucundae consitor uvae,*
Tu *quoque devotos, Bacche, relinque lacus.*

III. 4. 64.

Tu *modo cum multa brachia tende prece.*

7. DURUM, CURAE, GENUS] Dresd. *curae, durum genus.* Cui structurae cur Male adscripserit Wunderlich. non intelligo. Non peior haec structura est, quam illa Virgil. I. Georg. 63. At unus Statii et Guelf. 2. *dirum — genus.* Hoc nunc repositum video ad evitandam κακοφωνίαν. Talia non offendebant Veterum aures, quae profecto, quod alibi demonstravi, duriora ferre didicerant. Claudianus XXVI. 302.

Me quoque non impar naturae cura remordet.

Et *curae* recte *durae* dicuntur, non *dirae*, praesertim hoc loco, ubi *durum genus* non solum ad *curas*, sed etiam ad *labores* pertinet, qui *duri* proprie dicuntur, etiam supra I. 4. 47. Virgilius IV. Aen. 487.

Haec se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit, ast aliis duras *inmittere* curas.

8. FULSERIT HIC NIVEIS — ALITIBUS] Dresd. Guelff. 2. 5. Monac. *Fulxerit.* Ex quo factum est in uno Stat. *Fluxerit.* Askew. *Pulserat.* Paris. *Pulserit.* Ab his mendis procul discedit Lips. qui versum ita exhibet:

Luserit *hic niueis delius* altilibus.

Vos modo proposito, dulces, faveatis, amici,
Neve neget quisquam me duce se comitem.
Aut si quis vini certamen mite recusat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.

Scripturam mendosam *altilibus* communem habet cum Voss. quinto, *Luserit* solus et sine aemulo. Sic Ed. min. a. 1472. sola habet, nullo alio neque scripto neque edito libro confirmatam, lectionem:

> *Fulserit hic iuuenis delius alitibus.*

E quibus aberrationibus an nova concinnanda sit lectio, a vulgata discedens, viderint alii. Ego hac contentus sum. Pro *hic* Dresd. et Voss. 4. *et:* pro *niveis* Excerptt. Lips. *nitidis.* Voci *Delius* in ora Ed. Reg. adscriptum est: *Sol, dies,* quae Heynii etiam interpretatio est. Hoc sensu, nisi fallor, Delium Apollinem invocant nautae Salaminii, felicem in patriam reditum exoptantes, apud Sophoclem Ai. 702.

> *'Ικαρίων δ' ὑπὲρ πελαγέων*
> *μολὼν ἄναξ 'Απόλλων*
> *ὁ Δάλιος εὔγνωστος*
> *ἐμοὶ ξυνείης διὰ παντὸς εὔφρων —*

9 — 10. VOS MODO PROPOSITO] Voss. tert. *meo* pro *modo.* Plinius in Paneg. c. 95. Vos modo favete *huic* proposito *et credite. Neve neget* — se *comitem,* ut Propertius I. 6. 9.

> *Illa* meam *mihi* se *iam* denegat.

Dux autem hoc loco est *convivii rex* vel *arbiter,* qui graece etiam dicitur *ἡγεμὼν, στρατηγὸς,* modimperator. Vide Lipsium ad Plaut. Pers. V. 1. 18. Talem se hoc carmine profitetur Tibullus.

11. AUT SI QUIS — RECUSAT] Sic Paris. complures Statt. et Broukhuss. Edd. Rom. et Venett. 1491. 93. At Lips. *Haud si quis — recuset.* Unus Broukh. tres Voss. cum aliis, Edd. principes, Vi-

Ille facit dites animos Deus: ille ferocem
Contudit, et dominae misit in arbitrium.

V. 13. mites.

cent. Reg. Lep. Ald. 1502. *Aut si quis — recuset.* Et valde mirarer, si Hamb. non haberet *recuset.* Nam in hoc libro haec eadem lectio translata est in I. 4. 15.

Sed *te ne capiant, primo*
si forte recuset,

pro *negarit* vel *negavit, Taedia.* Quod genus confusionis familiare est librariis, eundem librum saepius describentibus, quorum aures circumsonabant similium tinnitu verborum. Exempla vide supra III. 5. 3. et 29. et huius Elegiae vss. 6. et 62. in primis versum 4. ubi librarius Askew. plane oscitans et aliud agens pro *victus amor* scripsit *victus Arax* vel *Atax* ex I. 7. 4. In eiusmodi hominibus nemo constantiam requirat. Verum si constare sibi voluit librarius Cod. Hamb. versum ita exhibere debuit:

At *si quis vini certa-*
men mite recuset,

ut *At,* quod complures libri habent, responderet particulae *Sed* I. 4. 15. Hanc lectionem praefert Heynius, nec ea deterior est vulgata. *Certamen mite* Schraderus mutabat in certamen *inire*, quod tuetur etiam Mitscherlichius in Tentamine, „ne idem vocabulum statim recurrat.“ Quae probabilis foret observatio, si v. 13. admittenda esset lectio *mites* animos. Sed vide locum. — *recusat.* Poterant hoc loco uti viri docti ad Callimachi Fragm. CIX. apud Valckenarium p. 248. pro *ἀπέστυγε,* quod Bentleius tuetur, alteram, mea etiam sententia meliorem, lectionem vindicantes:

καὶ γὰρ ὁ Θρηϊκίην μὲν
ἀνήνατο χανδὸν ἄ-
μυστιν
ζωροποτεῖν· ὀλίγῳ δ' ἥ-
δετο κισσυβίῳ.

13. ILLE FACIT DITES ANIMOS DEUS] Sic libri, quos viderim, omnes. At *dites* animos facit Bacchus, non Amor, qualis hic describitur. Recte. Nec dubium est, quin haec ad Bacchum pertineant. At

sequentia tamen ad Amorem. Vere. Sed vide, ne *ille, ille* hoc loco idem sit atque *alter, alter*. Hoc obversabatur Wunderlichio. Sed exempla, quae citat, rem non demonstrant. Terentius Phorm. II. 2. 16.

> *non rete accipitri tenditur neque miluo,*
> *Qui male faciunt nobis: illis qui nil faciunt, tenditur:*
> *Quia enim* in illis *fructus est,* in illis *opera luditur.*

Ubi Bentleius libris invitis edidit *in istis* opera luditur. Sit haec vera emendatio, nihil impedio. At Quintilianus tamen sic scribit II. 8. 11. *An vero clarissimus ille praeceptor Isocrates, quem non magis libri bene dixisse, quam discipuli bene docuisse testantur, quum de Ephoro atque Theopompo sic iudicaret, ut* alteri frenis, alteri calcaribus opus esse *diceret; aut* in illo *lentiore tarditatem, aut* in illo *paene praecipiti concitationem adiuvandam docendo existimavit? quum alterum alterius natura miscendum arbitraretur.* Ib. XI. 3. 168. de Demosthene et Aeschine: *Nam* neque ille *per Marathonis et Plataearum et Salaminis propugnatores recto sono iuravit,* nec ille *Thebas sermone deflevit.* Ibi Burmannus laudat commentarium suum ad Ovidii Ep. II. 148.

> *Phyllida Demophoon leto dedit, hospes amantem:*
> Ille *neci caussam praebuit*, illa *manum.*

Nulli igitur versus hic exciderunt, quod Heynius censebat, nec admittenda videtur lectio *mites*, quam Lipsii Excerptt. substituunt. Componit Tibullus inter se Bacchum et Amorem, quorum illum aperte praedicavit, hunc occulte modo tetigit v. 12. Nunc subito invehitur in Amorem, needum nominatum, sed, postquam satis vim eius deformavit, tandem, de quo numine sermo sit, diserte pronuntiat v. 17. quod egregie convenit animo concitato et aestuanti. Si quis tamen haec omnia ad Amorem solum pertinere censeat, praeferatque lectionem *mites*, adsumat etiam necesse est emendationem *certamen inire* v. 11. ne eadem vox bis deinceps diverso sensu ponatur primum de Baccho,

Armenias tigres et fulvas ille leaenas
Vicit et indomitis mollia corda dedit.
Haec Amor, et maiora valet; sed poscite Bacchi
Munera; quem vestrum pocula sicca iuvant?

V. 15. Armeniasque — fulvos — leones. 18. nostrum.

deinde de Amore, quod equidem Tibullo non imputaverim. — *ille* ferocem *Contudit*. In Sfortiae libro et Florentino *feroces*. Profecto non male. Propertius I. 14. 17. de Venere:

Illa potest magnas heroum infringere *vires:*
Illa etiam duris mentibus *esse dolor*.

Euripides Hipp. 1268.

Σὺ τὰν θεῶν ἄκαμπτον φρένα
καὶ βροτῶν ἄγεις, Κύπρι.

Cave tamen cum Marklando *mentes* substituas Statio I. Silv. 2. 183. de Venere:

Quas ego non gentes, *quae non face corda iugavi?*

Non ille meminerat, latius patere *gentes* quam *mentes*, et *gentibus* comprehendi etiam *mentibus* carentes, quas statim recenset, ut Euripides, ita Statius, adde etiam, Tibullus.

15. ARMENIAS TIGRES — FULVAS ILLE LEAENAS] Cod. Paris. *Armenas*, id est, *Armenias*, ut habet Lips. omnes Statt. Ed. min. a. 1472. Venett. 1491. 93. Aldd. etc. Alteram lectionem *Armeniasque tigres*, (*tygres*) quam pauci libri habent, ut Vindob. Voss. 3. et 5. Ed. princeps a. 1471. Venet. 1475. Vicent. et Reg. Lep. posteriores Editores reiecerunt. Hos sequi tutius est, quam reponere *Armeniae tigres* cum Broukhusio, quem fefellerunt Horatii *Sabaeae reges* et Virgilii *pastores Libyae*. Ovidius II. A. A. 183.

Obsequium tigresque domat Numidasque leones.

Ubi videndus Heinsius. Nonnulli habent *fulvos leones*. Nostri libri omnes *fulvas leaenas*.

17. HAEC — ET MAIORA VALET] Paris. *volet*.

Convenit ex aequo, nec torvus Liber in illis,
Qui se, quique una vina iocosa colunt.

Sic Edd. quae Brouklusianam antecedunt, omnes. Lips. *velit.* Quod expressum video in Ed. Graev. a. 1680. In Sfortiae libro *dedit.* Sed unus Stat. Askew. Voss. 1. 2. *valet.* Gradationem a *maximis* ad *maiora* perperam reprehendit Weiskius ad Ciceronis Or. pro Marcello §. 6. *Quae quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim:* sed tamen sunt alia maiora. Conf. Lucanum I. 675. — Nonnulli libri habent *Bacchum.* Sed in conviviis sodales poscere solent *munera Bacchi*, *δῶρα Διωνύσου*, a puero, non poscere Bacchum munera, quae adsunt. *Poscere* autem proprie, sicut apud Ciceronem, *Poscunt maioribus poculis.*

18. QUEM VESTRUM] Ursin. liber et Voss. 3. *nostrum.* Perperam. Ed. mai. a. 1472. *iuvat.*

19. CONVENIT EX AEQUO] Haec formula non pertinet ad Bacchum et Amorem, quod falso sumitur, sed ad convivas, *aequa lege* bibentes. Ea sedem habet in conviviis. Hinc praeclare Plutarchus Conv. Sept. Sapientt. c. XI. *ἐγώ τοι, εἶπεν, ὦ Περίανδρε, τὸν λόγον ἀξιῶ καθάπερ τὸν οἶνον μὴ πλουτίνδην μηδὲ ἀριστίνδην ἀλλ᾽ ἐξ ἴσου πᾶσιν ὥςπερ ἐν δημοκρατίᾳ νέμεσθαι καὶ κοινὸν εἶναι.* Plato Conviv. p. 176. Bip. *καίτοι οὐκ ἐξ ἴσου γίγνεται ἡμῖν τοῖς ὑστάτοις κατακειμένοις.* Ib. p. 255. *μεθύοντα δὲ ἄνδρα παρὰ νηφόντων λόγους παραβάλλειν, μὴ οὐκ ἐξ ἴσου ᾖ.* De formula *ex aequo,* cui respondet altera *ex pari,* vide Burmannum ad Petron. c. 74. et ad Quintiliani Declamatt. 52. et 75. E contrario apud Horatium II. Serm. 6. 67.

prout cuique libido est,
Siccat inaequales calices *conviva,* solutus
Legibus *insanis, seu quis capit acria fortis*
Pocula, seu modicis uvescit laetius.

Quod sequitur, *nec torvus — in illis*, est haec scriptura in libris paene omnibus, a quibus discesserunt Editores veteres, quibus placuit, quod perpauci libri habent, *in illos*. Recte priorem scripturam restituit Broukhusius. Ita Propertius III. 17. 23. Lycurgum dicit *vesanum nova in vite*. Minos ib. III. 19. 28. *aequus* in hoste *fuit*. Pro *nec* duo Italici, Voss. 5. Ed. Rom. 1475. *non*.

20. QUI SE, QUIQUE — COLUNT] Dresd. cum nonnullis Statt. et Voss. 3. 4. *quisque* pro *quique*. Voss. 1. et Ed. Rom. *Qui se* cunque *una*. Vossius suspicatur, auctorem scripsisse:

> *Qui* sua securi *vina iocosa colunt.*

Nec mirum, locum huic emendationi et isti corruptioni ansam praebuisse. Nam ut nemo intellexit formulam *Convenit ex aequo*, ita etiam nemo locutionem *Qui se colunt*. Illa referri solet, quod supra dixi, ad Bacchum et Amorem, quibus bene convenire constat, haec ad Bacchum solum, inculcato tamen hic etiam, nescio qua machina, Amore, ut sit: *nec torvus Liber in illis, qui se*, (Liberum ipsum) *et* una cum Amoris donis, *vina* sua, id est, Liberi ipsius, *iocosa colunt*. Hic manifesto aberrant interpretes a sententia scriptoris, qui pronomen *se* referri voluit non ad Liberum, sed ad *illos* amicos. Nam *colere se* h. l. dicuntur amici *bene convenientes*, qui mutua benevolentia se complectuntur ac reverentur, qui inter potandum etiam non Thracum more rixantur, sed *iocantur* urbane, memores dicti:

> *πίνειν καὶ παίζειν, καὶ τὰ δίκαια φρονεῖν.*

Cicero Amicit. 22. *cum homines benevolentia coniuncti primum cupiditatibus iis, quibus caeteri serviunt, imperabunt: deinde aequitate iustitiaque gaudebunt — neque solum* colent inter se *ac diligent, sed etiam* verebuntur. *Nam maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit* verecundiam. — His levis, *nec torvus in illis* est Bacchus, ut e contrario torvus *nec levis* est Sithoniis apud Horatium I. 18. 7.

> *At ne quis* modici *transiliat* munera Liberi,

Nam venit iratus nimium nimiumque severis;
Qui timet irati numina magna, bibat.

Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata, monet Sithoniis non levis Evius.

(Dialog. de Oratorr. c. 9. *Pulchrum id quidem, indulgentiam Principis ingenio mereri: quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat*, se ipsum colere, *suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem?*) His ita constitutis et explicatis, nemo erit, qui dubitet, quid existimandum sit de iudicio Heynii, sic scribentis: „Distichon hoc 19. 20. ab interpolatore profectum, qui, quae sentiebat, rite verbis reddere haud pollebat." Mihi contra hoc loco accidisse videtur, ut interpretes ad unum omnes, quae sentirent, verbis rite reddere haud possent. Nam Tibullo quidem nemo facile plus *sapere et fari possit quae sentiat*, neque vero quisquam temere meliores versus faciat — Lygdamo.

21. IAM VENIT IRATUS — SEVERIS] In uno Stat. *Nam.* Huc accedunt Paris. Lips. octo Apogr. Voss. Guelf. 2. et 3. qui *Non* habent. Unde natum *quom*, quod Hamb. et *convenit*, quod Monac. exhibet. Recte Vossius hoc loco reposuit *Nam*, contra quam fecit supra II. 5. 3. ubi item confunduntur *Iam* et *Nam*. Bene Heynius adposuit locum Horatii I. Od. 18. 3.

Siccis *omnia* nam *dura Deus proposuit.*

Ed. mai. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. Venett. Aldd. etc. *Iam.* Altera Ed. a. 1472. *Non.* Broukhusius, consentiente Vulpio, interpunxit, *iratus nimium, nimiumque* — quod ferendum non esse vidit Heynius, sed rem non comprobavit. Vide igitur Colvium ad Appuleii VIII. Metam. p. 157. Pric. *Sed Thrasyllus* nimium nimiumque clamare, *plangere.* Ovidius I. Epp. 41.

Ausus es, o nimium nimiumque *oblite tuorum.*

— Quod Livineius reposuit

Quales his poenas qualis quantusque minetur,
Cadmeae matris praeda cruenta docet.

severis pro *severus*, confirmatur Bern. et Goth. *Venit iratus*, ut apud Propertium I. 10. 25.

Irritata venit, *quando contemnitur, illa.*

22. BIBAT] Lips. in quo traiectus hic versus est post v. 24. habet *bibit.* Zwic. 2. *bibet.*

23. QUALES HIS — QUALIS QUANTUSQUE] Hanc lectionem primus in ordinem recepit Scaliger, secutus librum Cuiacii, quocum conspirant Vindob. et Voss. tertius. Fatendum est, elegantissimam esse hanc verborum compositionem *quales qualis*, saepe usurpatam Graecis, v. c. Longo p. 125. οἷος ὢν οἵων ἐρᾷ. Ad quem locum Schaeferus recte tuetur libri Palatini scripturam in Leonidae Tarentini Epigr. LXIX. 6.

φεῦ, γαίης ὅσσης ὅσσον ἔχει μόριον.

Et sic etiam saepissime coniunguntur *qualis quantusque*, monente Vulpio, qui comparat Homeri Il. ω. 630. de Achille:

ὅσσος ἔην, οἷός τε· θεοῖσι γὰρ ἄντα ἐῴκει.

Tamen vereor, ne haec lectio orta sit ex emendatione. Nam in alia omnia abeunt caeteri libri tum scripti tum editi, miro consensu pro *qualis* exhibentes *deus hic*, quod quantam vim hoc loco habeat, etiam sine exemplo intelligitur. Sed plane ita scribit Propertius I. 7. 15.

Te quoque si certo puer hic *concusserit arcu.*

Et Tibullus ipse II. 4. 38.

Fecit, ut infamis hic deus *esset Amor.*

Iam videamus caeteras varietates, si forte certius quid inde erui possit. Ed. mai. a. 1472. (Venet. 1475.) et Vicent.

Quales iis *poenas* deus hic: *quantumque minetur.*

Sic etiam Reg. Lep. nisi quod pro *iis* habet *his*, ut Codd. Guarn. Paris. Lips.

tres Broukhuss. Colb. Statt. in caeteris cum Ed. principe consentientes. Unus Stat. *is*. Aliam lectionem expressit Ed. min. a. 1472. quam sequitur Ald. 1502.

> *Quales his poenas* Deus hic quantasque *minetur*.

Ita legitur in septem libris, citatis a Broukhusio; nec haec lectio deterior est vulgata. At uno tantum, quod sciam, libro Guelf. 4. confirmatur scriptura Edd. Rom. 1475. Brix. et, quas Cyllenianas vocant, Venett. 1487. 91. 93.

> *Quales his poenas* quantas deus hisce *minetur*.

Haec manifesta est interpolatio. Nec eam dignam habuerunt, quam sequerentur, posteriores editores, v. c. Ald. 1515. Plant. 1569. Gryph. 1573. quibus impressa est lectio, quam primo loco commemoravi. Nec haec lectio elegantia cedit vulgatae, modo *quantumque* (quamquam hoc etiam ferri potest) mutes in *quantusque*. Sed non contentus hac scriptura vir doctus margini Ed. Reg. Lep. adscripsit emendationem, qua dubito an ingeniosior reperiri possit. Hic postquam pronomini *his* adposuit quaestionem *quibus?* pro *Quales his*: Lege, inquit,

> Quas laesus *poenas Deus hic*.

Quodsi memineris, *laesus* vulgo in libris exarari *lesus* et Ed. princ. pro *his* habere *iis*, quantillum intersit inter voces *Qualesiis* et *Quaslesus* intelliges et omni laude superiorem esse hanc emendationem fateberis. Cur igitur, dicat aliquis, hanc emendationem, si tantopere tibi placet, non intulisti in contextum? Huic ego responderim, ubi plures adsint lectiones aeque probabiles, me, quae vera sit, ignorare, vera autem interdum esse, quae non sunt verisimilia.

24. CADMEAE MATRIS PRAEDA] Hamb. *mea* pro *praeda*. Scheff. et Voss. quint. *turba*. Memorabilis lectio, quae exstat etiam in Ed. min. a. 1472. Ovidius III. Metam. 715. de eodem Pentheo: *Ruit omnis in unum* Turba *furens*. Euripides Bacch. 1119.

> *Αὐτονόη τ' ὄχλος τε πᾶς*
> *ἐπεῖχε Βακχῶν· ἦν δὲ πᾶσ' ὁμοῦ βοή.*

Cadmea mater si dicere-

Sed procul a nobis hic sit timor; illaque, si qua est,
Quid valeat laesi, sentiat, ira Dei.

V. 25. impia si qua est.

tur de Cadmi matre, locutio nihil insoliti haberet. Sic dicitur ὁ *Ἡράκλειος πατὴρ, pater Herculis* Eurip. Herc. Fur. 159. *Νηλήϊος υἱὸς, Nelei filius* Hom. Il. *β.* 20. *ἁ Βερενικεία θυγάτηρ, Berenices filia* Theocrit. XV. 110. frustra mutatum in *Βερενικείας* a Valckenario ad Callimachi Fragm. p. 105. *Stilichonia virgo* filia Stilichonis, Claudian. X. 117. Nunc autem *Cadmea mater* dicitur Agave, mater Penthei, quatenus est *filia Cadmi*, sicut apud Theocritum XXVI. 35. *ἀδελφεαὶ Καδμεῖαι* sorores sunt, Cadmo prognatae.

25. A NOBIS — ILLAQUE, SI QUA EST] Colb. *vobis.* quod legitur etiam in margine Ed. Gryph. 1573. Petronius c. 74. *Longe a nobis!* Ubi Heinsius, Formula antiqua ut, *procul a nobis.* In Lips. excidit *sit* post *hic.* Pro *illaque* in margine Ed. Gryph. 1573. legitur *impia*, quod ex hoc fortasse exemplari etiam margini Ed. Reg. Lep. adscripsit doctus ille adnotator. Eget locus sine dubio emendatione. Nam nullam prorsus vim habet copula, nec *illa* exspectatur post *timor*, sed potius *ira*. Quare, traiectis his vocibus, legendum videtur:

Sed procul a nobis hic sit timor: iraque, *si qua est,*
Quid valeat laesi, sentiat illa, *dei.*

Quae interrupta et suspensa oratio convenit cum haesitatione quadam imprecanti, nec ita sine vi est copula *que*. Eadem verborum consecutione scribit Propertius II. 10. 17.

Et si qua *extremis tellus se* subtrahit *oris*,
Sentiat illa *tuas postmodo capta manus.*

Lips. illaque *sic^{a}p est*, nisi fallor, pro *sic qua*, quod in suis libris invenerat Muretus, emendans *sicca*. Caeteri libri in vulgata conspirant. Veteres Editores, quid facerent

Quid precor, ah, demens? venti temeraria vota,
Aeriae et nubes diripienda ferant!
Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neaera,
Sis felix, et sint candida fata tua.
At nos securae reddamus tempora mensae.
Venit post multos una serena dies.

V. 32. multas.

voce *illaque*, dubitasse, demonstrat interposita ab iis distinctio. Nam Ed. mai. a. 1472. habet, *hic sit timor illaque: si qua est.* Reg. Lep. *hic sit timor; illaque: si qua est.* Sic etiam Venett. 1491. 93. in quibus tamen, ut in Rom. 1475. et cod. Guelf. 1. desideratur *est.* Hic idem codex Guelf. cum quarto *hinc* sit.

26. SENTIAT] Guelf. 1. 2. *sentiet.* Haec etiam confunduntur in versu Propertii supra citato, et II. 4. 26.

sacrilegas sentiat illa *manus.*

27 — 28. TEMERARIA VOTA AERIAE ET] Cyllenius ita locum descripsit in commentario: *venti* contraria *vota Aeriae nubes* — sine copula, (quae excidit etiam in Paris.) laudans versum Statii de Achille, qui est Catulli de Theseo LXIV. 59.

Irrita ventosae linquens promissa procellae.

Goth. *aeriaeque.* Ed. min. a. 1472. *dirripienda.* Eadem correctio sui repetitur infra IV. 5. 17.

Quid facio demens? heu heu *mea pignora cedo.*

30. FATA TUA] Lips. cum aliis, Edd. mai. a. 1472. Rom. Reg. Lep. Venett. 1475. 91. 93. *facta.* Nonnulli libri *vota,* repetitum e v. 27. Unus Stat. *tibi.*

32. VENIT POST MULTOS UNA — DIES] Com-

Hei mihi! difficile est, imitari gaudia falsa;
Difficile est, tristi fingere mente iocum;

plures libri, in quo numero est Lips. pro *multos* habent *multas*. Hoc expressum est in Ed. mai. a. 1472. Venett. 1475. 1491. 93. Vicent. Reg. Lep. At Paris. cum maxima librorum parte *multos*. Quod receptum est in Ed. min. a. 1472. Aldd. Scalig. Illud Muretus, Passeratius, alii praetulerant, hoc Broukh. Vulpius, Heynius. Recte, credo. Non id plus offensionis habet, quam supra II. 4. 24.

Sed Venus ante alios *est violanda mihi*,

quandoquidem *dies* plurali numero masculini est generis. Eodem modo variat Virgilius I. Georg. 276.

Ipsa dies alios *alio dedit ordine Luna*
Felices operum. Quintam *fuge* etc.

ubi unus substituit *quintum*, cui obstat v. 284. *Septuma post decumam*. *Alios* habent libri omnes, non *alias*. Colb. *Post veniet multos*. Locus in memoria haerebat Balbo T. I. p. 150. 4.

Iam remeat pulsa nube serena dies.

Ad quem locum Santenius scribit p. 1797. Ut nunc est, melior in his sensus, quam in Tibullo III. 6. 52. *Venit post multos* — Sed confirmat Balbus, quod dudum videram, hic *nimbos* legendum esse. — Atqui Tibullus *una* serena dies posuit. Ergo etiam *multos*, intellige *nubilos*. Conf. III. 4. 93.

33. HEI MIHI! DIFFICILE EST] Novum hinc Carmen exordiuntur libri, quod sciam, omnes, Edd. etiam veteres, a quibus tandem discessit Muretus, intelligens, haec cum superioribus ita copulata esse, ut separari nullo modo possint. Statius tamen, Septimam, inquit, facio, secutus omnium, quos viderim, veterum librorum fidem. Mureto, quamvis non nominato, obtemperavit Scaliger. Inscripse-

Nec bene mendaci risus componitur ore;
Nec bene sollicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? turpes discedite curae.
Odit Lenaeus tristia verba pater.
Gnosia, Theseae quondam periuria linguae
Flevisti ignoto sola relicta mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,
Ingrati referens impia facta viri.

V. 41. Sed.

runt locum alii aliter, e. c. Ed. mai. a. 1472. et Reg. Lep. *Conqueritur de Neaera.* Altera princeps, *Conquestio amatoria.* Vicent. *Conqueritur de Neaera et tentat depellere curas;* (ex libro I. 5. 37.) Heynius notavit: „In Corvin. hic est initium Elegiae XXIV." Paris. et Guarn. *Si mihi.* Hamb. *Sic mihi.* Ovidius II. Metam. 447.

Heu! quam difficile est, crimen non prodere vultu.

35. NEC BENE — COMPONITUR ORE] Voss. quart. *Non bene.* Hoc fortasse sensu proci Penepoles γναθμοῖσι γελοίων ἀλλοτρίοισι Od. υ. 346. Quem locum alii aliter interpretantur. Vide Heindorfium ad Horatii II. Serm. 3. 72. Similiter infra IV. 7. 9.

vultus componere famae.

36. EBRIA VERBA SONANT] Ed. princ. *hebria.* Supra II. 1. 32.

Nomen et absentis singula verba sonent.

37. QUEROR] Unus Stat. *loquor.*

38. LENAEUS] Paris. *Lenaeus.* Voss. primus *Lemneus.* Ed. min. 1472. *laeneus.*

41. SIC — MINOI, CATULLUS] Unus liber Dresd. *Sed.* Broukhusius malit *Haec.* Quidni *Sic?* Nam

Vos ego nunc moneo: Felix, quicunque dolore
Alterius disces posse carere tuo

V. 44. cavere tuum.

sic revera cecinit Catullus. Pro *Minoi* Bern. *minor an*, id est, *minor ante*, ut plene scriptum in Paris. Lips. et Guarn. *minorque*. Voss. tert. *ignota*. secundus *Minoa*. Perfidiam virorum et mulierum similiter sed uberius persequitur Euripides Med. 411 — 446. provocans item v. 421. ad aliorum poetarum carmina.

43 — 44. VOS EGO NUNC — QUICUNQUE DOLORE] Paris. *Vos quoque*. Pro *nunc* Florent. Statii et Guelf. 2. *sic*. Ed. princ. Venet. 1475. Reg. Lep. et Lips. Heynii *quaecunque*. Voss. tert. *ter quinque*. Ed. Brix. *cuicunque*. Haec mera sunt scripturae menda. At pro *dolore* Lips. habet *dolorē*, hoc est, *dolorem*, quod legitur etiam in duobus Palatt. Hamb. et duobus Voss. qui libri tamen versu minore *carere tuo* exhibent, ut etiam Bern. quamvis offerens *dolores*. Haec lectionis diversitas inde orta est, quod fuerunt, qui legerent *cavere*, ut Palat. quintus, sed, quod Gebhardus addit, a manu emendatoris. Quae annotatio repetita est in ora Ed. Reg. Lep. At ista scriptura quam alienum a mente scriptoris sensum inferat, quis non videt? *Felix, quicunque* dolorem *Alterius disces posse* cavere tuo. Quod quum absurdum sit, Guyetus cum Gulielmio substituit:

Felix, quicunque dolore
Alterius disces posse cavere tuo.

Hoc Latinum esse, negat vir doctissimus, (*cavere tuo* dolori) reprehendens simul Broukhusium, in transcursu scribentem, „quemadmodum dicimus *cavere malo*.“ Nam Latine, inquit, scribitur hoc sensu *cavere malum*, non *malo*. Falso! Plautus Bacch. I. 2. 59.

Omitte, Lyde, ac cave *malo*.

Nec vos aut capiant pendentia brachia collo,
Aut fallat blanda sordida lingua prece.

Ubi Lydus paedagogus regerens, *Quid? cave malo?* profecto non Latinitatem reprehendere, sed iracundiam Pistocleri alumni cohibere volebat, manum ei intentantis. Petronius c. 82. *Quum deinde vultu atque ipsa trepidatione mendacium prodidissem, ponere iussit arma et* malo cavere. Ubi vide Pithoeum. Iam quum pro *malo cavere* scribi quidem potuerit *cavere dolori*, non *cavere dolorem*, sequitur, prorsus abiiciendam esse lectionem libri Falcoburg. *Felix, quicunque dolore*

Alterius disces posse cavere tuum.

Sed nec illa lectione deterior, immo melior est vulgata, quippe confirmata tot libris scriptis, Edd. quidem omnibus et Tibulli ipsius exemplo I. 2. 64.

nec te posse carere *velim.*

Ovidius Rem. Am. 540.

Iam quoque, cum credas posse carere, *mane.*

Nec Scaliger decipi se passus est vetere libro, quem *cavere tuos* habere notaverat in Adversariis MSS. monente Burmanno ad Propertium III. 9. 8. (11. 8.)

Tu nunc exemplo disce timere *meo.*

Ubi item Gruterus corrigebat *cavere.* Sic omnia corruperunt, ut antea scriptores librarii, ita postea Editores et Critici. Ovidius III. A. A. 455.

Discite *ab* alterius *vestris* timuisse *querelis.*

Pro *disces* duo Anglicc. et Falcob. *discis.* Colb. *discet — suo.* Cuiac. non *toros*, sed *tuos* habebat, ut Scaliger ipse testatur apud Burmannum. Quod referendum ad lectionem *dolores.*

45. NEC VOS AUT CAPIANT] Voss. 3. *Ne vos.* In quod coniectura inciderat Heynius, ratus, orationem pendere a verbo *moneo* v. 43. Sed vide Vossium. Supra I. 4. 15. *Sed te ne capiant — Taedia.*

Etsi perque suos audax iurabit ocellos,
Iunonemque suam, perque suam Venerem:

V. 47. fallax iurarit.

Falcob. *decipiant*. Excerptt. Scalig. *Non vos decipiant*. Hanc lectionem librariis suppeditasse videtur Propertius I. 9. 25.

> Nec te decipiat, *quod sit satis illa parata*.

46. AUT FALLAT—PRECE] Excerptt. Scal. *Nec capiat*. Caeterum ut supra El. 4. 64. *prece* et *fide* confundi vidimus, ita etiam hoc loco libri propemodum omnes *fide* habent pro *prece*. Duo tamen libri Scaligg. et Vindob. *prece*. Editi ante Scaligerum omnes *fide*. Anton. Perreius, quod nemo monuit, Ed. Aldinae 1515. quae vulgatam habet, adscripsit: „Aliter,

> Nec vos decipiant *pendentia brachia collo*,
> Nec capiat *blanda sordida lingua* prece."

Lectionem *decipiant* — *capiat* intulisse videntur, qui offenderentur repetitione insuavi *fallat* — *fallax*. Atqui haec lectio suspecta est, non illa.

47. ETSI — FALLAX IURARIT] *Iurarit* emendatio est Douzae, confirmata postea libro Passerat. Vindob. et Guelf. 5. qui in margine habet. Paris. Colb. Corvin. et tria Apograph. Voss. *iurabit*. Lips. cum caeteris libris, et quidquid est Edd. veterum *iuravit*. Hic locus vulgo ita construitur, ut in verbis, *Nulla fides inerit*, apodosis sit verborum ab *Etsi* pendentium: *Etsi iur* — *Nulla* tamen *fides inerit*. In qua constructione quamcunque lectionem adsumes, proba erit. Num etiam sententia? Nullo modo. Quis enim sententiam hanc probaverit? Etsi *fallax iurarit* — Nulla *tamen* fides inerit *fallaci* vel *iuramento falso*. Hoc Tibullo prorsus indignum commentum statim evanescet, ubi maiorem στιγμὴν, quam omnes adhuc Editores adposuerunt voci

prece v. 46. mutaveris in minorem, ita ut distichon 47 — 48. cum priore copuletur et periodum absolvat. Qua interpunctione adhibita, consequens sit, Tibullum scripsisse *iurarit*. Et hanc ego interpunctionem adhibuissem, nisi paullulum langueret sententia, sic nude posita v. 49. *Nulla fides inerit*, nec locus de mendo suspectus esset, quod proposui supra ad III. 4. 8. ubi melius se excipiunt *fallaci* — *falsa*, quam hoc loco *fallat* — *fallax*. Illic nihil est ambigui in sententia. Hic *fallax* puella miras obiicit interpreti difficultates. Quid igitur? Num fortasse Tibullus pro *fallax* scripsit *pellax?* Haec et alibi confunduntur. Virgilius II. Aen. 90.

> *Invidia postquam* pellacis *Ulixi* —
> *Haud ignota loquor* — *superis concessit ab oris.*

Ubi multi codd. habent *fallacis*. Servius ita: *Pellacis*, per blanditias decipientis. *Pellicere* enim est *per blanditias illicere*. Vide Bentleium ad Horatii III. 7. 20. —

Adhuc haec erant. Mox perlustranti mihi oculis codd. Ovidianos in Bibliotheca Berolinensi obtulit se unus, qui Artem Amatoriam complectitur. Hoc libro, pergratum mihi accidit, everti emendationem meam, confirmari suspicionem, loco Tibulli mendum inhaerere. Nam versibus Ovidii I. 633. 34.

> *Iuppiter ex alto periuria ridet amantum*
> *Et iubet eolios irrita ferre notos:*

his igitur versibus librarius idem, qui Carmen ipsum descripsit, adposuit contra haec:

Tibullus

> *Perque suos* amās *audax iurabit ocellos*
> *Iunonemque suam, perque suam Venerem.*
> *Nulla fides* inerit. *periuria ridet amantum*
> *Iuppr. et ventos irrita ferre iubet.*

Tibullus

> Ne *iurare time veneris piuria venti*
> *Irrita per terras et freta* sum̄a ferent.

Haec ille: agnoscens simul lectionem *summa* I. 4. 21. et loco, de quo nunc agimus, scripturam inferens, omnes in se ve-

Nulla fides inerit; periuria ridet amantum
Iuppiter, et ventos irrita ferre iubet.
Ergo quid toties fallacis verba puellae
Conqueror? ite a me, seria verba, procul.

V. 51. vota.

ritatis numeros habentem, Etsi — *audax iurabit.* Hanc in ordinem recipere non dubitavi. Propertius I. 15. 25.

> *Desine iam revocare tuis* periuria *verbis,*
> *Cynthia, et oblitos parce monere deos.*
> Audax ah nimium, *nostro dolitura periclo,*
> *Si quid forte tibi durius inciderit.*

49. NULLA FIDES INERIT] Guelf. 1. et Eborac. a manu secunda, Edd. Rom. Brix. cum Venett. (1487.) 1491. 93. *Nulla fides* Veneri. Sic supra I. 4. 21. *Veneris periuria venti*

> Irrita *per terras et freta summa* ferunt.

Ex quo loco, nisi mera est oscitantis librarii repetitio, orta videtur lectio *Veneri*, cui Askew. substituit *meritis*, Vossius sine iusta causa *fuerit.* Nulla fides *inerit* iuramento vel puellae iuranti, (ἐπεὶ οὐκ ἔτι πιστὰ γυναιξίν. Hom. Od. λ. 455.) Statius laudat Manilium IV. 578.

> Nulla fides inerit *natis.*

Adde Horatium, meretricis sordidae acumina describentem I. Epp. 17. 56.

> *Saepe periscelidem raptam sibi flentis: uti mox*
> Nulla fides *damnis verisque doloribus* adsit.

51. ERGO QUID TOTIES — VERBA PUELLAE] Unus Broukh. et Voss. 4. *Ergo ego.* Lips. *q tociens* pro *qui.* Nam *quid* plene exarare solebat librarius. Paris. *qui tociens.* Edd. principes, Vicent. Reg. Lep.

Quam vellem longas tecum requiescere noctes,
Et tecum longos pervigilare dies!

V. 53. tecum longas.

qui totiens. Monac. Ed. Rom. *quid.* Venett. *quid totiens.* Porro omnes scripti editique habent *verba*, non *vota*, quae Vossii emendatio est. *Verba* enim, inquit, nimis vage hoc loco ponuntur, suspecta etiam sunt propterea, quod *verba* statim repetuntur. De repetitione paullo post. *Verba* autem quam definite ac proprie in hac re ponantur, dicat Propertius I. 15. 25. et IV. 7. 21.

> *Foederis heu taciti*, cuius fallacia verba
> *Non audituri diripuere Noti.*

Nec aliter legit Balbus carm. 68. 11.

> *Me modo* fallacis *terrebant* verba puellae,
> Verba *procelloso diripienda Noto.*

52. ITE — SERIA VERBA, PROCUL] Ursini liber *sobria. Procul* pauci agnoscunt, ut Voss. 4. E Pocchi Excerptt. et Italicis Heinsii reposuit Broukhusius. Vulgo *precor*, quod cum *procul* confunditur etiam II. 1. 82. Caeterum *verba* non simpliciter repetuntur, sed addita voce *seria*, id est, *solemnia*, quibus fidem suam obligaverat puella. Haec nunc valere iubet poeta. Est locus, si quis alius, incorruptus et elegans.

53. QUAM VELLEM LONGAS TECUM] Ed. mai. a. 1472. et Vicent. *Quam mallem.* Hanc lectionem ex iis libris, qui adhuc collati sunt, unus habet Zwic. 1. Caeterum quaeritur, scripseritne Tibullus *longas tecum*, quae est lectio trium librorum Askew. Bern. Voss. 5. Edd. Ald. 1515. Muret. (Stat.) Plantin. Basil. 1569. Gryph. 1573. etc. an *tecum longas*, quam structuram habent reliqui libri et Edd. veteres — Scalig. Broukhus. Vulp. *Tecum*, inquit, in quo tanta vis inest, necessario antecedere debet *longas*, quod prius positum vim non suam, id est, falsam habet.

Equidem scire velim, potiorne versus locus sit in fine hemistichii prioris, an in initio hemistichii posterioris, qua de re dubitanter scripsi ad I. 7. 49. inclino tamen nunc in eam partem, ut hunc potiorem habeam illo, (vide ad II. 2. 5.) confirmatus in primis exemplo Propertii, egregii versificatoris, qui *mecum*, eadem vi praeditum, tantum non ubique in hac versus regione collocat. I. 8. 33.

> *Illa vel angusto* mecum requiescere *lecto*.

I. 14. 9.

> *Nam sive optatam* mecum *trahit illa quietem*.

II. 1. 13.

> *Seu nuda erepto* mecum *luctatur amictu*.

II. 15. 5.

> *Nam modo nudatis* mecum *est luctata papillis*.

Conf. I. 3. 43. IV. 7. 95. Semel *secum tales — noctes* posuit, II. 15. 37.

> *Quod mihi si* secum tales *concedere noctes*.

Ubi vox *tales* maiorem efficaciam habet, quam *secum*. Quae efficacia si cui cadere videbitur etiam in vocem *longas*, retineat, per me licebit, lectionem *tecum longas*. Caeterum Tibullus procul dubio scripsit I. 2. 71.

> *Ipse boves, modo sim* tecum, *mea Delia, possim*.

III. 3. 23.

> *Sit mihi paupertas* tecum *iucunda, Neaera*.

Conf. IV. 3. 11. Idem *tecum longae* semel ita posuit in hexametro, ut h. l. *tecum longos* in pentametro, III. 3. 7.

> *Sed* tecum *ut* longae *sociarem gaudia vitae*.

54. LONGOS—DIES] Unus Broukh. *multos*. Nempe offendit librarius ad repetitionem eiusdem adiectivi. Idem accidit in Horatio I. Epist. 1. 21. quem locum laudat Heynius:

> *Ut* nox longa, *quibus mentitur amica*: diesque
> Longa *videtur opus debentibus*.

Ubi item unus liber habet secundo loco *Lenta*. Sed neutri librario obtemperandum est.

Perfida nec merito nobis, nec amica merenti!
Perfida, sed, quamvis perfida, cara tamen.
Naida Bacchus amat; cessas, o lente minister?
Temperet annosum Marcia lympha merum.

55. PERFIDA — NEC AMICA MERENTI] Sic Ed. princeps, Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Ald. 1515. quam lectionem confirmant unus Stat. Vindob. et Exc. Pocchi Ed. min. a. 1472. Venett. 1491. 95. Ald. 1502. Muret. Scalig. Stat. Plantin. Gryph. — Broukh. et Vulp.

Perfida nec merito nobis inimica merenti — quod caeteri libri habent cum Paris. et Lips. His verbis Editores quidam veteres interponebant distinctionis signum post *inimica*, *merenti* construentes cum *Perfida* v. 56. Scaliger, *nobis* inimica *merenti*. Quam constructionem probabat Ruhnkenius in scholis Terentianis ad Eun. IV, 5. 7. *absente nobis*. Ubi Donatus: *Aut subdistinguendum est et subaudiendum* me, *aut ἀρχαϊσμὸς figura est*, absente nobis *pro* nobis absentibus. Mihi prae hoc archaismo immensum quantum placet lectio Editionis principis etcc. revocata iam ab Heynio et Vossio. Unus Broukh. *querenti*, pro diversa lectione *merenti*.

56. QUAMVIS PERFIDA] Excerptt. Lips.

Perfida sed quamvis tu mihi, *cara tamen.*

57. NAIDA — LENTE MINISTER] Paris. Ed. princ. Vicent. *Naiada.* Lips. *Nayada.* Heynius addit: Venetae et Ald. pr. *laete*, lapsu sollenni. Mihi de hac *sollennitate* nihil innotuit. Venett. 1491. 95. habent *lete*, id est, *lente*. Ald. prior et, nisi fallor, Ed. min. a. 1472. *laetae*. Ed. Gryph. 1573. in ordine, *cessas ô lente mi-*

Non ego, si fugiat nostrae convivia mensae
Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam tota suspiria nocte.
I, puer, et liquidum fortius adde merum.

V. 59. nostrae fugiat. 62. Tu puer, i, liquidum.

nister, et contra: *quid cessas lente m.* ex emendatione, credo, editoris. Paris. *Bachus*, ut alibi.

58. TEMPERET — MARCIA LYMPHA] Lips. cum tribus libris Broukh. Bern. et Ed. min. a. 1472. *Temperat.* Vulgo *martia lympha.* Lips. mendose *bracia limpha.*

59. NON EGO, SI FUGIAT NOSTRAE] Paris. *Non* te, *si* fugiet *nostrae.* Unus Broukh. *fugiet nostrae.* Eiusdem alter et unus Stat. *nostrae fugiat.* Vulgata est in Ed. princ. Vicent. Reg. Lep. Venett. et Aldd. Alteram verborum structuram *si nostrae fugiat* expressam video in Ed. min. 1472. quam posterioris aevi Editores deseruerunt omnes; nisi fallor, recte. Non autem haec de Neaera accipienda sunt, sed, quod cum Broukhusio demonstrat Vossius, de puella universe, e convivio fugiente ad alium amatorem. Vide Theocritum XIV. 35—43. et, quem laudat Broukhusius, Horatium I. Epist. 7. 28.

Inter vina fugam Cynarae moerere protervae.

62. TU PUER ET LIQUIDUM FORTIUS ADDE MERUM] Paris. *Tu puer es*, addita nota ab eadem manu: alii *et.* Sic hunc versum exhibent codd. omnes, exceptis Vind. Monac. Voss. 5. in quibus est, quod Scaliger intulit, *Tu puer i*, ex libro Cuiac. qui tamen habuisse videtur *Tu puer et*, quum addat Scaliger: Nam, ut supra dixi (ad v. 6.), scribebant EI pro I. Nulla Editio vetus non habet *Tu puer et.* Muretus malebat *Tu puer huc.* Heinsius, *Huc, puer, huc.* Heynius, *I, puer, i.* Statius, *Tu, puer, i*, oblitus lectionis, quam simpliciter posuerat ad I. 2. 1.

I, *puer*, et *liquidum fortius adde merum.*

Hanc ego lectionem occupavi supra ad v. 6. adductus argumentis, etiam sine exemplo rem demonstrantibus. Exempla tamen in promptu sunt. Propertius III. 23. 23.

> I, puer, et *citus haec aliqua propone columna.*

Horatius I. Serm. 10. 92.

> I, puer, atque *meo citus haec subscribe libello.*

Persius V. 126.

> I, puer, et *strigiles Crispini ad balnea defer.*

Iuvenalis XII. 57.

> I nunc et *ventis animam committe.*

Martialis Spectac. XXIII. 6.

> I nunc et *lentas corripe, turba, moras.*

Nunc audiamus virum doctum, ad oram Ed. Reg. Lep. haec notantem: *Tu puer et*] „Vulgo *huc*. Et sic VI. Pall. (Palatini) Comelinianusque. Coniectat Statius: *Tu puer, i liquidum.* Quod non displicet Gebhardo. Lego,

> Huc *puer* et liquido *fortius adde merum.*

hoc est *aqua infuso.*" Quod ita intelligo, fortius adde merum vino, *cui aqua iam infusa est.* Hoc nemini placebit. Nam *liquidum vinum* non est *aqua temperatum*, sed *defaecatum, purum*, ut apud Horatium I. Epistt. 14. 34.

> *Quem bibulum* liquidi *media de luce* Falerni
> *Cena brevis iuvat et prope rivum somnus in herba.*

Idem *liquidum* posuit pro *aqua* I. Serm. 1. 54.

> *Ut tibi si sit opus* liquidi *non amplius urna.*

Ergo emendata lectio non nisi hanc sensum admitteret, *liquido* vino *fortius adde* vinum, vel etiam, *aquae* fortius merum adde. Neutrum bene. Bonum tamen factum, quod *fortius* ille non pro adverbio sumpsit, ut caeteri interpretes, sed pro adiectivo. Virgilius II. Georg. 97.

> *Sunt et Aminaeae vites,* firmissima vina.

Alii libri *fortissima vina.* Homerus Od. δ. 622.

> οἱ δ' ἦγον μὲν μῆλα, φέρον δ' εὐήνορα οἶνον.

Pindarus Nem. IX. 119. (50.)

> ἐγκιρνάτω τίς μιν γλυκὺν κώμου προφάταν,
> ἀργυρέαισι δὲ νωμάτω φιάλαισι βιατὰν
> ἀμπέλου παῖδα.

At ita duo adiectiva uni nomini praeponuntur. Quasi id offensionem habere possit hoc loco, ubi *fortius* auget et explicat notionem *liquidi* meri. Rem conficiam loco classico Plauti, ubi Stichus et Sagarinus servi, convivium paraturi, de partibus in eo suscipiendis disputant V. 4. 16.

> *Vide utram tibi libet etiamnum capere, cape provinciam.*
> Sa. *Quid istuc est provinciae?* St. *utrum* Fontinali *an* Libero
> *Imperium te inhibere mavis?* Sa. nimio liquido Libero.

Quod Acidalius ridicule interpretatur: „*nimis liquidum et clarum est, me malle Baccho praesidere.*" Tu *nimium liquidum Liberum* eo sensu sumes, quo Tibullus scripsit, *liquidum fortius merum.* Et hic delati sumus ad locum, qui, quantum praesidii positum sit in scriptorum graecorum latinorumque accurata comparatione ad rem criticam recte factitandam, in primis demonstrat. Interpretes de formula *fortius adde merum* ita agunt, quasi eam nemo umquam praeter Tibullum usurpaverit. Atqui nihil tritius fuit in conviviis Veterum exhortatione, *ἀλλ', ὦ παῖ, ζωρότερον κέραιρε* vel, ut alii scribunt, *κέραιε.* Exempla vide apud Athenaeum X. p. 424. Unde autem ducta? Nempe ab Homero. Il. ι. 202.

> *μείζονα δὴ κρητῆρα, Μενοιτίου υἱὲ, καθίστα·*
> *ζωρότερον δὲ κέραιρε, δέπας δ' ἔντυνον ἑκάστῳ.*

Hic idem ludus luditur atque apud Tibullum. Nam ut Tibulli interpretes inde ab Achille Statio, excepto tamen Scaligero, dubitarunt, *fortius* essetne adiectivum an adverbium, adhaeseruntque huic interpretationi, non illi, ita Critici Homerici inde ab Aristotele Poet. c. XLVI. Tyrwh. p. 74. Herm. *ζωρότερον* maluerunt sumere pro adverbio quam adiectivo. Sed Criticis et Poetis non magis hic *convenit ex aequo,* quam aquae potoribus et vini. Poetae poetam intellexerunt, ut Tibullus, adde etiam, Martialis VIII. 6. 11.

> *Hic scyphus est, in quo* misceri *iussit amicis*
> Largius *Aeacides* vividiusque merum.

Jamdudum Syrio madefactus tempora nardo
Debueram sertis implicuisse comas.

V. 63. Syria.

63. SYRIO — NARDO] Paris. et Heins. *tyria*. Lips. *thyno*. Edd. principes, Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. etc. *tyrio*, ut multi habent libri scripti, cui Broukhusius tandem substituit *Syrio*, Heinsius cum Guyeto *Syria*. Illud confirmant quidam Statt. Excerptt. Lips. et Heinsii, Askew. Vindob. Voss. quintus. Vide II. 2. 7. III. 4. 28.

Quod Heynius scribit: „Ad finem huius Elegiae libri multi, in his Guelf. 1. 4. et ant. Edd. attexunt distichon: *Ne tibi sim mea lux* etc. quod infra legitur IV. 12. 1.“ hoc igitur an ita se habeat in Guelf. 1. 4. ignoro. Caeteri libri scripti editique ante Muretum non unum illud exhibent *distichon*, sed carmen, quod laudat ille, totum. Nec tamen scripti omnes. Nam vir doctus ad oram Ed. Vicentinae, iterum consentiens cum Perreio, qui eandem notam adscripsit Ald. 1502. (v. III. 4. 65.) conceptis verbis testatur: „Hi versus non leguntur hoc loco in vetustis codd. et videntur de inferiore epigrammate inculcati fuisse in huius elegiae finem pro errore librariorum.“ Hoc plene confirmant Voss. 4. et Monac. in quibus versus illi hoc loco non leguntur.

ALBII TIBULLI

LIBER QUARTUS

CARMEN HEROICUM AD MESSALAM
CAETERASQUE ELEGIAS CONTINENS.

ALBII TIBULLI

LIBER QUARTUS.

CARMEN I.

Pauci admodum Codices librum Tibulli quartum, interposito aliquo titulo, separant a tertio, in quibus sunt duo Guelferbytani et Lipsiensis, qui hanc inscriptionem habet: *Albii Tibulli liber tertius explicit. incipit Quartus laus in Mesalam.* De codice Paris. notavit eruditissimus Bardili: Elegiae Lygdami cum Epistolis Tibulli cohaerent unumque in codice librum conficiunt, interposito inter utrasque carmine ad Messalam. Idem dissidium est inter libros editos. Nam Editio min. a. 1472. et Venett. cum commentario Cyllenii quartum librum tertio continuum exhibent (hae sine titulo, illa cum titulo *Ad Messalam*, plane ut in *Bartoliniana*), Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. et Reg. Lep. alterum librum ab altero his verbis discernunt: *De laudibus Messalae Liber IIII.* Regiensi adscripsit vir doctus: „Vita vetus saltim tres Tibulli libros agnoscit: et videntur tertio adiicienda, quae nunc quartum stipant. *Neque vero omnia sunt Tibulli.*" Quae pertinent ad Vitam Tibulli, huic Editioni praefixam. Ibi enim inter alia haec leguntur: „Epistolas familiares ad Amicos complures et delectabiles metro et prosa dedit. Libros autem tres amatoria de re suam ad Deliam elegiaco metro scripsit. — Plura non scripsisse Tibullus memoratur." Ubi notabis *Epistolas familiares ad Amicos;* cuius generis unam et alteram legimus libro tertio, nullam quarto. Quamquam carmen primum in codice

CARMEN I.

Te, Messala, canam. Quamquam me cognita virtus
Terret, ut infirmae valeant subsistere vires:

V. 1. vivida.

Wittiano A. inscribitur *Epistola in laudes Messalae Corvini heroico carmine.* Vide infra ad initium Carm. II. De hoc carmine Vulpii iudicium meum facio: „Fortasse Albius noster, vix pueritiam egressus, hoc poema composuit, *viribus* adhuc *infirmis,* ut ait ipse de se. Latina tamen omnia sunt in huiusmodi rudimento, (si rudimentum est) ac purissimae quidem Latinitatis, quae manifecto clamet Augustaeum (Augusteum vel potius Augustum) illud aevum.“ Sed carmen misere et corruptum est et vero etiam interpolatum, praesertim circiter finem, ubi versus leguntur (197—203.) Tibullo prorsus indigni.

1. QUAMQUAM ME COGNITA VIRTUS] Nonnulli libri, ad summum tres, habent *tua;* complures, quibus accensendi sunt Paris. et Lips. *mea;* Monac. Vindob. Voss. quintus *me,* quod e suo libro reposuit Scaliger. Veteres editores in contextum intulerunt *mea, virtutem* non Messalae intelligentes, sed Tibulli, hoc est, *facultatem poeticam.* Hanc interpretationem refellit adiectum verbum *cognita,* id est, belli pacisque artibus *perspecta* ac *comprobata* virtus, prae qua lectione languet, quam tres Anglicc. et Hamb. exhibent, *vivida virtus.* Vide interpretes ad Propertium I. 11. 17.

Non quia perspecta *non es mihi* cognita *fama.*

Ib. IV. 6. 37.

Mox ait, o longa mundi servator ab Alba,
Auguste, Hectoreis cognite *maior avis.*

Valer. Flaccus I. 788.

Vos, quibus imperium Iovis et non segne peractum

Incipiam tamen. At meritas si carmina laudes
Deficiant, tantis humilis si conditor actis,

V. 4. sim.

Lucis iter, mihi consiliis, mihi cognita bellis Nomina, *magnorum fama sacrata nepotum.*

2. TERRET, UT — VALEANT] A Scaligero inde nova evaluit, sed vitiosa lectio *nequeant*, repetita e libro Cuiac. quocum conspirant Colbert. aliusque Scaligeri recentior. Eam iam notatam reperio in margine Ed. Gryph. 1573. Recte Achilles Statius: *ut*, id est, *ne non* valeant. Tacitus II. Histt. 63. *Cunctantem super tanta re Flavium Sabinum Triaria, L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox*, terruit, ne *periculo Principis famam clementiae* adfectaret. Quam lectionem recte tuetur Ern.

3—4. INCIPIAM TAMEN — ACTIS] Hunc locum ita constituit Editor princeps:

Incipiam tamen a meritis: si carmina laudes
Deficiant: humilis tantis sim conditor actis —

Lectio eadem est, fortasse etiam interpunctio, in Venet. 1475. Vicent. Brix. et Venett. 1491—93. ubi tamen sublata sunt duo puncta post *humilis*, cui voci substituit Reg. Lep. *humiles*. Ed. min. a. 1472. pro *carmina* habet *carmine*, sicut legitur in altero Witt. Askew. Dat. apud Heinsium. Perreius adscripsit margini Ed. Ald. 1515. *Ac meritas vel At.* quam posteriorem scripturam *At meritas* primus induxit Scaliger, locum ita explicans: „Tametsi meritas laudes tuas carmine meo assequi non possim, *et sim* poeta impar tantis actis, nec alius, praeter te, possit gesta tua mandare literis, ut non plura dicenda dictis relicta videat: tamen egregiae meae voluntatis ratio habebitur, ubi nulla potest facultatis haberi." Sed Scaliger primum totam periodi formam corrupit verbis *Tametsi — tamen*; deinde perperam posuit hoc, praeeunte tamen Statio, Tibullum his versibus

3. 4. de se suisque tantum carminibus loqui, eandemque sententiam, mutatis verbis, repetere, *tametsi carmine meo laudes tuas assequi non possim*. Quod idem est ac, quod sequitur, *tametsi poeta impar sim tantis actis*. Hanc ieiunitatem tali scriptori condonandam esse posteriores etiam interpretes sibi persuaserunt omnes, nisi quod Heinsius tandem vidit, hiantem sic orationem saltem vinciendam esse copula, admonitus fortasse Scaligeri, quam paullo ante posui, explicatione. Heinsius igitur orae Ed. Ald. 1515. adscripsit: *tantisque humilis*. Hanc emendationem elevabit interpretatio. Nempe non de se specialiter nunc loquitur Tibullus v. 3. sed de poetis universe, quibus adiungit v. 4. historiarum *conditores* vel scriptores, sicut infra v. 36. Ab his progreditur v. 5. ad Messalam, rerum suarum ut gravissimum auctorem ita dignissimum scriptorem, qui solus queat facta dictis exaequare. Atque inde concludit argumentum, ut Propertius II. 10. 5.

> Quodsi deficiant *vires, audacia certe*
> *Laus erit. In magnis* et voluisse sat est.

In hac sententiarum progressione nemo desiderabit v. 4. copulam. Neque vero quisquam in posterum probabit lectionem *sim*, cui substitui de coniectura, sed confirmata forte fortuna codice Bern. *si*, adsumens ad *tantis actis* verbum *deficiat* ita, ut *humilis* pedestrium historiarum *conditor* opponatur *carminis heroici conditori*. Fieri enim potuit, ut auctor verbum *deficere* construeret primum cum quarto casu, deinde cum tertio. Sin minus, revocet, per me licebit, quicunque volet, librorum fere omnium lectionem *meritis*, restituatque ex uno Anglic. *carmina laudis*. Ego e cod. Paris. reposui *tantis humilis* pro *humilis tantis*. Conditorem pro historiae scriptore sumpsit etiam, nescio quis, ad oram Editionis Broukh. in Biblioth. Berolinensi. Plinius H. N. VII. 31. *Thucydidem imperatorem Athenienses in exsilium egere, rerum conditorem revocavere, eloquentiam mirati, cuius virtutes damnaverant.* Ovidius Ib. 522.

> *Non profecturae* conditor *historiae.*

Nec tua, te praeter, chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non majora supersint:
Est nobis voluisse satis. Nec munera parva
Respueris. Etiam Phoebo gratissima dona
Cres tulit; et cunctis Baccho jucundior hospes
Icarus; ut puro testantur sidera coelo,
Erigoneque Canisque, neget ne longior aetas.
Quin etiam Alcides, Deus adscensurus Olympum,
Laeta Molorcheis posuit vestigia tectis.
Parvaque coelestes placavit mica; nec illis

5. TE PRAETER] Ed. min. a. 1472. *preter te*, quam structuram denuo intulerunt Broukh. Vulp. Heyn. confirmatam libris scriptis, Lips. Paris. aliis. Complures tamen habent *te praeter*, quod unanimo paene consensu comprobarunt veteres Editores; reposuerunt Voss. et Wunderlich. quos vide.

9. CRES TULIT] Eadem Editio *Detulit*. Sic Goth. et in margine Askew. Unus Stat. *Detulit in cunctis*.

11. NEGET NE] *Ne* abest a Paris. Alii, ut Lips. *iam*, quod habet etiam Ed. princ. cum Vicent. Ad marginem Ed. Reg. Lep. corrigit V. D. *negat* nam *longior aetas*.

13. TECTIS] Hanc a Mureto repositam lectionem confirmant Voss. 4. Vindob. Monac. Caeteri habent *terris*. Scaliger *gerris*.

14. PLACAVIT MICA] Edd. princc. Vicent. Reg. Lep. Aldd. *pacavit*, ut est in libris scriptis, praeter

Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus parvus labor, ut tibi possim
Inde alios aliosque memor componere versus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi:

Dresd. Guelf. 4. et quibusdam editis, Rom. et Venet. 1487. cum comment. Cyllenii, qui tamen, quod sine dubio in libro aliquo invenerat, *pavit*, id est *pacavit*, cepit pro *cibavit*, implevit, a *pasco*. Unde versus sic ridicule interpolatus legitur in Edd. Venett. 1491. 95. 1500. 1520.

Parvaque caelestes pavit *mica* saepe: *nec illis.*

Quodsi Heinsius non fallit, *placavit* etiam exstat in Venet. 1475. ad quam provocat ad oram Ald. 1515. Hanc lectionem, unice veram, restituit tandem Broukhusius. Horatius II. Epp. 1. 158.

Carmine di superi placantur, carmine Manes.

Ib. Art. Poet. v. 210. Ovidius Medic. Fac. 83.

Quamvis tura deos *irataque numina* placent.

Ib. III. Art. Am. 654. Sic infra v. 46. *seu iudicis ira Sit* placanda; et III. 4. 9. *omina noctis* homines

Farre pio placant *et saliente mica.*

17. INDE ALIOS] Heins. et Lips. (sicut videtur) *Inde aliosque*. Hic etiam secundo loco *animosque*.

18. DICAT OPUS — MIRABILE] Edd. vett. cum libris multis *dictat*. Paris. *dicat*. Lips. *ditat* vel *dicat*, quod iam expressum legitur in Ed. Rom. 1475. Eadem et Venett. (Cyllen.) *memorabile*, ortum e voce *memor* v. 18. Cyllenius ipse in commentario expressit *opus* mirabile *mundi*. Ed. princ. Vicent. Reg. Lep. *mondi*, sicut supra v. 9. *iocundior*. Excerptt. Perr. *Alter opus dicat.*

Qualis in immenso desederit aëre tellus:
Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem;
Ut vagus, e terris qua surgere nititur, aër,
Huic et contextus passim fluat igneus aether,

V. 21—22. Et, vagus — nititur aer, Huic ut.

19. IN IMMENSO DESEDERIT AERE] Sic Muretus hunc locum constituit, nescio an e libris scriptis. Nam ita legitur in nonnullis, Dresd. Guelf. 2. Voss. 1. 4. et Askew. Caeteri *descenderit*, quod reposuerunt Editores vett. Scaliger, *in immensum desederit aera*, e Cuiac. qui certe habet *desederit*. Vide v. 151. Perreii Excerptt. *desiderio* mendose pro *desiderit*, vel potius *desederit*.

20. CONFLUXERIT] Edd. Venett. 1491. 93. *conflexerit*. Cyllenius *deflexerit*. Unus Heins. et quatuor Voss. *defluxerit*. Cod. Cui. monente Heinsio ad Ald. 1515. *desederis*. Cod. Lips. *Qualis ut* pro *et*, de qua confusione statim dicam.

21—22. UT VAGUS — AER, HUIC ET CONTEXTUS] Edd. vett. ut princeps omnium ita hos versus exhibent:

Et *vagus e terris qua surgere nititur aer*
Huic et *contextus passim fluat ignibus aether*.

Ab initio omnes etiam libri scripti habent *Et*, v. 22. alii *Hinc et*, alii *Huic et*: Excerptt. Perr. et Colot. *Huic ut*. Quam lectionem Heynius in contextum intulit, coniungens v. 21. quod nullo modo fieri potest, cum v. 20. Mutavit igitur interpunctionem Wunderlichius ita: *Et, vagus — aer, Huic ut* contextus etc. Quae contorta construendi ratio non erat imputanda huius carminis auctori. Heinsius, huc et illuc vagans coniectura, semel scopum se tetigisse ipse non vidit. „Forte, inquit, *Ut vagus*. et mox, *Huic circumtextus*. vel, *Et vagus*. et deinde, *Huic ut contextus*. et sic MS. Schefferi.“ Ex his nihil proban-

dum est, nisi quod primo loco posuit, *Ut vagus*. Particula *Ut* ab initio novae sententiae collocari poscit, ut supra *Qualis;* nec hic locus est copulae. Unde vera interpungendi ratio per se emergit:

> Ut *vagus*, e *terris qua surgere nititur, aër,*
> Huic et *contextus passim fluat igneus aether,*
> *Pendenti*que *super claudantur* ut *omnia coelo.*

Sic Val. Flaccus I. 277. Orpheum inducit canentem:

> ut *steterit redimitus tempora vittis*
> *Phrixus* et *iniustas contectus nubibus aras*
> *Fugerit, Inoo linquens Athamanta Learcho;*
> *Aureus* ut *iuvenem miserantibus intulit undis*
> *Vector*, et *adstrictis* ut *sedit cornibus Helle.*

E terris omnes sine exceptione habent libri scripti, editi etiam ante Broukhusium omnes. Hic invexit Barthii emendationem *a terris*, reiectam merito ab eruditissimo Vossio, laudante Lucretium V. 458—491. In Ed. Reg. Lep. omissa praepositione legitur *Et vagus terris.* Vir doctus adscripsit: „Omnes libri, *Et vagus* e *terris*. potius a *terris*. Non enim *e terris*, sed *ab* illa aër surgit. qui quo altius it, eo purior fit. f. *vacuus*.“ Frustra. *Passim fluere* quid sit, explicat Mitscherlichius Lectt. in Catull. p. 150. ad Carm. LXIX. 558.

> *Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,*
> *Quae* passim *rapido* diffunditur *Hellesponto.*

Virgilius I. Georg. 132.

> *Et* passim *rivis* currentia *vina repressit.*

Broukhusius edidit *Hinc ut contextis—ignibus*, ut est in uno et altero libro. Perperam tamen. Seneca, studiosus Tibulli scriptor, II. Q. N. 6. Aer continuus terrae et sic appositus, *ut statim ibi futurus sit, unde illa discessit. — Hunc quidam ex distantibus corpusculis, ut pulverem struunt, plurimumque a vero recedunt. Numquam enim* contexti *nisi* per unitatem corporis nisus est, *quum partes consentire ad intensionem debeant et conferre vires.*

Pendentique super claudantur ut omnia coelo.
At, quodcunque meae poterunt audere Camenae,
Seu tibi par poterunt, seu quod spes abnuit ultro,
Sive minus, certeque canent minus, omne vovemus

24. AT QUODCUNQUE — AUDERE] *At* primum expressum reperio in Aldd. Nam Edd. priores habent *Et*. Sic etiam libri propemodum omnes. Paris. et Askew. *At*. Pro *audere* Ed. 1475. et Reg. Lep. *audire*. Passeratius adscripsit simillimum Propertii versum I. 18. 29.

Et quodcunque meae possunt narrare querelae.

25. SED QUOD SPES ABNUIT ULTRO] Sic Askew. Bern. Ed. mai. 1472. Reg. Lep. quae tamen *ultra* habet. Paris. Ed. min. 1472. Aldd. *seu quod spes abnuit ultra*. (Venett. 1491. '93. *ultro*.) Hanc lectionem propagavit Scaliger, illam Vulpius. Alii *abnuit* mutarunt in *annuit*, quod legitur in Rom. 1475. et Vicent. At prior habet *seu quod spes annuit ultra*; posterior *seu quod spes annuit ultro*. Cod. Heins. *sed quid*. Longius aberrat Lips.

Sive tibi par poterunt si quos spes abnuit ultro.

Incerta omnis est huius loci lectio. Nec vulgatam excipio. Nam si spes hoc *ultro abnuit*, quod posuerat auctor, ut carmen scribere possit, factis Messalae par vel dignum, non video, quam recte subiecerit *Sive minus*, praeferoque hactenus alteram lectionem, *seu quod spes abnuit ultra*. Sed Perreius, nisi fallor, versui adscripsit Pon. id est, Pontanus, designans, credo, aliquam huius viri in his verbis concinnandis interpolationem. Quae qualis sit, ignoro.

26. VOVEMUS] Dissentiunt inter se libri scripti non minus, quam editi.

Hoc tibi; nec tanto careat mihi carmine
charta.
Nam, quamquam antiquae gentis superant
tibi laudes:

Paris. Lips. cum nonnullis aliis, Ed. mai. a. 1472. Vicent. Rom. et Venett. 1491. 93. Aldd. *movemus.* Huic tamen lectioni iam Perreius adposuit *vovemus*, quod confirmant omnes Statt. et Heinss. Cuiac. Ed. min. a. 1472. Venet. 1475. et Reg. Lep. ad quam notat vir doctus: „Tres libri MS. *movemus*, unus *movemur*. Tamen praecedentibus magis facit *vovemus*, quod Scal. et Stat. ex suis libris tenent merito, licet Gebh. alterum malit. *Maius opus moveo*, et talia huc non faciunt.“ Nempe locum cepit vir doctus de futuris carminibus, quae simul omnia nunc *movere* quo tandem modo possit poeta? At potest, quae fortasse aliquando *movebit*, iam nunc omnia *vovere* patrono. Haec et mihi vera videtur lectio. Sidon. Apoll. c. VI. 35.

Publicus hic pater est, vovi cui carmen, Avitus.
Materia est maior, si mihi Musa minor.

27. HOC TIBI, NEC — MIHI CARMINE CHARTA] Abest *tibi* a Lipsiensi. E contrario in Guelf. 2. et Edd. Venett. 1491. 93. altero etiam loco *tibi* repetitum:

Hoc tibi: ne *tanto careat* tibi *carmine charta.*

Edd. antiquiores habent, *nec — mihi carmine*, ut libri scripti fere omnes. Aldus, nescio, unde arripuerit *nomine*, Perreius tamen contra posuit *carmine*, idque Heinsius confirmavit libris CC. D. E. G. ut supra *vovemus*. Iam probabilis quidem per se est Vossii coniectura, *carmine* originem debere repetitis syllabis *careat mihi*, nec tamen credibile est, tot librarios eodem modo aberrasse; nec fieri temere hoc potuit, nisi omnes libri, qui *carmine* habent, ex uno tamquam fonte manaverint. Quod ille tamen non concesserit, et ego, ut incompertum, nunc relinquo. Sed *tanto carmine* mihi posuisse auctor videtur pro *tanti nominis*, *tanti pon-*

Non tua majorum contenta est gloria fama,
Nec quaeris, quid quaque index sub imagine dicat;
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi majores, majus decus ipse futuris.

deris carmine, et inde manasse ex interpretatione Grammaticorum *nomine* et *pondere*, quorum illud cod. Dresd. hoc habent unus Vatic. et Goth. (Askew. in margine.) Ed. min. a. 1472. *ne tanto*. Cod. Bern. *meta* pro *charta*.

30. QUID QUAQUE INDEX — DICAT] Paris. *quid qua iudex*. Hoc habent Ed. princeps, Reg. Lep. et Aldd. At cod. Lips. tres Statt. Ed. Rom. 1475. *quidquam*. Vicent. et Venett. 1491 — *quicquid iudex*. Ed. min. a. 1472. *quid nam judex*. Non desunt tamen boni libri, vulgatam exprimentes, quam etiam Perreius Ald. adscripsit. Lips. *dixit*.

31. SED GENERIS — VINCERE HONORES] Duo libri apud Voss. *Si*. Unus Angl. *dicere*. Heynius comparat Sannazarii II. El. 1. 29.

Sed certat magnos virtute anteire *parentes*.

Hic potius ob oculos habuit, certe hoc versu, Propertium I. 6. 19.

Tu patrui meritas *conare* anteire *secures:*

legens fortasse *meritis* pro *meritas*. Nec male. Nam *secures anteire* per se est lictoris, non hominis, priscos generis honores vincere contendentis. Cyllenius ita: Sensus est, Tu contendis *anteire omnes* maiores tuos *re* et *virtute:* ipse futurus sis *venturis* maius decus, quam tibi tui maiores exstitere.

32. MAIUS DECUS IPSE FUTURIS] Margo Ed. Reg. Lep. „Pal. unus *in avis*. Alii *futuris*, quae lectio (si quid mutandum) videtur non inepta.“ Nempe Edd. vett. et libri complures habent *futurus*. Ald. 1515. *futuris*. Hoc Broukhusius reposuit e suis. Habet Paris.

At tua non titulus capiet sub stemmate facta;
Aeterno sed erunt tibi magna volumina versu,
Convenientque tuas cupidi componere laudes
Undique, quique canent vincto pede, quique soluto.

33. NON TITULUS SUB NOMINE] Lectionem *titulus* agnoscunt Cod. Paris. Edd. principes, (Vicent.) Venett. 1491. 93. *titulis* est in Cod. Lips. et Ed. Reg. Lep. Iidem libri omnes habent *sub nomine.* At Perreius ab altera versus parte posuit „stemmate V. C.“ ab altera: „Titulus superimpositus imagini in *stemmate* gentilicio.“ Hanc scripturam confirmant duo Italici et Passeratii liber, qui *temmate* habet.

34. MAGNA VOLUMINA] Nusquam commemoratur lectio, quam offert Ed. min. a. 1472.

Aeterno sed erunt tibi facta *volumina versu.*

36. QUIQUE CANENT VINCTO PEDE QUIQUE SOLUTO] Hunc locum ita exhibet Ed. mai. a. 1472.

Undiq; quiq; canunt iuncto *pede: quiq; soluto.*

Et hoc, *canunt iuncto pede,* habent etiam Edd. a. 1475. Vicent. Brix. Exceptt. Pocchi, codex praeterea unus Zwic. — *iuncto pede* Hamb. unus Stat. duo Broukh. Edd. Venett. cum comment. Cyllen. At Reg. Lep. *canunt* uincto *pede.* Iam illa *uincto* et *iuncto* quam facile confundi potuerint, satis apparet. At *canunt* substituisse videntur, qui v. 35. expressum videbant *Conveniuntque,* ut est in Hamb. nisi potius hoc corruptum est ex illo. Veram lectionem habet illa omnium minime interpolata Ed. min. a. 1472. eamque confirmant codd. Paris. et Lips.

Quis potior, certamen erit; sim victor in illis,
Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis.

V. 38. *Huic versui vulgo annectitur v.* 44. Nec quisquam — *ita tamen:* Nam quis te, *vel,* Quis te nam —

Conveniemtque *tuas cupidi componere laudes*
Undique, quique canent vincto *pede, quique soluto.*

id est, Convenient undique, *qui cupiant* laudes tuas componere, partim poetae, partim historici. Hoc, mutata constructione, expressit, *Convenient cupidi — quique* canent *vincto pede, quique soluto.* Quo tandem modo, qui *canant?* Quae trium librorum lectio prorsus abiicienda est, monente etiam Wunderlichio. Poetas et Historicos supra iam v. 3—4. coniungi vidimus. Hanc sententiae amplificationem omittens Virgilius Ecl. VI. 6. ita scribit:

Nunc ego — namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant *et tristia condere bella* —
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.

Qui locus neutiquam confirmat lectionem *canant* apud Propertium III. 1. 15.

Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
Qui *finem imperii Bactra futura* canent.

37. QUIS POTIOR — ERIT] Paris. et Lips. Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. etc. *Quis potius.* Ed. Rom. 1475. *Quis* potior, *certamen* eris. Margo Ed. Reg. Lep. „*potius,* id est, *melius, pulcrius.* Scripti duo *potior.* Melius etiam." Hanc lectionem e libris suis constituit Broukhusius. Notandus est Iortinus, cui *victus* magis placebat quam *victor.* Theocritus XVI. 98.

ὑψηλὸν δ' Ἱέρωνι κλέος φορέοιεν ἀοιδοὶ —

εἷς μὲν ἐγὼν· πολλοὺς δὲ Διὸς φιλέοντι καὶ ἄλλους
θυγατέρες, τοῖς πᾶσι μέλοι —

39—44. NAM QUIS TE MAIORA GERIT CASTRIS] Versus, qui hoc loco vulgo legitur, mira laborat verborum diversitate. Ed. mai. a. 1472. exprimit communem omnium fere librorum lectionem ita:

Quisq; tibi maiora gerit chartis *ue: foro ue:*

Eandem lectionem habent Ed. min. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Brix. etiam Venett. 1491. 93. Aldd. Stat. nisi quod voci *chartis* substituunt *castris*, quod Cyllenius in Comment. praeivit. Paris. *Quisque tibi — cartis.* Lips. —*chartis.* Margo Ed. Reg. Lep. „*Quisque tibi: maiora* geris — occinit videlicet. Optime ad sequentia." Alii libri aliter. Witt. prior *Quis tibi iam.* Colb. *Quis te nam.* Dresd. *Quis tibi nam.* Corvin. *Quis te iam.* Scaliger e Cuiac. reposuit: Nam *quis te maiora gerit.* At Perreii, Pocchi et Lipsii Excerptt. habent, quod una expressit Ed. Rom. 1475. et Douza commendavit:

Nec quisquam maiora gerit —

Et hanc quidem Excerptt. illorum lectionem commemoravit Broukhusius. Sed nequeo equidem satis mirari inconsiderantiam viri docti, qui animum non adverterit ad id, quod Perreius huic loco adscripsit. Nempe Perreius totum versum,

Quisque tibi maiora gerit castris ue, foró ue,

sicut legitur in Ald. 1515. qua Excerptt. illa continentur, lineola induxit, additis contra his verbis: *vacat et positus post versum* (44.) *Instabilis.* ut (infra notatur)

Instabilis natat alterno *compressior* orbe:
(Nam quis te)
Nec quisquam maiora gerit chartis ue foro ue.

Hinc patet, Perreio utramque lectionem notam fuisse, *Nam quis te*, et *Nec quisquam*, eumque hanc praetulisse illi. Quamquam hoc loco monendum est, diversam agnosci scripturam in his Excerptis, alteram Perreii, qui notulam illam adspersit, *vacat — Nam quis te*, alteram anonymi Critici, qui totum

Nec tamen hinc, aut hinc, tibi laus maiorve, minorve;
Iusta pari premitur veluti cum pondere libra,

versum subiecit. Sed haec alias pluribus. Nunc scire velim, quid Broukhusium impulerit, adde etiam Heinsium, ut hanc annotationem Perreii silentio praeterirent? Num levis illa momenti est? Immo maximam vim habet ad crisin huius loci. Nam postquam versus sede sua expulsus et eo translatus erat, ubi orationem interrumperet potius quam connecteret, factum est, ut alius hanc alius illam correctionem adhiberet, verae autem lectionis vix vestigium remaneret. Nec caussa obscura est, quamobrem interpolator, quisquis fuerit, versum hunc in locum illum transferendum putaverit. Nimirum persuasit sibi, formulam *hinc aut hinc* vi sua destitui, nisi duplex laudis genus *castrense* et *forense* antea commemoretur. At hoc pro nihilo habendum esse, quis non videt? Hac enim formula quasi praeluditur sententiae, quam post comparationem illatam disertius enuntiat auctor:

Nec *tamen hinc aut hinc tibi laus maiorve minorve;*
Nec *quisquam maiora gerit castrisve forove.*

Facta iam mentione diserta *castrorum* et *fori*, statim, ut par erat, incipit a laude *forensi* v. 45.

Nam *seu diversi fremat inconstantia vulgi* —

Qua absoluta, post longam digressionem v. 54—81, progreditur ad laudem *castrensem* v. 82.

Iam *te non alius belli tenet aptius artes.*

Tantam habet illa codicis Perreiani traiectio commendationem a probabilitate, ut eam in contextum inferre non dubitaverim. Sic evanescit molestum illud *Nam* et ingrata verborum *maiora* — *maiorve* repetitio; melius vincitur oratio particulis *Nec* — *Nec*, arctiusque cohaeret sententiarum series.

39. NEC TAMEN HINC AUT HINC TIBI] Ed. princeps:

Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa:
Qualis, inaequatum si quando onus urget utrinque,
Instabilis natat, alterno depressior orbe:
Nec quisquam maiora gerit castrisve forove.
Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat; seu iudicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.

Nec tamē hic: aut hic tibi laus maior ue minor ue: Sic plerique libri, etiam nostri, nisi forte Paris. habeat *hinc aut hinc*, quod legitur in Rom. 1475. et Venett. Reliquae Edd. huius saeculi, quas noverim, consentiunt cum principe. — Duo Anglicc. *Nec tamen haec aut haec.* Heynius notat, Ed. Col. *Nec tamen hinc veniet.* Intellige Colinaeam. Sed cuiusnam anni? Ego hanc lectionem reperio in ora Ed. Gryph. 1573. Nihil tamen habet vulgata, quod mutari poscat. Tacitus Germ. 44. *solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium.* Ubi unus liber habet *hinc vel hinc.* Sed vide eiusdem III. Histor. 47. Terentius Andr. I. 5. 31.

Dum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc *impellitur.*

41. HAC PLUS PARTE] Abest *parte* ab Ed. min. a. 1472.

45. DEPRESSIOR ORBE] Sic Paris. Ed. min. a. 1472. Venett. 1491. 93. Aldd. *Compressior* Excerptt. Perr. Ed. princ. Venet. 1475. etc.

45. DIVERSI] Lips. et unus Anglic. *dimisi.* Venet. 1475. et Reg. Lep. *dives si.* Utrumque pro *divisi*, ut est in uno Stat.

Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora, vel parvae magnum decus urbis Ulixen;
Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Secula fertilibus Titan decurrerit horis:
Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Qua maris extremis tellus excluditur undis. —

V. 51. decurreret. 53. includitur.

48. AUT ITHACE] Guelf. 1. Edd. Rom. 1475. et Venett. cum comment. Cyllenii, item Brix. *atque Ithace.* Ald. 1502. *aut tace — Nostra* pro *Nestora.* Sic fortasse legitur in cod. Paris. et Ed. min. 1472. Certe meliorem lectionem non adscripsit is, qui utrumque librum contulit cum Ald.

49. ULIXEN] Sic cod. Lips. vel *Ulixem*, quod habet Ed. min. 1472. Maior *Ulyssem.* ut Ald. cum Paris. Edd. Vicent. et Reg. Lep. *Ulissem.*

51. DECURRERIT] Lips. cum aliis, etiam Edd. a. 1472. Venet. 1475. Vic. Reg. Lep. *decurreret.* Paris. Edd. Venett. Aldd. *decurrerit.* quod recte tuetur Wunderlich. Vide Wakefield. ad Lucretium III. 1055. *decurso lumine vitae.*

53. TELLUS EXCLUDITUR UNDIS] Haec mihi lectio exquisitior videtur altera *includitur.* Habent eam Excerptt. Pocchi et Colot. Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. et Reg. Lep. Plinius Hist. Nat. V. 24. de Euphrate: *Fluit Derxenen primum, mox Anaiticam,* Armeniae regiones a Cappadocia excludens — Immo est lectio exquisitissima. Cicero II. N. D. 66. *Nam si omnibus hominibus, qui ubique sunt quacunque in ora ac parte terrarum ab* huiusce ter-

rae, *quam nos incolimus,* continuatione *distantium, deos consulere censemus* etc. Seneca Cons. ad Marciam c. 18. *Quid — vinculum terrarum* Oceanus, continuationem gentium triplici sinu scindens *et ingenti licentia exaestuans?* Sed

Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili

Terras. Ubi vide Bentleium. Lucanus II. 432.

non deserit ante
Hesperiam, quam cum Scyllaeis clauditur antris,
Extenditque suas in templa Lacinia rupes,
Longior Italia, donec confinia pontus
Solveret incumbens, terrasque repelleret aequor.

Ubi Bentleius corrigit, confinia *montis:* quasi, inquit, non idem sint *aequor* et *pontus.* Virgilius X. Aen. 377.

Ecce, maris *magna claudit nos obiice* pontus.

id est, *excludit nos.* Nam *Deest iam terra fugae.* Idem *revelleret.* Male. Cortius *impelleret.* Pessime. Statius IV. Theb. 62.

Isthmos et a terris maria inclinata repellit.

Pergit Lucanus:

At postquam gemino tellus elisa *profundo est,*
Extremi colles Siculo cessere Peloro.

Ita fere Statius I. Silvv. 3. 31.

sic Chalcida fluctus
Expellunt *fluvii: sic* dissociata profundo
Brutia *Sicanium circumspicit ora Pelorum.*

Ubi Heinsius perperam corrigit *Dispescunt:* Marklandus *Dispellunt.* Nam *Expellunt* idem est ac *Repellunt, Excludunt.*

54—82. Lepide Cyllenius scribit: „Hic vero *tractatus* Tibullianus ex Homerica lectione totus excerptus est." Sed locum Homeri non indicavit. Posteriores interpretes ad unum omnes hanc narrationem contextam esse aiunt ex Odyss. Rhapsodiis IX — XI. Atqui auctor carminis hoc loco, non dicam excerpsit, sed latine convertit illam extremae Odysseae particulam ψ. 310 — 338. quam *τῶν φθασάντων ῥητορικὴν ἀνακεφαλαίωσιν* dicit Eustathius, *elegantem replicationem la-*

Nam Ciconumque manus adversis repulit armis;
Nec valuit Lotos coeptos avertere cursus.

borum, quos Ulixes pertulit, Ausonius Periocha XXIII. Odysseae, eodem servato rerum ordine ac pari fere versuum numero, paucis mutatis et aliunde illatis. Haec observatio, quam neminem mihi praeripuisse miror, magnum habet momentum ad huius loci, alieni sane a re ipsa, emendationem.

54. NAM CICONUMQUE MANUS] Colb. *Namque manus Cyclopum.* Heinsius praeferebat, quod in uno legitur Angl. *Non Ciconumque manus.* Broukhusius offendens ad copulam *que,* in ipso orationis initio, versus 54 et 55. loco suo motos esse putabat, sic restituendos:

Non *valuit Lotos coeptos avertere cursus:*
Non *Ciconumque manus adversis reppulit armis.*

Nam, inquit, quamvis Ulysses, quum ab Ilio discessisset, prius cum Ciconibus depugnaverit, quam ad terram Lothophagorum accederet; nihil tamen caussae fuit, cur Albius noster hunc rerum ordinem religiose servaret, ut propterea corrumpere vellet nexum sermonis naturalem. — Hoc epicae poesi repugnat, et vero etiam loco Homeri, quem ob oculos habuit auctor, ψ. 310.

ἤρξατο δ', ὡς πρῶτον Κίκονας δάμασ' · αὐτὰρ ἔπειτα —

Unde apparet, recte Heynium et Vossium *manus* cepisse pro accusativo, male Wunderlichium pro nominativo. In margine Ed. Reg. corrigitur, *Nam Ciconum quantos.* Ed. a. 1472. *reppulit.* Vicent. et Venett. 1491. 93. *repulit.* Caeterum vides, extremum hunc Odysseae locum non prorsus convenire Rhapsodiae IX. Tunc enim Ulysses *fugatus abscesserat.* Nunc *victor* abit. Ausonius Perioch. IX. *exponit, ut ab Ilio profectus primum ad Ciconas delatus sit, atque illic expugnata Ismaro civitate,* multis amissis fugatus abscesserit, utque inde *Maleam Laconicae promontorium circumegerit,* ac deinde *ad Lotophagos venerit,* mox etc.

55. NEC VALUIT LOTOS

Cessit et Aetnaeae Neptunius incola rupis,
Victa Maroneo foedatus lumina Baccho.
Vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos.
Incultos adiit Laestrygonas Antiphatenque,
Nobilis Artacie gelida quos irrigat unda.

COEPTOS] Edd. vett. ut libri complures *Non valuit cyclops ceptos.* Venett. *Nec.* quod confirmant septem libri apud Vossium. Paris. *tempus advertere.* Duo Statt. et Guelf. 2. *tempus convertere.* Vitiose. *Lotos* Scaliger e Cuiac. recte reposuit, male ex eodem *captos.* Homerus ψ. 311.

ἦλθ᾽ ὡς Λωτοφάγων ἀνδρῶν πίειραν ἄρουραν.

57. VICTA] Lips. *Ucta,* id est, *Uncta,* quod habent Guelf. 3. et tres libri Voss. Ed. mai. 1472. Venet. 1475. et Reg. Lep.

58. VEXIT ET — PER NEREA] Ed. min. 1472. *uexerit.* Voss. 1. *vexitque.* Homerus ψ. 314.

ἠδ᾽ ὡς Αἴολον ἵκεθ᾽, ὅ μιν πρόφρων ὑπέδεκτο.

Passeratius laudat Persium Sat. I. 94. Adde Val. Flaccum I. 450.

Insurgit transtris et remo Nerea versat.

59. LAESTRYGONAS ANTIPHATENQUE] Ed. mai. 1472. *lestrigonas.* Vicent. *laestrigonas.* quae scriptura adhuc insidet Ed. Vulp. — Cod. Lips. cum aliis et Edd. vett. *Antiphatemque.* Iuvenalis XV. 18.

Fingentem immanes *Laestrygonas atque Cyclopas.*

60. NOBILIS ARTACIE GELIDA — IRRIGAT] Liber Mattii: *Mobilis Artacie.* Edd. vett. ut princ. Vicent. Reg. Lep. *artatiae gelidos.* Minor *atraciae.* Paris. et Lips. *artaere.* Muretus *gelidae.* Cuiac. *erigit.* Hinc Scaliger formabat:

Mobilis Artacie gelida quo se exigit *unda.*

Heinsius *egerit.* Frustra. Catullus LXI. 27.

Solum nec doctae verterunt pocula Circes:
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis,
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmeriorum etiam obscuras accessit ad arces:

V. 62. Quamvis illiceret. 64. Cimmeriôn.

Perge linquere Thespiae
Rupis Aonios specus,
Nympha quos *super* irrigat
Frigerans Aganippe.

Artaciam ex Odyss. κ. 107. huc transtulit auctor, servans caeteroquin rerum ordinem apud Homer. Od. ψ. 318.

ἠδ' ὡς Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην ἀφίκανεν.

62. QUAMVIS ILLA FORET] Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Rheg. Lep. *illa ceres.* quod legitur in Zwic. 2. Hoc Barthius mutavit in *illaceret*, vel, ut primus edidit Broukhus. *inliceret.* Ed. min. a. 1472. Vicent. et Venett. 1491. 93. *illa foret.* Quod servandum censeo. Nam, omisso pronomine *illa*, minus accurate iungerentur *genus apta.* Petronius c. 127. *Ita, inquit, non dixit tibi ancilla mea,* Circen *me vocari?* Non sum quidem Solis progenies; *nec mea mater, dum placet, labentis mundi currum detinuit.*

64. CIMMERIORUM — ARCES] Sic Voss. 1. et Askew. Edd. vett. *Chimmerion, Chymerion, Cimmerîon.* Illud reposuit Broukhusius, hac addita nota: „Error natus est ex compendio pingendi. fuit enim *Cimmeriōr:* elemento *r* deinde in *n* corrupto. Neque nos terrere debet hiatus paullo vastior, non tamen indecorus.“ Satis probabiliter. Nec desunt exempla hiatus, quem dicit, paullo vastioris. Horatius I. carmm. 17. 16. *Ruris honorum opulenta cornu.* Virgilius I. Georgg. 191. foliorum *exuberat umbra.* Iuvenalis III. 312. *Felices proavorum atavos.* Igitur non ausus sum in contextum inferre vocem hibri-

Queis nunquam candente dies apparuit ortu,

dae flexionis, quam idem dicit Broukhusius. Pro *arces* Goth. habet *aures*, Edd. cum comment. Cyllenii, Brix. et Aldd. *oras*.

65. QUEIS — CANDENTE — ORTU] Paris. et Lips. Edd. item vett. *Quis*. Lips. *cadente*. Alii, omissa lineola, *cadente* pro *candente*. Porro duo Italici, unus Gebh. et Ed. Rom. *aestu*. Orta haec lectio inde est, quod formulam *Sive supra terras curreret Phoebus* v. 66. lectioni *ortu* repugnare crediderunt librarii. Sed hoc loco universe scribit poeta, nunquam Cimmeriis apparuisse *diem* quamvis *candidum*, candide ortum, *οὐδέ ποτ' αὐτοὺς*, ut est apud Homerum Od. λ. 15.

> *Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν·*

sive supra terras Sol curreret, sive infra,

> *οὐδ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,*
> *οὐδ' ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται.*

Quod Hesiodus, hunc ipsum locum imitatus, ita expressit Theog. 759—61.

> *οὐρανὸν εἰσανιὼν, οὐδ' οὐρανόθεν καταβαίνων.*

Ovidius XI. Metam. 594. item de Cimmeriis:

> *Quo numquam radiis* oriens, mediusve, cadensve
> *Phoebus adire potest.* Nebulae caligine mixtae
> *Exhalantur humo, dubiaeque crepuscula lucis.*

Causam reddit Orpheus Argonautt. 1125. ita corrigendus:

> *ἐν μὲν γὰρ Ῥίπαιον ὄρος καὶ Κάλπιος αὐχὴν*
> *ἀντολίας εἴργουσιν, ἐπεκλίνθη δὲ πελώρη*
> *ἄσσον ἐπισκιάουσα μεσημβρινὸν ἀέρα Φλέγρη·*
> *δείελον αὖ κρύπτουσι φάος τανυηκέες Ἄλπεις*
> *κείνοισιν μερόπεσσιν, ἀχλὺς δ' ἐπικέκλιται αἰεί.*

Vulgo etiam v. 1124. legitur *ἐπικέκλιται*. Virgilius 1. Aen. 419.

> *Iamque adscendebant collem*, qui plurimus urbi
> Imminet, *adversasque adspectat desuper arces.*

Sive supra terras Phoebus, seu curreret infra.
Vidit, ut inferno Plutonis subdita regno
Magna Deûm proles levibus discurrerit umbris.

V. 66. super. 68. discurreret.

Nihil autem certius est lectione *ortu*. Vide I. 1. 27. Ausonius Periocha III. Odysseae:

Iam Sol Oceano radiatos prompserat ortus.

Gratius Cyneget. 58.

Idcirco et primas linorum tangere messes
Ante vetant, quam maturis accenderit annum
Ignibus et claro Pleias se prompserit ortu.

66. SIVE SUPRA TERRAS] Paris. *Seu super.* Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep. *Sive super.* Ed. min. 1472. et Venett. 1491. 93. *Seu supra terras.* Seneca Ep. 71. *Quaecunque vides* supra nos currere, *et haec quibus innixi atque impositi sumus veluti solidissimis, carpentur ac desinent.* Virgilius IV. Aen. 240.

quae sublimem alis sive aequora supra
Seu terram *rapido pariter cum flamine portant.*

67. VIDIT, UT — PLUTONIS SUBDITA REGNO] Ita legitur in Paris. Lips. Voss. 1. 3. Bern. et Guelf. 3. Edd. Vicent. et Venett. 1491. 93. *Et* pro *Ut* Edd. Rom. et Brix. libri complures. Ed. mai. a. 1472. *ut — regna.* Minor, *ut — Plutoni subdita regna.* Illud est in Reg. Lep. hoc in Aldd. etc. Vulgatam restituit Broukhusius. Propertius I. 11. 3. laudante Vulpio:

Et modo Thesproti *mirantem* subdita regno.

68. MAGNA DEUM — DISCURRERET UMBRIS] Abest vox *deum* ab Ed. min. 1472. Pro *levibus* unus Broukhusii habet *magnis*, nonnulli *mediis*, Lips. *levibusque discuret undis.* Colot. *dum curreret.* Ursin. *cum.* *Umbris* qui ante

Praeteriitque cita Sirenum litora puppi.
Illum inter gemini nantem confinia montis

V. 70. per geminae — mortis.

Cyllenium legerit, neminem reperio. Habent complures libri, collati a Vossio. Heynius non immerito dubitabat de loci sanitate, malebatque legere: *Vidit, ut — levibus* discurrit in *umbris*. Frustra. Legendum enim sine ulla dubitatione ita:

> Vidit, ut *inferno Plutonis subdita regno*
> *Magna Deum proles levibus* discurrerit *umbris*.

Haec latina est constructio, non *Vidit, ut discurreret*. Charisius p. 202. „Nonnumquam tamen (*Ut*) acuto accentu elatum recipit subiunctiva, praeposito finito verbo, more quo supra formari relativa diximus, ut apud Virg.

> *Infandum regina iubes renovare dolorem,*
> *Troianas* ut *opes et lamentabile regnum*
> Eruerint *Danai*.

id est ὥςπερ.“ Sallustius Iug. 31. *Nam illa quidem piget dicere, his annis XV.* quam *ludibrio* fueritis *superbiae paucorum;* quam *foede* quam*que inulti* perierint *vestri defensores;* ut *vobis animus ab ignavia atque socordia* corruptus sit. Cicero I. Att. 16. *me vero teste producto, credo te ex acclamatione Clodii advocatorum audisse,* quae *consurrectio iudicum* facta sit, ut *me* circumsteterint, ut *aperte iugula sua pro meo capite P. Clodio* ostentarint. Verr. I. 16. Videte, ut *hoc* correxerit. Homerus Od. ψ. 321.

> ἠδ' ὡς εἰς Ἀΐδεω δόμον ἤλυθεν εὐρώεντα,
> ψυχῇ χρησόμενος Θηβαίου Τειρεσίαο,
> νηῒ πολυκληῗδι, καὶ εἴσιδε πάντας ἑταίρους.

69. PRAETERIITQUE CITA] Unus liber apud Voss. Ed. mai. a. 1472. Reg. Lep. *Praetereuntque*. In huius Ed. margine corrigit vir doctus: *Praeterit inde*. Paris. *pupi*.

70. ILLUM INTER GEMINAE — MORTIS] Ita hunc versum, qui abest ab uno Anglic. et Goth. correxit Statius, eamque cor-

rectionem confirmant Cuiac. duo Anglicc. Guelf. 3. et quatuor apographa Vossii. Paris. Lips. et nonnulli libri apud Voss. Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Aldd. *tergeminae*. Nempe syllabam *in* absorpsit praecedens littera *m*, sicut subsequens eadem absorpsit eandem syllabam supra I. 2. 56.

Non sibi, si in molli
viderit ipse toro.

Hiatus *Illum inter* nihil prorsus offensionis habet. Vide v. c. Virgilium VIII. 709. Nec me magnopere movet repetitio praepositionis v. 72. Ed. Colin. 1530. sola habet *per geminae*, ex interpolatione, nisi fallor. Nec tamen, ita scribi potuisse, negamus. Statius I. Theb. 336.

Iamque per *emeriti surgens* confinia *Phoebi*
Titanis, late mundo subvecta silenti —

Enimvero ab illa lectione plane discedunt duo Italici, Guelf. 1. 4. Ed. min. a. 1472. Rom. Brix. et Venett. 1491. 93. exhibentes:

Illum tergemini *nantem*
confinia montis,

id est, *inter gemini* — *montis*. Haec lectio, quae Heynio etiam placebat, magis quam illa convenit Homerico loco Od. μ. 73 — 101.

οἱ δὲ δύω σκόπελοι· ὁ μὲν
οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει —
τὸν δ᾽ ἕτερον σκόπελον χθαμαλώτερον ὄψει, Ὀδυσσεῦ.

Nare inter *gemini* confinia *montis* dictum, ut apud Euripidem Med. 431.

σὺ δ᾽ ἐκ μὲν οἴκων πατρίων
ἔπλευσας —
διδύμους ὁρίσασα
πόντου πέτρας.

Et sic etiam Aeschylus scribit Suppll. 545. (560.) *Nare inter saxa* Propertius III. 22. 13.

Qua rudis Argoa natat
inter saxa *columba*
In faciem prorae pinus adacta novae.

Qui locus in transcursu corrigendus est. Supplent interpretes *cum* Argoa *columba*, quod fieri nequit. Vatic. quint. *Argoduce.* Unus *Arcoa*. Lege igitur:

Qua duce Chaonia *natat*
inter saxa columba —

Versus corruptelam contraxit e loco simili II. 26. 39. felicissime restituto ab Antonio Volsco. Caeterum fieri potuit, ut poeta noster confunderet *geminos* illos *scopulos* et *πλαγκτὰς πέτρας*, deceptus loco, quem ante oculos habebat, Od. ψ. 327.

Nec Scyllae saevo conterruit impetus ore,
Quin canibus rapidas inter freta curreret undas:

V. 72. Quom — rabidas — fera serperet.

ὥς θ' ἵκετο πλαγκτὰς πέτρας δεινήν τε Χάρυβδιν
Σκύλλην θ', ἣν οὐ πώποτ' ἀκήριοι ἄνδρες ἄλυξαν.

Reposui igitur lectionem,

Illum inter gemini *nantem confinia* montis:

quamquam probe sciens, per se recte dici *confinia mortis*. Appuleius XI. p. 256. *Accessi* confinium mortis *et, calcato Proserpinae limine, per omnia vectus elementa remeavi.* — Paris. *nante* pro *nantem.*

71. ORE] Hoc Scaliger e Cuiac. reposuit. Habent etiam quatuor libri apud Voss. duo Itall. Excerptt. Pocchi et Lipsii. Edd. veteres *orbe.* Sed illud exquisitius. Non conterruit Ulyssem Scyllae impetus *ore,* quamquam ei sunt ἓξ δειραὶ περιμήκεες — Sic Horatius de Cerbero II. Carmm. 19. 31. laudante Vossio. Sic Tibullus supra I. 3. 71. de eodem:

Tum niger in porta serpentum *Cerberus* ore
Stridet et aeratas excubat ante fores.

72. QUUM — RABIDAS INTER FERA SERPERET] Est haec Passeratii lectio, caeteris quidem probabilior, nec tamen certa. Quod ipse sentiens Passeratius, hanc alteram proposuit emendationem:

Quum canibus rabida subter freta *serperet* unda.

In libris haud paucis est *rabidas.* Paris. *rapidas inter freta.* Sic Edd. Venett. 1491. 93. Aldd. — Vulp. Broukhusio et Heynio placuit *rabidas.* Lips. *rapidas infreta.* Zwicc. 1. 2. *rapidas* sic *in freta.* Hanc lectionem, in nullo adhuc libro scripto repertam, exhibent Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Lips. apud Heynium, et Reg. Lep.

Cum canibus rapidas sic in freta *serperet undas:*

spatio relicto inter verba *sic* et *in freta,* certe in Ed. mai. 1472. et Reg. Lep. cui adscripsit vir doctus: „Scribo *Sicula in freta.* Palat. primus,

Cum canibus rabidas in freta *serperet undas.*

Omissa voce controversa et in hac Editione est spatium, ut ab abbreviatione error manifesto venerit." Immo librarius quidam, versum decurtatum reperiens, adlevisse videtur *sic,* quod deinde, ut fieri solet, e margine in contextum irrepsit. Pergit vir doctus: „Legi etiam possit: Quin *canibus rapidas* etc. Quo pacto nulla restat difficultas." Restat quidem difficultas. Ingeniose tamen repositum esse *Quin,* mox videbis. Heinsius corrigebat *intorta resorberet* vel, *inter freta ferveret;* Broukhusius, *inter* fera *ferveret,* edidit tamen *sorberet;* Wakefield. ad Lucretium V. 890.

Cum canibus rabidis *inter* fera *serperet undas.*

Alia aliorum commenta cum Wunderlichii aberratione a metro sciens praetereo. Nam has tragoedias excitavit unum verbum *serperet*, quod nescio an inculcaverit librarius quidam vel interpolator, non intelligens, quo sensu sumenda sit illa quantivis pretii lectio, quam sola servavit Ed. min. a. 1472. omnium praestantissima:

Cum canibus rapidas inter freta curreret undas.

Nimirum non vidit ille, *currere undas* sic dici hoc loco, ut *currere aequor* apud Virgilium v. c. III. Aen. 191.

Vela damus vastumque cava trabe currimus aequor.

Ergo verbo *curreret* substituit verbum *serperet* et versum, qui referendus erat ad Ulyssem, retulit ad Scyllam, quam nemo dixit *serpere inter freta.* Ulysses contra, inter geminos illos nans scopulos, non deterritus est, quo minus fretum pernavigaret, Scyllam atque Charybdim

Inter utramque viam, leti discrimine parvo,

ut scribit Virgilius loco suspecto III. Aen. 684. Conf. Apoll. Rhod. II. 333 —341. Homerus Od. μ. 234.

ἡμεῖς δὲ στεινωπὸν ἀνεπλέομεν γοόωντες.

Ergo locus Tibullus ita legendus est:

Illum, inter gemini *nantem confinia* montis,
Nec Scyllae saevo conterruit impetus ore,
Quin *canibus* rapidas *inter freta* curreret *undas.*

Undae inter freta sunt un-

Nec violenta suo consumpsit more Charybdis;

V. 73. in orbe.

dae *in freto*, vel *inter angustias freti*. Lucretius I. 721.

Angustoque fretu rapidum mare *dividit* undis
Italiae terrarum oras a finibus eius.

Undam *fretis aestuosis* coniungit Horatius II. Carmm. 7. 16. Constructionem *conterruit quin* praeivit Tibullus ipse I. 3. 13.

tamen est deterrita numquam,
Quin fleret, *nostras respiceretque vias.*

Ubi item pro *Quin* legitur in libris nonnullis mendose *Cum* vel *Quum*. Vide infra v. 129. Quorsum autem reponam *canibus* rabidas *undas*, quum etiam apud Homerum Od. μ. 100. Scylla perhibeatur φῶτ' ἐξαρπάξασα νεώς, et adiectivum *rapidus* sedem habeat in fretu? In primis audiendus est Ovidius VII. Metam. 62.

Quid? quod nescio qui mediis concurrere *in undis*
Dicuntur montes, ratibusque inimica Charybdis
Nunc sorbere fretum, nunc reddere; cinctaque saevis
Scylla rapax canibus *Siculo latrare profundo?*

Versum similem habet Horatius de fretu Thracio I. Epistt. 3. 4.

An freta *vicinas* inter currentia *terras.*

73. SUO CONSUMPSIT MORE] Multi libri scripti, Edd. etiam Rom. Venett. 1491. 93. *in ore.* Edd. principes Vicent. Reg. Lep. Aldd. *more*. Nusquam legitur *in orbe*. Ovidius II. Metam. 545.

Illae more suo, *nam morem fecerat usus,*
Plangorem dederant.

Virgilius IV. Georg. 66.

Intima more suo *sese in cunabula condent.*

Heinsius corrigebat *sua — mole.* Hoc praetermitti poterat. At nefas sit praetermittere emendationem Crusii:

Nec violenta sua *consumpsit* morte *Charybdis.*

Sic interitum, quem Sym-

Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non amor, et fecunda Atlantidos arva Calypsus,

V. 75. infra rupto.

plegades *more suo* inferebant navibus hominibusque, *μόρον πετράων* vocat Apollonius Rhod. II. 339.

οὔ γάρ κε κακὸν μόρον ἐξαλέοισθε
πετράων, οὐδ' εἴ κε σιδηρείη πέλοι Ἀργώ.

74. FLUCTU — IMO] Ed. Reg. Lep. *immo.* Cod. Lips. *uno.* Sic de loco certant *faber imus* et *faber unus* apud Horatium.

75. INTERRUPTO NUDARET GURGITE] Unus Voss. *nutaret.* Livius XXVI. 45. *acer etiam Septentrio ortus* inclinatum stagnum *eodem quo aestus ferebat et adeo* nudaverat vada, *ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret.* Pro *gurgite* Witt. A. et Anglicc. tres *aequore. Interruptus gurges* est *χάσμα θαλάσσης*, ut Charybdim explicat Hesychius in v. monente Santenio ad Catulli El. ad Manl. 107.

— *tanto te* absorbens
vortice *amoris*
Aestus in abruptum *detulerat* barathrum.

Hanc lectionem quasi interpretatur Virgilius I. Aen. 106.

his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit: *furit aestus arenis:*

plene confirmat Propertius III. 12. 28.

Scyllaque et alternas
scissa *Charybdis aquas.*

76. VIOLATA — PASCUA] Unus Anglic. Guelff. 1. 4. Edd. Brix. et Venett. 1491. 95. *violenta.* Homerus ψ. 329.

ἠδ' ὡς Ἠελίοιο βόας κατέπεφνον ἑταῖροι.

77. ATLANTIDOS — CALYPSUS] Lips. *athalantidos — calipsos.* Hamb. et Ed. min. 1472. *Calypsos.*

Finis et errorum misero, Phaeacia tellus.
Atque haec seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula sive novum dedit his erroribus orbem;
Sit labor illius, tua dum facundia major. —
Jam te non alius belli tenet aptius artes:
Qua deceat tutam castris praeducere fossam;
Qualiter adversos hosti defigere cervos;

78. FINIS ET ERRORUM MISERO] Lips. *Cuius* pro *Finis*. Edd. vett. *miseri*, ut est in libris permultis. Nullus habet *erroris miseri*, quod Scaliger, Broukhus. et Vulpius admiserunt. Unus Broukh. Guelf. 1. Bern. Askew. et Ed. Ald. 1515. *errorum misero*. Hom. ψ. 338.

ἠδ' ὡς ἐς Φαίηκας ἀφίκετο, πολλὰ μογήσας.

82. IAM TE — ARTES] Hic versus cohaeret cum v. 53. quo finitur laus facundiae. Nunc progreditur poeta ad laudem Messalae militarem, interposita transitionis particula *Iam*, ut legitur in duobus Anglicanis, Askew. Voss. 2. Bern. et Excerptt. Pocchi. Hoc primus in contextum intulit Passeratius, probarunt Broukh. Vulpius, caeteri editores. Edd. vett. *Nam*. Pro *artes* nonnulli libri et Ed. Rom. *artem* habent. Lips. nisi fallor, certe Ed. Ald. 1502. *arces*.

83. PRAEDUCERE] Paris. *preducere*. Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. *perducere*. Lips. et Ed. min. 1472. *producere*. Brix. Venett. 1491. 93. Aldd. *deducere*. Vide interpretes Silii Ital. X. 411.

aut fossas *instant* praeducere *muris*.

84. DEFIGERE CERVOS] Ita est in uno Ital. Askew.

Quemve locum ducto melius sit claudere vallo:
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores,
Ut facilisque tuis aditus sit, et arduus hosti,
Laudis et assiduo vigeat certamine miles:
Quis tardamve sudem melius, celeremve sagittam
Jecerit, aut lento perfregerit obvia pilo;
Aut quis equum celerem arctato compescere fraeno

V. 88. ut.

tribus Voss. repositum ex Guellii emendatione ad Virgil. Ecl. II. 29. a Scaligero. Sed exstat iam in Ed. Rom. 1475. teste Heynio. Reliquae Edd. *nervos*, ut est in Paris. Lips. aliis. Unus *praefigere*.

86. ERUMPAT] Unus Stat. et Goth. *educat*.

87. ADITUS SIT] Abest *sit* a Lips. et Ed. min. a. 1472. Caeterum *Ut — et* v. 88. ita fere in libris nunc iterum confunduntur, quemadmodum supra v. 21 — 25. Ed. vett. hoc loco consentiunt.

89. QUIS — CELEREMVE SAGITTAM] Omissus est hic versus in Lips. — Bern. et unus Voss. *celeremque*. Ed. min. 1472. *celeremque sagictam*.

90. AUT LENTO PERFREGERIT] Dresd. et Goth. *et*. Witt. et Bodl. B. *praefregerit*. Ed. min. a. 1472. *iecerit: et lanto perfregit obvia pilo*.

91. AUT QUIS EQUUM CELEREM ARCTATO] Hic etiam versus abest a Lips. Pro *Aut* in aliis libris *Et*, in aliis *At* legitur. Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep.

Et quis equum celerem ue arcto compescere freno.

Ita etiam Paris. et Ed. min.

Possit, et effusas tardo permittere habenas;
Inque vicem modo directo contendere cursu,
Seu libeat curvo brevius convertere gyro;

V. 93. propellere. 94. contendere.

nisi quod *Aut* habent. Ed. Rom. Venett. 1491. 93. *celerem arcto.* Statius notat, Colotium in veteri libro legisse, *Et quis equum celerem arato,* vel *artato.* Duo Italici et Ed. Brix. *arctato,* quod reposuit Broukhus.

93. CONTENDERE CURSU] Ita primum, quod sciam, editum in Ald. 1515. Edd. vett. *passu,* ut Paris. Lips. alii habent. Nullus *propellere.* Virgilius V. Aen. 291.

Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis animos et praemia ponit.

94. SEU LIBEAT — BREVIUS COMPELLERE] Sic, nisi fallor, legitur in Ed. mai. a. 1472. certe in libris Voss. 1. 2. Bern. Vind. Monac. Pro *Seu libeat* Excerptt. Pocch. et Perr. et Collatt. Colot. *Nunc libeat.* Ita *modo, nunc* se excipiunt v. c. apud Ovidium Metam. XIII. 922. Alibi aliae particulae post *modo* inferuntur, *interdum, rursus, saepe,* v. c. apud Propertium I. 3. 41—44. Alibi nude ac simpliciter *Et modo.* Idem I. 11. 3. II. 24. 11. III. 14. 15. Quidni igitur variare licuerit poetae orationem ita, ut pro altero *modo* inferret *Seu libeat?* Ed. min. a. 1472. Venett. Cyllenii, Aldd. *melius contendere.* Paris. et Lips. *brevius contendere.* Recte *brevius,* male *contendere.* Crusius legebat:

Seu libeat cursum medio convertere *gyro.*

Ex his nihil verum est, nisi *convertere.* Hoc tenendum. Silius Ital. IX. 644.

Tum vero excussus mentem, in certamina Paullo
Avia diducto, convertit *Varro, manuque*
Cornipedem inflectens, *das, inquit, patria, poenas.*

Tacitus Germ. c. VI. *Equi — nec* variare gyros *in*

Quis parma, seu dextra velit seu laeva tueri,
Sive hac sive illac veniat gravis impetus hastae,
Amplior, aut signata cita loca tangere funda.
Jam, simul audacis veniunt certamina Martis,
Adversisque parant acies concurrere signis:
Tunc tibi non desit faciem componere pugnae;

V. 100. defit.

morem nostrum decentur: in rectum, *aut* uno flexu dextros agunt, *ita coniuncto* orbe, *ut nemo posterior sit.* Cicero de Cynosura Acad. II. 20. *eoque* directius *gubernant* (Phoenices), *quod eam tenent:*

Quae cursu interiore,
brevi convertitur
orbe.

95. QUIS PARMA, SEU] Hanc lectionem confirmant Paris. Monac. Bern. Askew. Excerptt. Perr. et Ed. Rom.— Cod. Lips. Edd. a. 1472. et Reg. Lep. *Pervia seu quis.* Vicent. et Venett. Cyllenii *Parma seu quis.*

96. VENIAT GRAVIS] Libri penes me omnes *grandis venit.* Unus Scal. Voss. 1. Askew. *veniat gravis.*

98—99. VENIUNT CERTAMINA] Paris. Lips. Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. *venient.* Unus apud Voss. *discrimina.*

99. PARANT —CONCURRERE] Iidem libri *parent.* Lips. solus *contendere.* Goth. *consurgere.*

100. TUNC TIBI NON DESIT FACIEM] Abest hic etiam versus a Lipsiensi. Pro *Tunc* nonnulli libri et Edd. Venett. 1491. 95. *Tum* habent. pro *desit*

Seu sit opus, quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo;
Seu libeat duplici sejunctim cernere Marte,
Dexter uti laevum teneat, dextrumque sinister

V. 102. an.

Broukhusius e tribus libris, quibus accedit Voss. 5. reposuit *defit*. Perperam sine dubio. Elegantem locutionem, *non tibi deest componere,* Heinsius ipse, qui h. l. *defit* praeferendum censet, illustravit ad Sil. Ital. VII. 497.

> Pascere *nec* Poeno *pravum ac nutrire furorem*
> Deerat.

Sed vide in primis Ruhnkenium ad Rutil. Lup. p. 132. et Cortium ad Sallustii Iug. c. 110. Ed. min. 1472. *facies*, corrupte ex *acies* v. 101. Tacitus II. Hist. 42. *non una* pugnae facies.

101. ACIES CONSISTAT] Scribi etiam potuisse *acies* vel *aciem consistere* in agmen, id est, *constituere*, docent, quae notavit Cortius ad Sallustium Iug. 41. p. 642.

102. UT AEQUATIS DECURRAT] Edd. vett. *in aequatis*, quod in multis libris et Edd. Venett. 1491. 93. *inaequatis* scribitur. Paris. unus Colot. Ed. Ald. 1502. *an*. Quod Statius legendum putabat *ut*, firmatur uno Colot. Monac. Bern. Pro *decurrat* Excerptt. Perr. cum aliis libris, *seu currat*. Dresd. et Ed. Rom. *concurrat*.

103. DUPLICI SEIUNCTIM — MARTE] Sic Salmasius hunc locum emendavit. Paris. *seu iunctum*. Lips. *seu uictum*. Alii *seiunctum*. Edd. vett.

> *Seu libeat duplicem: seu uinctum cernere martem.*

104. DEXTER UTI — DEXTRUMQUE SINISTER] Ita Cuiac. Excerptt. Scaligeri, et Voss. 3. Alii libri, ut Paris. (et Lips.)

Miles, sitque duplex geminis victoria castris.
At non per dubias errant mea carmina laudes:
Nam bellis experta cano. Testis mihi victae
Fortis Iapydiae miles; testis quoque fallax
Pannonius, gelidas passim disjectus in Alpes;
Testis Arupinas et pauper natus in armis;

V. 109. gelidaque Salassus tectus ab Alpe. 110. Arupinus pauperque et.

Dexteraque ut — dextrumque sinister. Edd. vett. *sinistra.*

105. GEMINIS — CASTRIS] Vulgo, *gemini — casus.* At receptam primum a Broukh. lectionem confirmant Colb. unus Stat. Excerptt. Colot. Voss. 3. Ed. Rom. 1475.

108. IAPYDIAE] Paris. et Ed. min. 1472. *iapigiae* vel *inpigiae.* Utramque hanc lectionem invenio in diversis exemplaribus Ed. Ald. 1502. quacum libri illi collati sunt, ut nesciam, quid in suo exemplari legerit vir doctus, cui illas Collationes debeo. Ed. mai. et Reg. Lep. *iapygiae.* Vicent. et Venett. *iapidiae.* Lips. mendose *iapeie.*

109. GELIDAS — ALPES] Sic omnes libri. Vide Bachii Epist. Crit. p. 40. Heynius laudat El. ad Liviam 390.

Summaque dispersi per iuga Pannonii.

110. TESTIS ARUPINUS ET PAUPER] Sic Edd. Rom. 1475. Venett. 1491. 95. Aldd. Stat. Scaliger malebat *Arupinas*, forma, ut Vossius monet, insolita. Paris. Lips. alii *et arpinis.* Et copulam quidem multi libri hoc loco habent, *et Aprinis, et Hirpinis, et Arupinis.* Alii *in alpinis,*

Quem, si quis videat, vetus ut non fregerit aetas:
Terna minus Pyliae miretur secula famae.
Centum foecundos Titan revocaverit annos:

V. 112—113. *His medius interiicitur versus hic:* Namque, senex longae peragit dum tempora vitae. 113. renovaverit.

ut Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep. At Ed. min. ita:

Testis et *arpinis* et *pauper natus in arvis.*

Arvis etiam est in libris quibusdam scriptis et Ed. Rom. In margine Ed. Reg. Lep. inter alia haec leguntur: „*Natus* ad militem Romanum Messallae ducis referendum videtur. Lego: *Testis inalpinis te* praeside (principe) *natus* — Melius: *Testis in Alpinis* (h. e. Italicis) duce te veteranus *in armis — puero te* natus." Quodsi vera lectio est *Arupinus*, nihil obstat, quo minus versum ita constituamus:

Testis Arupinus pauper sed *natus in armis.*

112. TERNA MINUS PYLIAE — FAMAE] Abest vox *Pyliae* a Lips. Goth. *vitae.* Post hunc versum legitur in nonnullis libris Guarn. et duobus Statt. hic:

Namque senex longae peragit dum saecula vitae.

Corvin. *spargit dum secula famae.* Hunc versum Editores veteres non admiserunt, excepto tamen eo, qui curavit Ed. min. a. 1472. unde venisse videtur in Ald. 1515. Omisit iterum Scaliger, probantibus Bronkhusio, Vulpio, Heynio. Vidit etiam Vossius, non posse versum admitti, nisi correctum. Igitur substituit *tempora* vitae. Mihi vel sic versus spurius videtur, nec sana sententia.

113. TITAN RENOVAVERIT ANNOS] Tres libri, *Phoebus.* Paris. *renoverat.* Alii libri, *renovaverat.* Ita Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Reg. Lep. et, nisi fallor, Vicent. At Lips. Guelf. 1. 4. tres alii apud Voss. Ed. min. a. 1472. Venett. 1491. 93. Aldd. etc. *reno-*

vaverit. Guelf. 2. et Goth. *revocaverit.* Hanc lectionem in nulla Edit. expressam vidi praeter Lipsiensem a. 1812. Eam etiam Heynius probasse videtur. *Revocari* dicuntur v. c. sacra aliquamdiu intermissa, non anni continuo renovati. Vide Gevartium ad Statii IV. Silvv. I. 38. Ausonius c. 332.

Iane veni: novus, *anne, veni:* renovate
veni Sol.

— Haec mihi exciderant festinanti. Nunc accedo Editori Lipsiensi. Videamus primum de loco Statii, cui Gevartius notam illam adscripsit, IV. Silvv. I. 38.

mecum altera saecula condes,
Et tibi longaevi revocabitur *ara Terenti.*

Loquitur ibi Ianus, portendens, Domitianum, qui paullo ante ludos Saeculares celebraverat, novum etiam saeculum conditurum et ludos illos aliquando instauraturum esse. Hoc est, quod scripsit Statius, *revocabitur* tibi *ara Terenti.* Habet quidem Ed. Parm. *renovabitur.* Sed falsam esse hanc scripturam docet alter Statii locus I. Achill. 593. de orgiis Bacchi in luco:

huius in umbra
Alternum revocare *piae*
Trieterica *matres*
Consuerant, scissumque
pecus —

Mirum, ni huic quoque lectioni substituit librarius vel criticus aliquis *renovare.* Sed obstat locus simillimus Lucani I. 599. de die, quo Matri Deorum pompae celebrantur annales:

Tum qui fata deum, secretaque carmina
servant,
Et lotam parvo revocant
Almone Cybeben.

At, inquit Bentleius, „Quale sodes est *revocant Cybeben Almone;* an illa verbo vel sibilo revocata sponte et nullo ducente Romam ab Almone redire solita? Puteanus quidem *Referunt* habet, et in margine eadem manu *Revocant;* sane hoc longe praetulerim lectioni receptae. Sed aliud subvenit ad hoc melius veriusque,

Et lotam parvo revehunt
Almone Cybeben."

Hoc non putaveram. Vide Gronovii Observatt. II. c. 9. Lucano subvenit Statius, Statio tota Latinitas. Non modo enim sacra intermissa *revocantur,* sed etiam *dies, nox, annus.* Huc pertinet fragmentum carminis egregii de victoria Actiaca et morte Cleopa-

Ipse tamen velox celerem super edere corpus
Gaudet equum, validisque sedens moderatur habenis.
Te duce non alias conversus terga domator

trae, editi nuper in Italia et alibi. Cuius carminis postremos versus describamus ex editione Feae in prooemio Horatii p. XVII.

Hos inter coetus talisque ad bella paratus
Vtraque sollemnis *iterum* revocaverat orbes
Consiliis nox *apta ducum*, lux *aptior armis.*

Reliquum est, ut demonstremus, *annum* etiam sicut a Phoebo apud Tibullum, ita a Natura *revocari* apud Senecam Ep. XCIII. *Scimus, a quibus principalis* Natura *se attollat, quemadmodum ordinet mundum*, per quas vices annum revocet, *quemadmodum omnia, quae usquam erant, cluserit et se ipsam sui finem fecerit.* Ergo reddenda est Tibullo lectio exquisita, cuius praestantiam etiam perspexit Bachius Ep. Crit. p. 42.

Centum fecundos Titan revocaverit *annos.*

115. AUDET — VALIDISQUE SEDET MODERATOR] Askew. et Goth. *Gaudet*, ut emendavit Heinsius, recepit Bronkhusius. Porro nonnulli libri habent *validusque*. Lips. *validusque sedet miratur*. Ed. mai. a. 1472.

Audet equum: ualidisque sedet moderatur *habenis.*

Reg. Lep. eodem modo, sed *moderat*, fortasse pro *moderatus*. Quod ferri possit. Ex Ed. Venet. 1 75. Broukhus. enotavit lectionem, probatam Vossio, *sedens moderatur*. Haec caeteris probabilior est lectio.

116. DOMATOR] Excerptt. Pocch. *domata*. Duo Italici *comata*. Mendose. Scaliger vocem *domator* etiam de mendo suspectam habebat, propter formam, credo, paullo insolentiorem. Heynius, negans, ita nude poni potuisse *domatorem* pro *equorum domitore*, legebat, *Dalmata tergum*, quod praecepit

Libera Romanae subjecit colla catenae.
Nec tamen his contentus eris; majora peractis
Instant; compertum est veracibus ut mihi signis,
Queis Amythaonius nequeat certare Melampus.
Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem
Indueras oriente die, duce fertilis anni:
Splendidior liquidis quum Sol caput extulit undis,

V. 119. *Omittitur* est.

Heinsius ad Ald. 1515. retinens tamen *terga*. Sed vocem desideratam e contextu supplendam esse recte posuit Vossius. Rem illustrare possum exemplo insigni. Nempe Pindarus, ubi agit de Bellerophonte, sicut ille a verbo *domare* formavit *domator*, ita hic a verbo *δαμᾶν*, insolita item forma, fecit *Δαμαῖος*, ut designaret Neptunum, equorum domitorem, omisso pariter genitivo *ἵππου*, Ol. XIII. 97.

ἄγε φίλτρον τόδ' ἵππειον δέκευ,
καὶ Δαμαίῳ μιν θύων
ταῦρον ἀργᾶντα πατρὶ δεῖξον.

118. CONTENTUS ERIS] Abest *eris* a Lipsiensi. Unus liber apud Vossium et Ed. min. a. 1472. *erit*.

120. QUEIS AMYTHAONIUS] Eadem Ed. *Quis amichaonius*. Lips. *Quis amintaonias nequeant*.

121. SUBTEMINE] Omnes libri mei *sub tegmine* vel *subtegmine*. Sustulit mendum Statius. Colbert. et unus Broukh. *velamine*.

122. DUCE FERTILIS ANNI] Ed. Rom. *vertilis*. Paris. *annis*. Unus Stat. *artis*. Lips. *arte*.

Et fera discordes tenuerunt flamina Venti,
Curva nec adsuetos egerunt flumina cursus;
Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis;
Nulla nec aerias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,
Quin largita tuis sit muta silentia votis.

V. 129. Quom — sunt.

124—126. ET FERA] Tres hi versus absunt a Lipsiensi, v. 126. etiam a Voss. 3. — *tenuerunt flamina Venti,* sicut apud Aristophanem Thesm. 45.

ἐχέτω δὲ πνοὰς νήνεμος αἰθήρ,
κῦμα δὲ πόντου μὴ κελαδείτω.

127. NULLA NEC AERIAS] Hanc lectionem exhibet Ed. mai. a. 1472. Reliquae *Ulla nec,* quod habet Paris. Vide IV. 6. 9. At Lips. et unus Stat. *Nulla haec.* Vulgatam ex aliis libris recte reposuit Broukhusius. Paris. *aereas.* Mox Lips. cum uno Broukh. *clausas* pro *densas.*

129. QUIN LARGITA — SUNT MUTA] Ita hic versus legitur in Ed. mai. a. 1472. etiam in uno Anglic. et Excerptt. Perr. Vulgo *multa.* Margo Ed. Reg. Lep. „*cuncta* legas melius. Sed latet aliquid de Diis — *alta.*" Lips. et Voss. 3.

Quin largita tuis sint multa silentia votis.

In uno Anglic. Dresd. Askew. Goth. Ed. Lips. apud Heynium est *Cum* vel *Quum,* quod reposuit Broukhusius, locum inde a 126. ita construens: „Quin etiam mare irrequietum placide visum fuit consistere, neque avis ulla in aëre *perstrepuit,* neque ulla quadrupes in pastu sonum *edidit motis maxillis,* interea dum tu in altissimo silentio vota nuncupabas pro populo Roma-

Juppiter ipse levi vectus per inania curru
Adfuit, et coelo vicinum liquit Olympum,
Intentaque tuis precibus se praebuit aure;

no Quiritium." Ergo verendum erat, ne *motae* in pastu ferarum *maxillae* strepitu suo interrumperent orationem Messalae? Ergo *perlabitur* et *depascitur* posita sunt pro *perlapsa est*, *depasta est?* quod fieri nullo modo potuit. Sensus est: nulla nec volucris *est*, nec quadrupes, *quin*, id est, *quae non*, te vota nuncupante, *siluerit*. Nempe pro, *nulla volucris est*, scripsit ille, ut poeta, iure suo, nulla volucris *perlabitur auras*, sicut pro, *nulla quadrupes est*, eodem iure scripsit, nulla quadrupes *depascitur silvas*. Igitur locus ita legendus est:

Nulla nec aërias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,
Quin *largita tuis* sit *muta silentia votis.*

Nec hoc altae tranquillitatis per rerum naturam exemplum longe petitum est, quod Heynius scribit, nec huc pertinet Virgilii Ecl. V. 24. et, quem ibi laudat, Moschi III. 23. sed potius Euripidis Bacch. 1071—74. ed. Brunck. ubi, Baccho loquente,

σίγησε δ' αἰθὴρ, σῖγα δ' εὔλειμος νάπη
φύλλ' εἶχε· θηρῶν δ' οὐκ ἂν ἤκουσας βοήν.

Adde Aristophanis locum, modo laudatum, Thesm. 46. Av. 776. Dionysii Carm. 2. in Analectt. Brunck. Tom. II. p. 253. et Appuleii XI. Metam. 245. *Nec mora, quum noctis atrae fugato nubilo*, Sol exsurgit aureus etc.

131. ADFUIT — VICINUM] Edd. vett. *Affuit*, etiam Reg. Lep. in qua Heynius legi adfirmat *Afflait*, quod habent libri nonnulli. Voss. 1. *lucinum*. Similiter aberratum in Lips. sed prorsus mendose; idem *linquit*.

132. INTENTAQUE TUIS — AURE] Dresd. Goth. et Voss. 4. *suis*. In Zwic. 1. legitur *aurae*, quod singulari consensu habet etiam Ed. Vicent. Ovidius IV. ex Pont. 4. 55.

Cunctaque veraci capite adnuit. Abditus aris
Laetior eluxit structos super ignis acervos.
Quin hortante Deo magnis insistere rebus
Incipe; non iidem tibi sint aliisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia, nec latis audax Hispania terris;

V. 133. Additus.

Curia te excipiet, Patresque e more vocati
Intendent *aures ad tua verba suas.*

133. ADDITUS ARIS] Duo libri apud Broukh. cum Goth. *abditus*, quod habent Ed. min. 1472. et Rom. Haec vera videtur lectio. Laetior aris eluxit *super structos acervos*, (super victimae partes, arae impositas) *abditus* ante, languidus, ignis. Val. Flaccus I. 204.

Protulit ut crinem densis luctatus in extis
Ignis et adscendit *salientia viscera tauri* —

134. LAETIOR] Sic cod. Paris. Ed. princeps et Vicent. Alii libri scripti editique *Purior*. Lips. *Licior*. Unus Anglic. *Litior eduxit fructus*. Abest totus versus a Bern.

136. NON IIDEM — SINT ALIISQUE TRIUMPHI] Sine ulla varietate ita legitur in Paris. et Guelf. 3. Et hanc lectionem primus, quod sciam, expressit Aldus 1502. Ed. min. 1472. et Vicent. *sunt*. Venett. 1491. 93. *nunc idem tibi sint*. Ed. princ.

Incipe nunc idem: tibi sunt aliisq; triumphis.

Ita etiam cod. Lips. et Reg. Lep. in cuius margine notatur: „Vulgo: *non iidem tibi sint aliisque triumphi*. Ex MSS. nihil affertur. Dii tibi nunc sunt iidem, ac aliis triumphis. Horat. *Non tibi sunt integra lintea, Non Dii*. Favent sequentia."

Nec fera Theraeo tellus obsessa colono;
Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Choaspes
Profluit, aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes

139. THERAEO — OBSESSA COLONO] Paris. *tetero*. Lips. *tyreno* cum uno Broukhusii. Alii libri aliter aberrant, *terreno*, *threicio*, *tartareo*, *tetereo*, quod habent Edd. a. 1472. Venet. 1475. Aldus inde formavit *rhetaeo*, Scaliger *te Tyrio*. Sed veram lectionem expressit iam Calpurnius in Ed. Vicent. eandemque probavit et docte explicuit Cyllenius *thereo*, id est, *Theraeo*. Guelff. 1. 4. Edd. Rom. et Venett. 1491. 93. *possessa* pro *obsessa*. Utrumque bene habet. Varro de L. L. IV. p. 43. ed. Bip. *Locus ad busta Gallica, quod, Roma recuperata, Gallorum ossa*, qui possederunt urbem, *ibi coacervata ac consita*. Idem p. 60. *Galli* obsederunt *Romam*. Orat. pro Domo Sua c. 42. 110. *quum forum armatis catervis perditorum hominum* possideres. Ubi Graevius corrigit *obsedisses*, dubitans an apud probatum scriptorem hoc sensu legatur *possidere*. Etiam Marklandus magnam apud se gratiam meriturum dicit, si quis vel unum exemplum attulerit. Corn. Nepos Themist. c. VI. 2. *Namque Lacedaemonii, caussam idoneam nacti, qua negarent, oportere extra Peloponnesum ullam urbem haberi*, ne essent loca munita, quae hostes possiderent, *Athenienses aedificantes prohibere sunt conati*. His adscribam duo versus simillimos, alterum Senecae ad Corsicam I.

Corsica Phocaeo tellus habitata colono:

alterum Petronii c. V. 10.

Seu Lacedaemonio tellus habitata colono.

140. CHOASPES] Sic Paris. Edd. Venett. 1491. 93. Ald. prior, pro quo Ed. Rom. habet *Cohaspes*. Vicent. *Coaspis*. Lips. Ed. Ald. 1515. Plant. et Gryph. 1573. *Diaspes*. Edd. mai. a. 1472. *dryaspes*, minor *dyaspes*. Veram scripturam revocavit Scaliger.

141. GYNDES] Hoc iam

Radit Arectaeos haud una per ostia campos;
Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe;
Impia vel saevis celebrans convivia mensis

V. 142. Darnaeos radens.

repositum a Calpurnio in Vicent. Ed. min. 1472. *Gindes.* Maior cum Cod. Paris. Ed. Venet. 1475. multisque aliis *Cydnus.* Lips. *tyrus* vel *cyrus.*

142—145. Hos versus diverso ordine in libris suis legisse videtur Cyllenius, si fides habenda est commentario, ubi ita recensentur:

Impia nec saevis celebrans convivia mensis
Ultima vicinus Phoebo tenet arva Padaeus:
Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe
Creteis ardet aut unda carystia campis.

Est sane locus inquinatissimus. Primus versus *Impia nec* abest a Lips. V. 142. tam corrupte legitur in omnibus libris scriptis editisque, ut, quid verum sit, nulla ratione appareat. Ed. mai. 1472. et Reg. Lep.

Cretaeis ardens: aut nuda caristia campis.

Codd. Paris. et Lips. Ed. Venet. 1475. et Brix. *ardet — unda caristia.* Ed. min. 1472. et Aldd.

Cretaeis ardens aut unda Caystria campis.

Vicent. et Venett. *carystia.* Nonnulli libri *Carysia, Caistria, Charistia.* Ab his omnibus prorsus discedit Cod. Cuiac.

Ardet Arecteis aut unda perhospita campis.

Unde quid Heinsius effinxerit, in contextu, quid Vossius, sub contextu legitur. Ego ab hoc ulcere manum abstineo. Margo Ed. Reg. Lep. „*Cessaeis* (Val. Flac. VI. 130.) *Coastria* — Lucan. III. 246.“

144. IMPIA NEC] Carrio ad Val. Flacc. VI. 750. monente Broukhusio, emendat *Nec pia qui saevis.* Schraderus apud Vossium, *Impia vel.* Hoc habet liber Monac. Recepi, praeeunte Vossio.

Ultima vicinus Phoebo tenet arva Padaeus;
Quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Mosynos.
Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem:
Nulla tibi adversis regio sese offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus,
Teque interjecto mundi pars altera sole.
Nam circumfuso considit in aere tellus,

V. 146. Gelonos.

145. PADAEUS] Edd. princc. *Pachaeus;* vel, ut Cod. Lips. *pacheus.* Vicent. *bacchaeus.*

146. QUAQUE HEBRUS — MOSYNOS] Hebrum expulit Broukhusius, quaerens, quid *Hebro* Thraciae fluvio cum Getis? Rem bene demonstravit Vossius. Abeat igitur *Histrus,* quem ille substituit. Pro *Mosynos* Cod. Lips. *mros,* id est, nisi fallor, *magiros,* ut alii libri habent. Ed. mai. 1472. *magirios.* Minor cum Vicent. et Venett. *maginos.* Cod. Paris. et Ed. Reg. Lep. *mosinos.* Scaliger, *Magynos.* Inter varias hariolationes Margo Ed. Reg. Lep. offert etiam *atque Gelonos,* quod Vossius reposuit. Non liquet.

147. QUID — QUA — ORBEM] Voss. primus et Lips. *Quis.* Hic etiam pro *qua* habet vocem inexplicabilem *opia.* Duo Broukhuss. *orbes.*

148. REGIO SESE OFFERET ARMIS] Lips. *regno.* Unus Gebh. *efferet,* alter *afferet.* Ed. Vicent. *effert.* Paris. solus:

Nulla tibi adversis regio se offerret in armis.

151. CONSIDIT] Vulgo *consistit.* Cod. Lips. *conste-*

Et quinque in partes toto disponitur orbe:
Atque duae gelido vastantur frigore semper.
Illic et densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore,

tit. Edd. Venett. 1491. 93. *consistet.* Heinsii emendationem *considit* confirmat Askew. Vide v. 19. Codd. Scalig. et Voss. 3. *pendebat.* Heynius in Observv. tuetur *consistit*, capiens verbum de situ et loco, qui terrae assignatus est. Ita Martianus Capella VI.

Tellus, quo rapidum consistens *suspicit orbem,*
Puncti instar medio sederat *ima loco.*

De quo loco vide Heinsium ad Ovidii I. Fastt. 109. Idem V. 15.

Pondere terra suo subsedit *et aequora traxit.*

152. ET QUINQUE — TOTO — ORBE] Guelf. 1. Ed. Rom. Venett. 1491. 93. Ald. pr. *totus — orbis.* Ald. 1615. *totos — orbes.* Ed. min. a. 1472.

Et quicunque in partes totus disponitur orbe.

Varro Atacinus in Chorographia apud Isidorum, (vide Wernsdorf. Poett. Latt. Minores T. V. P. III. p. 1403.)

Et quinque aetherius *zonis accingitur* orbis:
At vastant *imas* hiemes *mediamque calores.*
Sic terrae extremas inter mediamque coluntur,
Qua Solis calido nunquam rota ferveat igne.

153. GELIDO] Cod. Lips. et Ed. Vicent. *gelide.* Zwic. 1. *gelidae.*

154 — 155. ILLIC ET DENSA — ET NULLA INCEPTO] Hos versus Wakefield. ad Lucretium III. 1055. ita emendat:

Illic extensa *tellus absconditur umbra,*
Et nulla incerto *perlabitur unda liquore:*

addens: „In primo versu libri habent, *et densa,* sed *densam* statim sequitur." Emendatio per se bona est.

Sed durata riget densam in glaciemque nivemque;
Quippe ubi non unquam Titan superingerit ortus.
At media est Phoebi semper subjecta calori,
Seu propior terris aestivum fertur in orbem,

V. 157. superegerit. 159. proprior.

Nam etiam apud Homerum Il. π. 567.

Ζεὺς δ' ἐπὶ νύκτ' ὀλοὴν τάνυσε κρατερῇ ὑσμίνῃ.

et Od. ψ. 243.

νύκτα μὲν ἐν περάτῃ δολιχὴν σχέθεν.

Nec *ineptum* est, quod scribit Orpheus Argon. 121.

δολιχὴ δ' ἐπεμαίετο πάντοθεν ὄρφνη.

Horatius I. Epistt. 5. 11.

Aestivam sermone benigno extendere noctem.

Alii *tendere*. Statius I. Silvv. 3. 19.

longas *eadem fugit unda per* umbras.

Sed repetitio vocis *densa* non persuadet, primo loco legendum esse *extensa*. Nec video, quare Wakefieldus lectionem *incepto* longe longeqne ineptissimam dicat, eique substituat, quod dudum praeceperat Guyetus, *incerto*. Illud bene iam Passeratius explicuit. Consentiunt libri praeter unum, qui *inrepto*, et alterum, qui *intecto* habet.

157. QUIPPE UBI — SUPERINGERIT] Pro *ubi* legitur in nonnullis libris et Edd. Rom. Venett. 1491. 93. Aldd. *ibi*. Mutavit Statius. Eadem varietas est apud Lucretium IV. 556.

Quippe ubi *nihil aliud nisi aquam coelumque tuentur.*

Ed. min. a. 1472. et Rom.

Quippe ubi non unquam titan super egerit *ortus.*

Hoc ex suis libris revocavit Scaliger, illud Broukhusius. Cod. Lips. *non nom titam superegerit orbe.*

159. PROPIOR TERRIS]

Seu celer hibernas properat decurrere luces.

Non ergo presso tellus consurgit aratro,

V. 161. exsurgit.

Paris. cum aliis *proprior.* Unus Anglic. et Lips. *terras.*

160. PROPERAT DECURRERE LUCES] Ita inde ab Aldo edi coeptum esse scribit Heynius. Ego contra hanc lectionem iam expressam esse video non solum in Vicent. quam ille postea adiecit, sed etiam in Edd. a. 1472. et Reg. Lep. quibus accedunt Codd. Paris. et Lips. Unus Stat. habet *noctes.* Edd. Rom. Brix. Venett. 1491. 93. *properet deducere noctes.* Sic liber Sfort. et Excerptt. Colot. Sed praestat *decurrere.* Pacuvius apud Varronem de L. L. V. 2.

> *Exorto iubare, noctis* decurso *itinere.*

At praestat etiam *luces,* monente Heynio. (Ed. min. 1472. *properet,* non *properat,* habet.) Caeterum Wakefieldus hos versus 157—160. mutato ordine ita legendos censet:

> *Quippe ubi non umquam Titan superingerit ortus,*
> *Seu propior terris aestivum fertur in orbem,*
> *Seu celer hibernas properat decurrere luces.*
> At *media est* Phoebi *semper subiecta calori.*

Hoc valde placet vel propter similem orationis structuram v. 65. de Cimmeriis:

> *Queis nunquam* candente *dies apparuit* ortu,
> Sive *supra terras Phoebus* seu *curreret infra.*

161. NON ERGO — CONSURGIT ARATRO] Cuiac. *igitur.* Unus Anglic. *Non ullo.* Alii, nec pauci, ut Paris. et Lips. *exurgit,* quod habent Edd. vett. praeter Rom. Venetas 1491. 93. et Aldd. in quibus est *consurgit.* Ita Dresd. Guelff. 1. 2. 3. alii. Plinius V. Epistt. 6. 10. *Tantis glebis tenacissimum solum, quum primum prosecatur,* adsurgit, *ut nono demum sulco perdo-*

Nec frugem segetes praebent, nec pabula terrae.
Non illic colit arva Deus Bacchusve, Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.

V. 164. per-

metur. Virgilius Georg. I. 97.

proscisso *quae* suscitat *aequore* terga.

Pindarus Pyth. IV. 405. ὀρθὰς δ' αὔλακας ἐντανύσαις ἤλαυν', ἀναβωλακίας δ' ὀργυιὰν σχίζε νῶτον γᾶς. Conf. Homerus Od. σ. 373.

162. NEC PABULA TERRAE] Sic Edd. 1472. Venett. Aldd. Codd. Paris. Lips. alii. Edd. Reg. Lep. et Vicent. *neque*, forsitan rectius. Et habent hoc libri permulti. *Pabula* et *terrae* alio hic sensu ponuntur, quam apud Virgilium I. Georg. 86.

Sive inde occultas vires et pabula terrae
Pinguia concipiunt.

Hic enim *terrae* sunt, quas Hesiodus dicit, ἄρουραι, *arva*, O. et D. 461.

πρωῒ μάλα σπεύδων, ἵνα τοι πλήθωσιν ἄρουραι.

Pindarus Nem. XI. 50.

ἐν σχερῷ δ' οὔτ' ὦν μέλαιναι καρπὸν ἔδωκαν ἄρουραι.

E contrario apud Tibullum *terrae* proprie sumendae sunt pro tellure, quae pabula non praebet. Lectio sana; cui quis substituat *tesqua?*

164. NULLA NEC EXUSTAS — PARTES] Unus liber Colb. una item Ed. min. a. 1472. *Ulla nec*. Frequens confusio. Vide supra v. 127. Virgil. Ecl. V. 25. et Propert. II. 19. 5.

Nulla neque *ante tuas orietur rixa fenestras,*
Nec *tibi clamatae somnus amarus erit.*

Ubi Guyetus perperam arripiebat lectionem Comel. *Ulla neque*. Nam, quod Heynius scribit ad v. 127., duplex haec negatio locum habet in repetitione particulae; est enim quasi distinguendum, *Nulla, nec avis, nec quadrupes*. Quod vero addit: „Unde valde dubito de veritate lectionis v. 164." hoc ille ad hunc locum ipse evertit, laudans

inter alios Propertium II. 15. (19.) 52.

Absenti nemo ne *nocuisse velit.*

Recte. Nam sicut apud Graecos duae negationes interdum *fortiter affirmant* (Boeckh. ad Pindari Ol. XIII. 29. p. 418.), ita eaedem apud Latinos interdum *fortiter negant* etiam sine repetitione illa. Nonius Marcellus c. XII. 54. Negativas duas pro negativa una accipiendas Varro monstravit de vita populi Romani lib. II. *Qua abstinentia viri mulieresque Romanae fuerint, quod a rege munera eorum noluerit nemo accipere.* Terentius And. I. 2. 54.

neque *tu* haut *dices tibi non praedictum.*

Omnino, ut commode monet Wyttenbachius Bibl. Crit. XII. p. 5. *constructionum negantium tanta est varietas, ut multae illarum formae nondum satis teneantur, nec in Grammaticorum libris ad rationem revocatae tradantur.* Vide Muretum ad Catulli Carm. IV. 4. et quos laudat Dukerus ad Florum III. 17. 9. nec *ideo* minus *socii — desierunt.* Vossius de coniectura edidit *Nulla* per *exustas*, offensus non solum duabus illis negativis, sed etiam sono ingrato syllabarum *nec ex—*. Sed hic syllabarum illarum concursus adeo frequens est, ut studio quaesitus videatur a multis, non dixerim ab omnibus. Propertius III. 9.

Fama nec ex *aequo ducitur una iugo.*

Quo loco omnes libri consentiunt. Recte igitur hanc lectionem tuetur Lachmannus p. 366. laudans Virgilii V. Aen. 669. *Castra*, nec ex*animes*, et ib. v. 781. nec ex*saturabile pectus*: ubi tamen nonnulli libri habent *neque*. At rursus omnes libri consentiunt apud Propertium I. 20. 14.

Galle, neque *expertos semper adire lacus.*

Quem locum emendare debebat vir doctissimus, si „ne ante *ex* quidem toleratur *neque*." Qua de re alibi videbimus. Nunc addam locum Orat. pro Domo Sua c. 14. *Ita populus Romanus brevi tempore neque Regem sacrorum, neque Flamines, nec Salios habebit*, nec ex *parte dimidia reliquos sacerdotes*; neque *auctores centuriatorum et curiatorum comitiorum.* — Nonnulli libri *terras* habent pro *partes*.

Fertilis hanc inter posita est, interque rigentes,
Nostraque, et huic adversa solo pars altera nostro;
Quas similes utrinque tenens vicinia coeli
Temperat, alter et alterius vires necat aer.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus.

V. 168. ut — necet.

165. RIGENTES] Paris. *rigentens.* Ed. min. 1472. Vicent. et Venett. 1491. 95. *rigentem;* quod habent libri multi.

167. QUAS SIMILES UTRINQUE] Sic libri nostri omnes. Ald. 1515. *similéis.* Broukhusius e tribus edidit:

Quas utrimque tenens
similis vicinia caeli.

168. ALTER ET — NECAT] Vulgo *negat.* Recte Scaliger edidit *necat,* ut est in tribus Voss. Ovidius Remed. Am. 808.

Lenis alit flammam,
grandior aura necat.

Plinius V. Epistt. 6. 4. Coelum *est hieme frigidum et gelidum; myrtos, oleas, quaeque alia assiduo tepore laetantur, aspernatur ac respuit: laurum tamen patitur, atque etiam nitidissimam profert:* interdum, *sed non saepius quam sub urbe nostra,* necat. Iam Vossius more suo *Temperat* et — necat mutavit in *Temperat,* ut — necet. Vide II. 4. 64. Lucanus IX. 431.

At quaecunque vagam
Syrtim complectitur ora,
Sub nimio proiecta die,
vicina perusti
Aetheris, *exurit messes,*
et *pulvere Bacchum*
Enecat, et *nulla putris*
radice tenetur.
Temperies *vitalis abest,*
et nulla *sub illa*
Cura Iovis *terra est.*

169. HINC — VERTITUR ANNUS] Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg.

Hinc et colla jugo didicit submittere taurus,
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos;
Tondeturque seges maturos annua partus;
Et ferro tellus, pontus confinditur aere.
Quin etiam structis exsurgunt oppida muris.
Ergo, ubi per claros ierint tua facta triumphos,

V. 174. exstructis.

Lep. cum Cod. Lips. et aliis:

Hinc placidus nobis per tempora labitur annus.

Ed. min. 1472. Rom. 1475. Venett. 1491. 93. cum Cuiac. Guelff. 1. 2. et quatuor Voss.

Hic placidus nobis per tempora vertitur *annus.*

Aldd. rursus *labitur*, quod Cyllenius etiam in Commentario expressit, quamquam *vertitur* in animo habuisse videtur: „*Labitur.* sua enim per vestigia *se vertit.*" Paris. *vertiter.*

173. CONFINDITUR] Cod. Lips. Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep. et Venett. 1475. 91 — *confunditur.* Ed. min. 1472. *contunditur.* Guelf. 2. pro varia lectione *conscinditur.* Non male. *Conscindi* enim et *terra* dicitur aratro et mare *navibus.* Virgilius I. Georg. 50.

At prius ignotum ferro *quam* scindimus *aequor.*

id est *terram.* E contrario Virgilius X. 214.

campos *salis* aere *secabant.*

174. EXSURGUNT OPPIDA] Paris. Lips. cum aliis *exurgitat.* Ed. min. 1472. *consurgunt opida.* Liber Heins. *estructis.* Non multum interest, *structis* legas an *exstructis*, *conscendunt* an *exscendunt.* Livius VI. 4. *Et Roma cum frequentia crescere, tum tota simul* exsurgere aedificiis. Goth. *extinctis.*

175. PER CLAROS IE-

Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,

V. 176. maximus orbe.

RINT — FACTA TRIUMPHOS] Sic primus omnium hunc locum expressit Scaliger secundum Cod. Cuiac. qui habet *praeclaros ierint*. Et hanc lectionem confirmat Voss. 1. *per claros ierint sua*. Cod. Lips. ita:

> *Ergo ubi p̄claros* poserint *tua facta túmphos*.

Hic librarius duplicem lectionem in unam confudit, *poscent* et *ierint*. Nam omnes, praeter Cuiac. et Voss. libri scripti, omnes item editi ante Scaligerum habent:

> *Ergo ubi praeclaros* poscent *tua facta triumphos,*

vel etiam *fata,* quod Heynio placet, primum lectionem *poscent* tuenti, mox corrigenti *mereant*. Hoc male. Nec equidem illud probaverim, quamquam *facta* paullo insolentius *per triumphos eunt*. Cicero pro Balbo c. 6. de Pompeio: *cuius* res gestae omnes gentes *cum* clarissima victoria *terra marique* peragrassent: *cuius tres triumphi testes essent; totum orbem terrarum nostro imperio teneri*. Ovidius Ep. XVI. 267. ubi Heinsius ex uno *audacia* reposuit:

> *Nostra* per *has leges* victoria *fortior* isset.

176. SOLUS — MAGNUS IN ORBE] Heinsius ad marginem Ald. 1515. corrigit *Solis*. Quod complures habent libri *maximus orbe*, ex nostris nullus agnoscit.

177. NON — SUM SATIS AD] Lucanus I. 66.

> Tu satis ad vires *Romana in carmina dandas*.

Hunc versum Ed. mai. 1472. coniunctum cum v. 178. exhibet, addita interpunctione, quam habet etiam Reg. Lep.

> *Non ego sum satis ad tantę pręconia laudis Ipse*
> *mihi: non si pręscribat carmina phoebus.*

Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.

Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,

Valgius: aeterno propior non alter Homero.

V. 178. praestabit. 180. proprior.

178. PRAESCRIBAT CARMINA PHOEBUS] Edd. Rom. et Vicent. cum Zwic. 1. *perscribat*. Cod. Lips. cum uno Broukhus. et Goth. *praestabit*. Mendose. Nam *praestare alicui carmina*, pro *praebere*, monente Wunderlichio, nemo dixit nec dicere potuit. Deinde consecutio temporum postularet vel *praestet* vel *praestiterit*. Poeta autem, *cuius* carmina *praestaret* Phoebus, omnium haud dubie *praestantissimus* esset, et satis ad *maximae* praeconia laudis. Etiam, si *praescriberet*. Sed hoc non abhorret a consuetudine poetarum. Phoebus *doctor* Thaliae cui non auditus? Idem Euripidi est ἀγήτωρ μελέων Med. 425. Tamen non ausus est Bentleius edere:

Ductor *argutae fidicen Thaliae.*

Et hic quidem Phoebum *doctorem* satis illustravit loco Lucani vel Saleii Bassi ad Pison. v. 154.

Sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas,
Dulcis Apollinea sequitur testudine cantus:
Et te credibile est Phoebo didicisse magistro.

De eodem Propertius II. 1. 3.

Non haec Calliope, non haec mihi dictat *Apollo.*

Alii *cantat*. Quod idem esse ait Passeratius, ac *praescribit*, id est, cantando praecipit et praeit canenti. Ibid. IV. 1. 133.

Tum tibi pauca suo de carmine dictat *Apollo.*

Praescribere autem nihil aliud est quam *docere*. Cicero II. Div. 59. *An Ae-*

Languida non noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.

V. 182. Musis adversa.

sculapius, an Serapis potest nobis praescribere per somnium curationem valetudinis; Neptunus gubernantibus non potest? et sine medico medicinam dabit Minerva; Musae scribendi, legendi, caeterarum artium scientiam somniantibus non dabunt?

181. NON — PERAGIT] Corvin. nec. quod probat Heynius. Excerptt. Lips. nam. quod Broukhusius admisit. Ed. mai. 1472. Venet. 1475. et Reg. Lep. pro peragit habent pergit. Sic duo Anglicc. Heynius mallit peraget.

182. UT MOS EST ILLI — FATIGET]. Verba, ut mos est illi, Editores veteres sano iudicio uncis incluserunt. Nullum enim h. l. sensum habent, nullam vim. Consentiunt caeteroquin libri in hac lectione, nisi quod MS. Schefferi habet:

Fortuna ut mos illi semper adversa fatiget.

In formula quidem ipsa, ut mos est illi, nihil est quod reprehendas. Utuntur ea poetae passim, v. c. Lucilius apud Stephanum p. 164.

Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis.

Horatius I. Serm. 4. 95.

defendas, ut tuus est mos.

Livius V. 39. *postremo caesorum spolia legere, armorumque cumulos, ut mos eis est, coacervare.* Iam si sana sunt verba, *ut mos est,* sanum etiam esse debet pronomen *illi.* Quo deleto generalis fit sententia, quae specialiter ad Fortunam referri nequit. *Ut mox est* hunc sensum habet, *ut consuetudo fert hominum;* eaque significatio simul evertit emendationem *Musis.* Aldus edidit, *Fortuna,* (ut mos est) illi; *me adversa fatiget.* A ieiunitate huius carminis non abhorrebit, si locum ita constituamus:

Languida non noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut nosti, semper *me adversa fatiget.*

Nam, mihi quum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea, fecundas ad deficientia messes,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, et nimium furique lupoque:

Horatius Ep. XVII. 77.
Ut *ipse* nosti *curiosus.*
Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. *fatigat.* Caeterum verba, *ut mos est illi,* etiam Codd. Zwicc. uncinata exhibent, totum versum omisit librarius Voss. 5. nec ille reliquos, quod memoratu dignum, descripsit.

183. NAM MIHI QUUM — NITERET] Ed. mai. 1472. et Vicent. *Non mihi.* Ed. min. *magrus* pro *magnis.* Askew. et Voss. 5. *nitetur.*

184. CUI FUERANT FLAVI — ORDINE] Monac. *Qui.* Bern. *Cum.* Lips. *fuerunt.* Unus Broukh. *alti* pro *flavi.* Pro *ordine* Heynius malebat *hordea,* ut repetatur idem vocabulum. Hoc praeceperat Heinsius, legens:

Cui fuerant flavi ditantes horrea culmi.

Addit ille: sed et *sulci* ferri possunt.

185. AD DEFICIENTIA MESSES] Vulgo, *indeficientia mensis.* Ita Edd. veteres, et Cod. Paris. Lips. *mesis.* Cuiac. *messis.* Hinc Scaliger edidit, *ad deficientia messes.* quam lectionem iam Perreius Aldinae adscripsit et Ed. Gryph. 1573. in margine habet. Goth. *et — messes.* Voss. 5. *campis.* Monac. nec hunc versum habet nec sequentem.

186. AGMINE] Sic Edd. principes. Venett. 1475. et 1491. 93. Vicent. et Reg. Lep. *agmina.* Illud confirmant Paris. et Lips. pro quo Askew. *ordine* habet. Goth. *valles* pro *colles.*

Nunc desiderium superest; nam cura novatur,
Quum memor anteactos semper dolor admonet annos.

V. 188. nunc cura. 189. accisos — admovet.

188. NAM CURA] *nunc* pro *nam* Heynii coniectura est. Nihil opus.

189. CUM MEMOR ACCITOS — ADMOVET] Ita hic locus legitur, cum aliis in libris tum in Ed. mai. a. 1472. Venett. 1475. 91. 93. Vicent. et Reg. Lep. Falso enim scribit Heynius cum Broukhusio, hanc postremam Editionem habere *accisos*, quae est emendatio Dousae. Ed. min. a. 1472.

Quum memor accitus *semper dolor admonet annos.*

Cod. Paris. *Cum — accitus.* Lips. *Cum — acitus.* Tres Anglicc. cum aliis *attritus — admonet.* Unus Stat. *Accito cum me — admonet.* Scaliger ex suis libris scriptis edidit:

Quum memor anteactos *semper dolor* admonet *annos.*

Recte *admonet*, quod habent etiam Paris. et Lips. Sallustius Iug. 79. 1. *eam rem locus* admonuit. Tacitus Germ. 37. *ne Parthi quidem saepius* admonuere. Al. *admovere.* Vide Gronovium Diatr. p. 322. recte scribentem: „*Admonere* non protrita notione dicitur, quicquid aliquo cum aculeo teloque in memoriam redit et, ut Tullius ait, *animum memoria refricat.*" Praeclare igitur ille scripsit, *memor dolor* admonet *annos*, non *admovet*, quod prorsus abiiciendum. *Annos* autem intellige tempus illud, quo paternorum avitorumque bonorum parte meliore spoliatus est Tibullus. Hos annos commode dicere potuit *anteactos* (laudator *temporis acti Se puero*), nullo modo *accisos*, neque vero *accitos.* Unde autem mira haec lectionis varietas orta? Suspicor, in libro aliquo scriptum fuisse *aticos*, id est, *antiquos*, ut v. c. *cocus* scribebant pro *coquus*, item *cotidie* pro *quotidie.* Iam illud quam facile mutari potuerit in *acitos, accitos*, nemo non

Sed licet asperiora cadant, spolierque relictis,
Non te deficient nostrae memorare Camenae.
Nec solum tibi Pierii tribuentur honores:

V. 192. Nec tibi — solum.

intelligit, quum litterae *c* et *t* perparum differant in libris scriptis, ut saepe nescias, utrum v. c. *arces* legendum sit an *artes*. Ergo optio nunc datur eligendi sive *antiquos* sive *anteactos*, quorum alterum alterius interpretatio est. Nam *antiquum* dicitur universe pro *praeterito*, etiam brevissimo tempore. Mihi lectio *anteactos* retinenda videbatur, confirmata etiam Cod. Vindob. Caeterum Heynius, qui corrigebat:

Cum memori accitus *semper* dolor *admovet annos:*

poterat etiam legere, *antiquus — dolor*, cui opponitur *novus dolor* I. 2. 1. Euripides Phoen. 521—26. πῶς—τέρψιν παλαιᾶν λάβω χαρμονᾶν; pristinae *laetitiae voluptatem*, ut scribit Orator ad Quiritt. post Red. c. I. Conf. Cicer. Tuscull. Disputt. V. 6. Virgilius V. 608.

necdum antiquum *saturata* dolorem.

190. RELICTIS] Cod. Paris. Ed. min. a. 1472. Venett. Reg. Lep. *relictus*. Cod. Lips. *hasperiora — relictis*.

191. NON — DEFICIENT — CAMENAE] Scripti et editi penes me *Camoenae*. Unus *defient*. Vide versum 100. Propertius I. 8. 25.

Nec me deficiet *nautas* rogitare *citatos*.

Eiusdem prorsus sententiae statim legitur versus 205.

Nulla mihi statuent finem te fata canendi.

192. NEC SOLUM TIBI] Molliore numero codex Io. Marii Mattii Lib. I. Opinion. C. 13. *Nec tibi Pierii solum*. ubi et ratio redditur huius in dicendo coloris, parum vulgo intellecti, quum post *non solum* non sequitur *verum etiam*; quae verba a natura eius

Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis;
Pro te vel solus densis subsistere turmis,

V. 195. densis solus.

locutionis postulari videntur. Broukh. Evertit hanc animadversionem locus Propertii I. 10. 15.

Non solum *vestros didici reticere dolores*:
Est *quiddam in nobis maius, amice, fide.*

Ubi ad regulam istam scribendum esset: *Non vestros didici solum* — quod nemo adhuc fecit. Hoc loco libri nostri omnes habent, *Nec solum tibi pierii*. Voss. 1. 2. *Nec tibi Pierii solum*. Conf. Horatii A. P. 234. I. Sermm. 6. 84. Propert. II. 5. 19.

193. rapidas ausim — maris — undas] Ed. min. a. 1472. *ausun.* Hamb. *per te — ausum. Rapidas* maris *undas* et hoc loco sicco pede transierunt Editores, et supra v. 126.

Quin rapidum *placidis etiam* mare *constitit undis.*

Vide I. 2. 40. ubi quidam libri *rabido* habent pro *rapido mari*, sicut h. l. *rabidas* pro *rapidas* Cod. Witt. Etiam v. 126. Guyetus *rabidum* corrigebat, obnitente Heinsio.

194—196. adversis — pro te — vel parvum] Cod. Lips. tres hos versus inverso ordine exhibet: *Vel parvum — Pro te — Adversis.* Similis confusio est in libris Voss. 1. 4. et Goth.

195. vel solus densis subsistere] Cod. Lips. *Pro te densis solus,* omisso *vel.* Guarn. *pro te densis vel solus.* Hic igitur librarius noluit separare particulam *vel* ab adverbio *solus,* quod permulti fecerunt, ut Paris. Editores etiam principes, Venet. 1475. (Vicent.) Reg. Lep. exhibentes:

Pro te vel densis solus *subsistere turmis.*

Sed ut libri scripti alii, ita aliae etiam Edd. ut Venett.

Vel parvum Aetnaeae corpus committere flammae.

V. 196. **Nec pavidum.**

1491. 95. (Rom. 1475.) Ald. etc. expresserunt:

Pro te vel solus densis *obsistere turmis.*

Et haec mihi vera videtur structura; immo verissima est. Nam turmas esse *densas* nil mirum. At si quis turmis, etiamsi non sint densae, subsistere audeat solus:

εἰ δέ κε μοῦνος ἐὼν τοῖςδεσσι μάχηται·

hic omni modo sublevandus est armis — grammaticis, quamquam *solus* per se vim habet maximam et primo loco collocari poscit, sicut apud Homerum *μοῦνος ἐνὶ πλεόνεσσι*. — *Subsistere* libri nostri, praeter eos, quos supra commemoravimus, habent omnes. Aldinae etiam adscripsit Perreius.

196. VEL PARVUM AETNAEAE — COMMITTERE] Unus Anglic. *aeternae*. Lips. *eneae*. Ed. Reg. Lep. *ethnae*. Unus Stat. *submittere*. In lectione *Vel parvum* omnes libri consentiunt, quamvis ridicula sit. „Sed sunt tot alia in hoc carmine exiliter et putide dicta, ut in hoc praecipue offendi non debeamus.“ Hoc vere quidem ponit Heynius, nec tamen persuadet, omnes huius carminis ineptias auctori esse imputandas. Heinsius corrigebat *Vel par sim:* quidni *possim?* Burmannus *Vel pronum:* Broukhusius *Vel pavidum*, quod *cordi* melius quam *corpori* convenire concedimus Heynio. Vossius, qui *pavidum* retinuit, *Vel* mutavit in *Nec*, quod valde placet. Error ortus videtur e falsa lectione *parvum*. Nam librarius, quum videret, *Nec parvum corpus* absurde dici, *Nec* mutavit in *Vel*, ut locutionem *Vel parvum* accommodaret superioribus *vel rapidas, vel solus*, quibus ille particulis alienam vim subiecit. Enimvero vitium quaerendum erat in voce *parvum*, suspecta vel propterea, quod statim sequitur *parvula* cura. Nos locum ita emendavimus:

Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis;

Sum quodcunque, tuum est: nostri si parvula cura.

Sit tibi, quanta libet; si sit modo: non mihi regna

Pro te vel solus densis subsistere turmis,
Nec parcam *Aetnaeae corpus committere flammae.*

Terentius Hec. III. 1. 2.
heu me infelicem, hancine ego vitam parsi perdere?

Catullus LXIV. 146.
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt.

Tuetur tamen lectionem *Vel parvum* Dorvillius ad Charit. p. 636. Lips. Nam, inquit, *corpusculum* ibi suum vocat *parvum* respectu *magnae* et *immensae illius flammae*, quae in montis Aetnae barathro ardebat, eadem *ἐννοίᾳ*, qua Manilius L. 5. 592. de Andromeda:

Cum tua fata cavis a rupibus ipsa videres,
Adnantemque tibi poenam pelagusque ferentem,
Quantula *praeda maris!*

Similiter Gesnerus tuetur ridiculam illam sententiam in Orat. post Red. c. 2. *A parentibus, id quod necesse erat,* parvus *sum procreatus: a vobis natus sum* Consularis.

197. SUM — NOSTRI SI] Hanc lectionem praetulit Vossius, quem secutus sum. Heynius cum Broukhusio *sit.* Vide III. 1. 19. Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Ald. 1502. *Dum — sit.* Sic Cod. Paris. — Lips. *Dum — si.* Ed. Rom. Venett. 1491. 93. *Sum — sit.* Ald. 1515. *Sum — si.* Ed. min. 1472.

Sum *quodcunque tuum* nostri est si *parvula cura.*

198. SIT TIBI — LIBET, SI SIT] Ed. min. 1472. *Sic tibi.* quod fortasse est in Rom. apud Heynium, in Venett. non est. Cod. Lips. *Sint — libent si sint modo.* Askew. Ed. princeps et Lips. apud Voss.

Sit tibi quanta libet si sint modo non mihi regna.

Duo Anglicc. *licet.*

Lydia, non magni potior sit fama Gylippi;
Posse Meleteas nec mallem mittere chartas.

V. 200. malim emittere.

199. LYDIA, NON — SIT — GYLIPPI] Ed. min. 1472. *Lidia* nec *magni*. Goth. *mihi* pro *sit*. Cod. Lips. et Heins. *Galippi*. Cyllenius ita: Quidam *philippi* legunt patris Alexandri magni: qui multa memoratu sempiterno digna fecit.

200. MELETEAS NEC MALLEM MITTERE CHARTAS] Ed. mai. a. 1472. *meletheas* — *barchas*. Minor, *posse me letheas*. Sic unus Voss. et Ed. Reg. Lep. — Cod. Lips. et duo Voss. *tardas*. Paris.

Posse meleteas mallem
quoq; *mittere chartas*.

Huc pertinet lectio Cod. Scal. *committere*. Guarn. *dimittere*. Nonnulli *emittere*. Cuiac. *vincere*, quod Scaliger reposuit. Guelf. 3. in margine habet *tangere*. Hoc supra legimus II. 5. 17.

Phoebe, sacras Messalinum sine tangere chartas.

Ubi *pandere* substitui poterat. At hoc loco *pangere*. Sic enim et librarius scripsit, et, nisi omnia fallunt, Tibullus ipse:

Posse Meleteas nec mallem pangere chartas.

Martialis XI. 3. 7.

At quam victuras poteramus pangere chartas.

Prae hac lectione exquisita languent, quae modo recensuimus, verba omnia, interpretationis caussa illi adscripta. Iam pro *mallem* Cod. Lips. *male*, Ed. Vincent. *malem* habet, nullus liber *malim*. Nec magis hanc lectionem nunc admittam, quam *possem* supra II. 4. 7.

O ego ne possim *tales sentire dolores,*
Quam mallem *in gelidis montibus esse lapis.*

Horatius I. Sermm. I. 54.

Ut tibi si sit *opus liquidi non amplius urna,*
Vel cyatho, et dicas: *Magno de flumine* mallem,
Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere.

Quod tibi si versus noster totusve, minusve,
Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore:

Ibi Bentleius substituit e libris quibusdam *malim*. Sed *mallem* tuebatur, nec male, in scholis Heinrichius, narrante Franckio in Epistola ad virum clarissimum scripta a. 1816. de Censura quadam Halensi p. 11. *Nec mallem posse*, id est, *nec* mallem, si possem, *si optio daretur*, *Melcteas* pangere chartas.

201. QUOD — SI — TOTUSVE MINUSVE] Languida haec sunt, pace mihi liceat dicere Nostri Equitis, exsanguia et exsucca, neque satis inter se cohaerentia, usque ad poematis finem. VULP. Hi duo versus (201. 202.) omnium in toto hoc carmine ineptissimi sunt. HEYN. Nempe in mediam prope barbariem delati sumus. Est haec congeries verborum sensu carentium. *Totusve minusve* totus *versus:* carmen totum vel *minus totum*. Quis unquam ita scripsit vel scribere potuit? Monachus fortasse aliquis ita scripserit, non Tibullus. Adponam lectionis varietatem, et primo quidem loco Cod. Lips. et Ed. min. a. 1472.

Qui *tibi si versus noster totus ue minus ue.*

Vindob. in marg. *Cum tibi.* Caeteri *Quod tibi.* Porro Hamb. *totus nosterve.* Guelf. 1. 4. *noster notus ue.* Aldinae 1515. adscripsit, nescio quis, *totus* omisso *ue:* Heinsius ibidem verbis *totus ue minus ue* adpinxit: *vel notusve.* G. Haec est nota Editionis Venet. 1475. cui Hadrianus Wallius varias lectiones adscripserat, ut nesciam, utrum vox *minusve* absit ab Ed. illa, an a libro quodam Wallii. Idem Heinsius emendat, *minorve.* Non magis hoc probari potest, quam illud.

202. VEL BENE SIT NOTUS — INERRET — ORE] Goth. *et bene.* Nostri omnes *si notus.* Stat. *sit notus,* quod e suis reposuit Scaliger. Muretus, *si totus.* Ed. mai. 1472.

Vel bene si notus summo uel ineret *in ore.*

Nulla mihi statuent finem te fata canendi.

V. 203. finem statuent.

Cod. Paris. Ed. min. 1472. Aldd. *moeret*. Cod. Lips. Ed. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. *meret*. Vicent. *inheret*. Hinc Muretus fecit *inerret*, quod legitur in Florentino Stat. Hamb. Witt. et uno Broukh. Haec proba est locutio. Virgilius Cir. 356.

> *multus ineptae*
> *Virginis insolito* sermo
> *novus* errat in ore.

Etiam *summo* in *ore* Medeae sermo *errat* apud Apollonium Rhod. III. 683.

> μῦθος δ' ἄλλοτε μέν οἱ ἐπ' ἀκροτάτης ἀνέτελλε
> γλώσσης, ἄλλοτ' ἔνερθε κατὰ στῆθος πεπότητο.
> πολλάκι δ' ἱμερόεν μὲν ἀνὰ στόμα θῦεν ἐνισπεῖν·
> φθογγὴ δ' οὐ προὔβαινε παροιτέρω.

Sed Scylla mendax varia comminiscitur, *haesitante lingua*, Medea, prae pudore et metu, animi sensa eloqui reformidat, quamvis hoc agens. His recte dicitur sermo *errare in ore* vel *inerrare ori*. Num etiam patrono poetae cuiusdam versus vel carmen, cuius aliquam aliquando mentionem facit honorificam, *inerrat in ore?* Non putaverim. Immo accuratius dicas, carmen illi *haerere in ore*. Ovidius X. Metam. 204.

> *Semper eris mecum, memorique* haerebis
> in ore.

Erunt igitur, qui horum versuum auctorem scripsisse putent:

> *Vel bene sit notus, summo vel* inhaereat
> *ore*,

ut habent Collatt. Colot. Tres Anglicc. cum Ed. Vicent. *inhaeret in ore*. Sed aliud est *memori* in *ore haerere*, aliud *summo inhaerere ore* vel *ori*. Illud est *commemorari* perpetuo, hoc *adhaerescere linguae* ita, ut pronuntiari nequeat. Quod accidisset, credo, Messalae, si quis ei tales versus obtulisset. Habebat vero auctor in votis, ut Messala hoc carmen interdum cum laude commemoraret, versus *in ore haberet*, (Cicero III. Off. c. 21.) quod Graeci dicunt ἔχειν διὰ στόματος. Hoc nos ad alteram lectionem reducit. Et satis docet prior sententia, *Vel bene sit notus*, scripsisse illum:

> *summo vel* inerret
> *in ore*.

203. STATUENT FINEM]

Quin etiam mea quum tumulus contexerit ossa;
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet seu vita; tamen, mutata figura

V. 204. tumulus mea quom. 205. fato *pro* celerem.

Unus (Anglic.) *finem statuent.* Paris. cum nonnullis aliis *statuunt.*

204. MEA QUUM TUMULUS CONTEXERIT] Duo Italici, *tumulus mea cum contexerit.* Ed. min. a. 1472.

Quin etiam mea tunc *tumulus* seu *texerit ossa.*

Maior cum Vicent. Reg. Lep. *tunc — contexerit.* Venett. 1491. 93. Aldd. *tunc* — cum *texerit.* Ita Paris. — Cod. Lips. habet, *mea tunc tumulusq; texerit ossa.* Cyllenius, inquit Heynius, in notis praefixit: *Quin etiam cum tumulus pertexerit.* Falso. Praefixit ille: *Quin etiam* quum *tumulus* contexerit *ossa.* Atqui haec est lectio, quam primum in contextum intulit Muretus.

205. MATURA DIES FATO] Cuiac. *celerem* pro *fato.* Recepit Scaliger tacite. Praeferenda haec est lectio, nisi pro *fato* legas *fati.* Dies *fati*, τὸ μοιρόκραντον ἦμαρ, Aesch. Choeph. 608. Ovidius Ep. I. 114.

Extremum fati *sustinet ille* diem.

Virgilius XII. 150.

Parcarum*que* dies *et vis inimica propinquat.*

Anthol. Lat. ep. 287. Tom. II. p. 222.

Abrupit dirae sortis *iniqua* dies.

206. MUTATA FIGURA] Sic Cod. Paris. Ed. min. a. 1472. et Rom. 1475. Contra Cod. Lips. *figurā.* Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep. Venett. Aldd. *figuram.* Ovidius I. Trist. 1. 117.

Sunt quoque mutatae *ter quinque volumina* formae.

Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctum; seu tardi pecoris sim gloria taurus;
Sive ego per liquidum volucris vehar aera penna;

V. 207. gyros — campo. 208. torvi.

207. FINGET EQUUM RIGIDOS — CAMPOS] Tres libri apud Broukh. *fingit.* Omnes *rigidos — campos,* praeter Voss. 1. qui habet, *gyro* percurrere *campos.* Hanc lectionem, commendatam ab Heinsio, admiserunt Broukhusius et Vulpius, expulit iure meritoque Heynius. Statius emendabat *riguos.* Friget sane lectio *rigidos.* Sed in emendando hoc loco *Infelix operam perdas —.*

208. TARDI PECORIS] Unus Stat. *tardus.* Bern. *tardis.* Nullus *torvi.* Margo Ed. Reg. Lcp. „Tam enim in pecora quam in tauros (homines) mutari putabant. Empedocles interprete Chalcidio, cuius verba posui fine libri VI. Adversar." Itane vero? Sic est. Nempe vir doctus, cuius animadversiones criticas, exemplari Lipsiensi Editionis Reg. Lep. adscriptas, toties citavi, est Casp. Barthius. Non mihi quidem nunc ad manus sunt Adversaria viri eruditissimi, nec haec omnia in *editis* reperientur, sed potius in *ineditis*, quae nunc in manibus sunt Spohnii. Vide, quae notavimus ad initium Carm. II. et alibi.

209. PER LIQUIDUM VOLUCRIS VEHAR AERA PENNIS] Sic omnis antiqua Editio. Nec magni momenti varietas est in libris scriptis, nisi quod Hamb. habet interpolationem sensu cassam: *revolutus in aëre pennis.* Voss. 1. quocum iterum consentit, quod miror, Heinsius coniector, *volucri — penna.* Hoc reposuit Broukhusius, nec abiecit Heynius, quamquam ita scribens: „Quis quaeso in hoc carmine exquisitas elegantias venari sustineat? Verum talis est pruritus ille, elegantiolas quas

Quandocunque hominem me longa rece-
perit aetas,

V. 210. In quodcunque hominum.

quis ex recenti lectione animo teneat, ubique inserendi, ut nullo cum iudicio, an opportune satis fiat, dispici soleat." Bona observatio! Cur ille tamen vel sic retinuit lectionem Heinsianam? Si propter *elegantiolam*, scire debebat, hanc nec in veterum libris inveniri, nec in verbis *volucri penna*, sed elegantissima lectione elegantiorem esse *volucris vehar pennis*, quae nulla unquam machina convelli poterit. Hanc sanissimo iudicio restituit Vossius, in subsidium vocans oppositionem, *equus*, *taurus*, *volucris*. Quae si forte non sufficiat, consensum dubitanti extorquebit auctoritas Theocriti Id. XX. 40.

*καὶ τὺ, Ῥέα, κλαίεις τὸν
βωκόλον· οὐχὶ δὲ καὶ
τύ,
ὦ Κρονίδα, διὰ παῖδα βοη-
νόμον ὄρνις ἐπλάγ-
χθης·*

et Propertii. (cuius exemplo hanc ipsam Vaticani Codicis lectionem plene confirmavit in Adnott. ad Elegiam Catulli Callimacheam p. 76. Valckenarius) II. 30. 29. item de Iove:

*Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io,
Denique ut ad Troiae tecta* volarit avis.

Nec dubium, quin, sicut apud Theocritum *ὄρνις*, apud Propertium *avis*, ita apud Tibullum *volucris* eximie dicatur pro *aquila*, in cuius formam se in ista animarum migratione aliquando, si forte, transformatum iri somniabat hic poeta, quemadmodum Agamemnonis anima, quum optio data esset, figuram aquilinam subire gestiebat loco Platonis notissimo: *ἔχθρᾳ δὲ καὶ ταύτην τοῦ ἀνθρωπίνου γένους, διὰ τὰ πάθη, ἀετοῦ διαλλάξαι βίον.* Lucanus VI. 129.

Tot simul e campis Latiae fulsere volucres.

210. QUANDOCUNQUE HOMINEM — RECEPERIT] Codd. Paris. Lips. alii, Edd. a. 1472. Reg. Lep. Venett. etc.

In quemcunque hominem me longa receperit aetas.

Hoc quid sit, non intelligo: *longa aetas me recipiet* in *hominem*. Sufficie-

211 Inceptis de te subtexam carmina chartis.

bat, *recipiet* me *hominem.* Eodem incommodo laborat altera lectio:

In quodcunque hominum me longa receperit aetas.

Hinc Heinsius ad oram Ald. 1515. corrigebat, *redegerit.* Alii aliter. Duo Statt. totidem Voss. Ed. Vicent. *In* quaecunque *hominem.* Margo Ed. Reg. Lep. „Al. *quaecunque.* Sed tandem credebant in hominem redire. Vide Virgil. Silium, Claudian. 2. Rufin. v. 492. Post diuturnas illas pecudum habitationes tandem in hominem rediens, tamen, quae coepi, pertexam. Ineptissimum sit, dum bellua est, velle cantare eum.“ Sed nullam prorsus difficultatem habet lectio Cod. Cuiac. et unius Ital. quam reposuit Broukhusius:

Quandocunque *hominem me longa receperit aetas.*

Ex hac scriptura quomodo varietas illa oriri potuerit, bene docuit Heynius: „Nempe primum compendiosa scriptura errori locum dabat, ut scriberent, *quodcunque,* mox praepositionem praefigebant, ut versus constaret, vid. supra ad v. 59.“ Huic lectioni favet contextus et, quam supra dixi, oppositio, *equus, taurus, volucris, homo.* Accedit, quod poetae saepenumero adverbium *Quandocunque* in fronte versuum collocant, ut Horatius I. Epistt. 14. 17. Propertius II. 1. 71. II. 13. 17. — Unus Gebh. *retexerit* (*revexerit*) pro *receperit.*

211. INCEPTIS — SUBTEXAM CARMINA] Ed. mai. a. 1472. Vicent. Reg. Lep.

Incaeptis de te subtextam carmina chartis,

vel *cartis.* Cod. Lips. *carmine.* Unus Stat. *nomina.* Nepos Attic. XVIII. *Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quae non in eo* (volumine) *suo tempore sit notata: et, quod difficillimum fuit, sic* familiarum originem subtexuit, *ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere.*

CARMEN II.

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, Kalendis;
Spectatum e coelo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet; at tu, violente, caveto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.

V. 2. *Omittitur* e.

CARMEN II.

Excerpta Pocchi et Perreii titulum exhibent his libri quarti carminibus communem: *De amoribus Sulpitiae et Cherinthi.* Margo Ed. Vicent. *Hic liber de amoribus Sulpiciae et Cherinthi inscribitur.* Vide, quae annotavimus supra ad initium libri III. p. 425. Cod. Paris. et, nisi fallor, Ed. min. a. 1472. certe Venett. 1491. 93. titulo carent. Cod. Lips. cum aliis: *Laus Sulpiciae ad Martem.* Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep. *Laus Sulpitiae ad deum Martem.* At liber Witt. A. *Epistola: Ad Martem: habet sulpitias Laudes.* Margo Ed. Reg. Lep. „Ego vero haec carmina partim a puella scripta puto, partim a Tibullo. *Et quis scit an non Sulpicia cum Caleno Carminibus his lateat?* Lib. 59." Haec sunt verba Casp. Barthii, qui lib. 59. Adversarr. hanc sententiam proposuit, satis refutatam a Vulpio et Vossio.

2. E COELO, SI SAPIS] Praepositionem omnes libri habent scripti editique. Pro *sapis* Ed. Venet. 1475. et Reg. Lep. *satis.*

3. HOC VENUS IGNOSCET; AT] In Florentino Stat. et uno Anglic. *Sed*

Illius ex oculis, quum vult exurere Divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.

V. 5. si quem vult urere Divûm.

Venus. In Hamb. *ignoscet, sed.* Perperam. Propertius II. 28. 33.

> Hoc *tibi vel poterit coniux* ignoscere *Iuno.*

5. QUUM VULT EXURERE DIVOS] Lectio temere mutata. Plautus Bacch. IV. 9. 15. ubi Mnesilochus, comparatus Simoni,

> *Bacchidem habet secum: ille olim habuit ignem, qui signum daret,*
> Haec ipsum exurit.

Sed hic in primis commemorandus est locus Sophoclis de Hippodamia apud Athenaeum XIII. p. 564. A. *Σοφοκλῆς δέ που περὶ τοῦ κάλλους τοῦ Πέλοπος διαλεγομένην ποιήσας τὴν Ἱπποδάμειαν, φησίν·* (Brunck. p. 641.)

> *τοιάνδ᾽ ἐν ὄψει ἴϋγγα θηρατηρίαν*
> *Ἔρωτος, ἀστραπήν τιν᾽ ὀμμάτων, ἔχει·*
> *ἐνθάλπεται μὲν αὐτὸς, ἐξοπτᾷ δέ με,*
> *ἴσον μετρῶν ὀφθαλμὸν, ὥςτε τέκτονος*
> *παρὰ στάθμην ἰδόντος ὀρθοῦται κανών.*

Saepe alii similiter scribunt, ut Propertius II. 30. 29. de Iove:

> *Ut Semela est* combustus, *ut est deperditus Io.*

Appuleius VIII. p. 154. *Quidni? quum flamma saevi Amoris, parva quidem primo vapore delectet, sed fomento consuetudinis exaestuans, immodicis ardoribus* totos comburat homines. Ubi alii legunt *adurat.* Ita Venus apud Horatium I. 27. 15. fratrem Megillae non erubescendis *adurit ignibus.* Sed recte Oudendorpius restituit *comburat;* quod satis firmat locus Propertii. Quamquam huic etiam fuit qui substitueret *ambustus.* Perperam. At auctor Orationis de Harusp. Respons. c. 3. *In Clodium vero non est hodie meum maius odium, quam illo die fuit, quum illum,* ambustum religiosissimis ignibus, *cognovi muliebri ornatu, ex incesto stupro atque ex domo pontificis maximi emissum.* In quo loco explicando ita fere dissentiunt Editores nostri, ut in illo Terentii

Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
Componit furtim subsequiturque Decor.

Grammatici veteres, Eun. I. 2. 5.

Accede ad ignem hunc, *iam calesces plus satis.*

Ubi Donatus: „Potius *ignem* meretricem accipimus, quam *aram Apollinis:* vel quia amator uritur. Ut Virgilius,

At mihi sese offert ultro meus ignis *Amyntas.*"

Aliis in mentem venit *ara Veneris* in atrio meretricis. Plane ita Manutius locum illum Ciceron. refert ad aram Bonae Deae, *Quasi ad sacrificia ita prope accesserit* Clodius, *ut ignibus ambustus videri possit.* Quod recte explosit Wolfius. Et recte Beckius: *Mihi auctor potius innuere* turpem amorem *videtur* — *ita ut ironice dicatur* religiosissimus, *quatenus coniunctus fuit cum religione Bonae deae* etc. Theocritus II. 131.

καί, μετὰ τὰν Κύπριν, τύ με δευτέρα ἐκ πυρὸς εἷλευ,
ὦ γύναι, ἐσκαλέσασα τεὸν ποτὶ τοῦτο μέλαθρον,
αὔτως ἡμίφλεκτον· Ἔρως δ' ἄρα καὶ Λιπαραίου
πολλάκις Ἁφαίστοιο σέλας φλογερώτερον αἴθει.

Animi caussa adscribam locum Appuleii II. Metam. p. 25. ubi Fotis, lepida et dicacula puella, stans ad focum, *Discede,* inquit, *miselle, quam procul* a meo foculo, *discede. Nam si te vel modice* meus igniculus *afflaverit,* ureris *intime: nec ullus* extinguet *ardorem tuum, nisi ego.* — Ed. Brix. *quem* vult *exurere.* Merum scripturae mendum.

6. LAMPADAS] Cod. Lips. Ed. mai. a. 1472. et Reg. Lep. *lampades.*

7. AGIT, QUOQUO — MOVIT] Sic codd. Paris. et Lips. alii. Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Reg. Lep.

Illam quicquid agit quicquid *uestigia mouit.*

Ed. min. a. 1472.

Illam quicquid agit quoquo *uestigia* flectit.

Flectit etiam libri aliquot scripti habent, *quicquid,* quod sciam, nullus. Ur-

Seu solvit crines: fusis decet esse capillis;
Seu compsit: comptis est veneranda comis.

V. 9. fusam — capillos.

sini liber *tendit*. Unus Anglic. *monstrat — motat*. Offenderunt ad mutationem temporis et librarii et Handius ad Gronovii Diatr. p. 196. emendans, *mutat*. Sed nihil mutandum, siquidem in temporis varietate nihil offensionis inest. Vide Tibullum ipsum I. 1. 45. I. 3. 25. Catullus LXIV. 148.

Dicta nihil metuere, *nihil periuria* curant.

8. SUBSEQUITURQUE] Cod. Dresd. *consequiturque*. Hic nos destituit, quod valde dolemus, exemplar Paris. Editionis min. a. 1472. duobus illud defectum foliis, quorum altero continebantur versus huius carminis reliqui 9 — 24, Carmen III. et Carminis IV. dimidium; altero Carmina VII — XII. et undecim versus priores Carminis XIII.

9. FUSIS — CAPILLIS] Voss. 3. *fusam — capillos*. Qua mutatione versus non fit elegantior. Nam inelegantem esse fateor. Post *solvit* consuetudo poetarum exigebat repetitum huius verbi participium, non *fusis*, sicut statim verbo *compsit* subiicitur participium *comptis*. Haec, credo, observatio impulit Muretum, ut in Addendis scriberet: „*Seu solvit*. totus his versus delendus est." Delendus ille quidem non est, at fortasse ita legendus:

Seu fudit *crines*, *fusis decet esse capillis*.

Utcunque sit, hoc mihi concedent multi, non esse admittendam lectionem *fusam - capillos* vel propterea, quod sequitur *comptis comis*, nec fortasse deerunt, qui verbum *solvit* glossam esse verbi *fundit* vel *fudit* mecum existiment. Ed. Rom. prorsus mendose, *carnes: fusit decet etiam capillis*. Conf. Pauli Silent. ep. 54.

10. SEU COMPSIT, COMPTIS] Sic libri nostri, non *comsit*, *comtis*. At Cod. Lips. non nisi haec habet, *Seu compt*. Reliqua absunt. Propertius II. 1. 7.

Urit, seu Tyria voluit procedere palla:
Urit, seu nivea candida veste venit.
Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna est, cui mollia caris
Vellera det succis bis madefacta Tyros,

V. 16. permadefacta.

Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
Gaudet laudatis *ire superba* comis.

11. PROCEDERE PALLA] Unus Anglic. Voss. 5. et Corvin. *praecede: e.* Mendose. Propertius I. 2. 1. *ornato* procedere *capillo*. II. 1. 5. *incedere Cois.* Ubi *conchis* emendat Wyngaard. in Actt. Soc. Trai. T. I. p. 195.

13. AETERNO — VERTUMNUS] Complures libri *aetherio*. Profecto non male. Vide I. 7. 15. Alii *externo*. Ed. princeps *uertunus*. Rom. *Vertimus*. Cod. Paris. *Olimpo*.

14. MILLE HABET — DECENTER] Codd. Paris. unus Anglic. et Hamb. *Mille hunc*. Nonnulli *Mille haec*. Orta haec varietas est e scriptura, quam habet Cod. Lips. *Mille ht.* Voss. 5. *decentus*. Ed. Rom. *decentis*.

16. DET SUCCIS BIS] Paris. *dent*. Unus Vossii *de*. Quod notandum propterea, quod in eadem re eodem modo libri variant apud Ovidium III. Art. Am. 170.

Nec quae bis Tyrio muric e lana rubes.

Ubi plurimi libri habent *de* Tyrio. Quod quidni retineamus? Martialis XIII. 87.

Sanguine de *nostro* tinctas, *ingrate, lacernas*
Induis, et non est hoc satis, esca sumus.

Heinsius ut Martiali, ita Ovidio temere substituit *bis* ad II. Fast. 107. E contrario librarii Guelf. 5. et Monac. Tibullo h. l. substitue-

Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
Cultor odoratae dives Arabs segetis,
Et quascunque niger rubro de litore gemmas
Proximus Eois colligit Indus aquis.

V. 20. equis.

runt *ter*, plane ut supra III. 6. 28. *bis* quinos pro *ter* quinos. Unde Vossius fecit *permadefacta*. Nollem factum. Nam quod Ovidius scripsit XI. 106. *Tyrio* saturata *murice palla*, et Seneca Thyest. 955. *Tyrio* saturas *ostro vestes*, nihil ad rem, siquidem Statius vel sic huic verbo adiecit *bis* IX. Theb. 690.

Ipse bis *Oebalio* saturatam *murice pallam* —

Ergo nihil mutandum est. Pro *succis* Edd. Rom. et Vicent. *sucis*, quod proxime abest ab Heinsii emendatione, reposita a Broukhusio, *fucis*. Vide I. 8. 11. II. 9. 57.

19. RUBRO — GEMMAS] Unus Scalig. *nigro*. Omnes *gemmas*, praeter Witt. et Voss. 5. qui *conchas* habent, propagatum ab Ed. Lips. apud Heynium et Aldd. 1502. — 15. Venett. 1491. 93. *rubor* — *gemma*. Mendose. Statius: „In omnibus veteribus, *Gemmas*.“ Male, ait Heynius. „Nam in mari margaritae, non gemmae leguntur.“ Huic doctrinae recte oblocutus Vossius reposuit *gemmas*, laudans Propert. I. 14. 12. III. 4. 2. Curtium VIII. 9. 59. Gemmas *margaritasque mare litoribus infundit*. Adde Claudianum XXIX. 74.

Cantaber Oceanus vicino litore gemmas
Exspuit.

20. PROXIMUS EOIS — AQUIS] Sic libri omnes, praeter Voss. 5. qui habet, quod Scaliger de coniectura reposuit, *equis*. Haec lectio quam ob rem illi praeferatur, non video. Habeo consentientem Lachmannum, cui vicissim adsentior in hac Propertii lectione IV. 5. 10.

Ustus et Eoa *decolor Indus* aqua.

Hanc vos, Pierides, festis cantate Kalendis,
Et testudinea, Phoebe, superbe lyra.
Hoc solemne sacrum multos celebretur in annos.
Dignior est vestro nulla puella choro.

V. 23. ut sumat.

Nec tamen construam *Ustus decolor*, nec *Eoa aqua sumam* pro *ad Eoam aquam*. Nam quod Strabo scribit, fuisse, qui Aethiopes nigros fieri vi aquarum eius regionis putarent, hoc universe de nautis refert Ovidius I. A. A. 723.

> Candidus *in nauta turpis color:* aequoris unda
> Debet *et a radiis sideris esse* niger.

21. FESTIS CANTATE] Ed. Rom. *vestris*. Cod. Paris. *cantare*.

22. SUPERBE] Ed. princeps, *superba*. Reg. Lep. *supba*. Huic similem versum habemus infra IV. 4. 2.

> *Huc ades*, intonsa, Phoebe, superbe coma.

23. HOC — CELEBRETUR] In veteribus omnibus, ait Statius, *hoc sumet* (pro *celebretur*). Habent illud etiam libri, postea adhibiti, propemodum omnes, in his Paris. Ed. princeps, Venet. 1475. et 1491. 93. At Cod. Lips. *sumet*. Ed. Vicent. *summet*. Perreius adscripsit, *hoc sumat* V. C. Unus Gebhard. *haec sumet*. Cuiac. *haec sumit*. Hinc Scaliger fecit *consummet*. *Consummare sacrum* pro *perficere* posuit, monente Heynio, Seneca Herc. Fur. 1039. *consummare annos* Ovidius V. Tristt. 5. 25. loco haud dissimili:

> *Vivat ametque virum, quoniam sic cogitur, absens,*
> Consummetque *annos*, sed diuturna, *suos*.

Hanc lectionem probans Heinsius, retinuit tamen vulgatam *Consumatque*, quam illustrat ad III. Fastt. 166. ubi rectius legitur,

> *Quae* consummatur *partibus, una dies:*

quam *consumatur*. Videant me acutiores, utrum recte Scaliger rescripserit *consummet*, an rescribere debuerit *consumat*. Nam

consumi dies, nox, tempus Latine et eleganter dicitur. At etiam *sumere*, teste Donato ad Terentium Adelph. V. 3. 68. *hilarem hunc sumamus diem:* quod ille explicat, monente Vossio, *Non accipiamus, sed impendamus et* consumamus. Hanc igitur lectionem reposuit vir eruditissimus, alterum simul *hoc*, contextus caussa, mutans in *ut*, alterum, quod ab initio positum libri habent omnes, in *Haec*. Non placet emendatio primum propterea, quod sic pronomen bis deinceps de eadem persona ponitur, *Hanc* caritate, ut *haec;* deinde quod nullum usquam vestigium deprehenditur scripturae *ut*. Quare, si lectio *sumat* vera est, quod vix putaverim, probabilius sit rescribere:

> Quo *solemne sacrum multos* hoc *sumat in annos.*

Venio ad alteram lectionis propaginem, *hoc fumet*, quam liber Witt. et Anglic. fortasse plures habent, et, *multos* fumabit *in annos*, quod legitur in Colb. et uno Gebhardi. Haec scriptura adhuc nemini placuit, nisi Lachmanno ad Propertium p. 210. emendanti:

> *Hoc sollemne sacrum multos* o fumet *in annos!*

Addit vir doctissimus; „*fumare in multos annos*, quod Heynius bene dici negat, Silius Italicus habet VII. 457.

> *De Iunone Paphos* centum *mihi* fumet in annos.“

Singulare mangonium. Nam in meis exemplaribus versus ita sonat:

> *De Iunone Paphos centum mihi* fumet in aris.

Ergo emendatio illa, quatenus pendet ab auctoritate Silii Italici, vertitur *in cinerem* et — *fumum*. Nec sane video, quo modo sacrum hodiernum, si res per se spectetur, *fumare* possit *multos in annos*. Hoc pro nihilo habendum et derelinquendum est. Superest tertia lectio, *celebretur*, quae est in Witt. 1. libro Ursini, et uno Anglic. (pro quo Palat. sextus habet *celebratur*.) Haec, primum in contextum illata ab Aldo, expressa deinceps est ab Editoribus ferme omnibus, exceptis tamen Douza (a. 1592.), Iosepho Bertella (a. 1750.), Graevio (a. 1680.), qui restituerunt *hoc sumet:* Iansonio Amstel. a. 1640. et

Gabbema a. 1659. quibus placuit *consumet.* Habet sane lectio *celebretur* speciem interpolationis, nec placuit ea Heinsio, qui, parum sibi constans, nunc corrigebat, *Huic — multos* o duret *in annos*, nunc, *Haec — multos* consummet *in annos.* Ego, quum mihi etiam quartam obiiciant lectionem Exceptt. Lips. *hic servet,* quo me vertam dubitans, in contextu retinui lectionem Aldinam, quam Heynius refingendam putabat sic: *multos* celebrate per *annos.* Qua occasione monendum est, nihil inter se differre locutiones *multos* per *annos* et, *multos* in *annos.* Horatius I. Carm. 32. 2. *quod et* hunc in annum *Vivat et plures.* Propertius III. 4. 19.

Ipsa tuam serva prolem, Venus: hoc sit in aevum,
Cernis ab Aenea quod superesse caput.

Alii exempla collegit Wunderlich. Vide Valckenarium ad Theocriti Adon. v. 74. Caeterum ut pentametro 22. similem habemus infra IV. 4. 2. ita hexametro 23. similem habuimus supra I. 7. 63.

At tu, Natalis, multos celebrande *per* annos.

Et poterat auctor utroque illo versu supersedere et deinceps scribere:

Hanc vos, Pierides, festis cantate Kalendis:
Dignior est vestro nulla puella choro.

24. VESTRO — CHORO] Paris. et Lips. cum aliis, Edd. Vicent. Reg. Lep. Venett. 1475. 91. 93. Ald. 1502. *nostro — toro.* Ed. princeps *vestro—toro.* Ald. 1515. *vestro — choro.* Sic tres libri Voss. cum quibusdam aliis.

CARMEN III.

Parce meo juveni, seu quis bona pascua campi,
Seu colis umbrosi devia montis, aper:
Nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes;
Incolumem custos hunc mihi servet Amor.
Sed procul abducit venandi Delia cura.
O pereant silvae, deficiantque canes!

CARMEN III.

Cod. Lips. *Sulpicia ad Cherintum de venatione dimittenda incipit feliciter.* Haec extrema verba absunt ab Edd. 1472. Venet. 1475. Vicent. et Reg. Lep. — Wittianus A. *Epistola: Sulpitia ad Cherintum: de omittenda venatione.*

1. SEU QUIS — CAMPI] Unus Ital. *seu qui.* Cod. Lips. cum aliis habet *campis.*

3. ACUISSE IN PROELIA] Codd. Paris. Lips. alii *in pectore.* Edd. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Brix. Venett. 1491. 93. Aldd. Stat. *in pectora,* ut est in uno Zwic. At primus Scaliger e Cuiac. dedit *in praelia.* Hoc totidem litteris legitur in margine Ed. Gryph. a. 1573. quam in manibus habeo. Sed haec, servato anni numero, repetita est post Scaligeranam, cuius lectiones in margine exhibet. Eiusdem Editionis exemplum in manibus habuit Vossius.

5. VENANDI DELIA CURA]

Quis furor est, quae mens, densos indagine colles
Claudentem, teneras laedere velle manus?
Quidve juvat furtim latebras intrare ferarum?
Candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
Ipsa ego per montes retia torta feram.

V. 7. o! quae mens — saltus.

Scaliger *devia cura* de coniectura edidit. Heinsius *in devia*. Melius idem, *abducit* venanti *Delia* curas. *Venanti* est in Voss. 1. et 4. Sed vulgata praestat.

6. O PEREANT] Unus Italic. *O valeant.* Vide, quae scripsimus ad II. 3. 75. p. 334.

7. QUIS FUROR EST, QUAE MENS — COLLES] Cod. Lips. Et *quid furor est que mens.* Colb. *aut quae mens.* Dresd. duo Witt. tres Voss. *Quis furor o quae mens.* Ovidius III. Amor. 14. 7.

Quis furor est, *quae nocte latent, sub luce fateri?*

III. Art. Am. 172.

Quis furor est *census corpore ferre suo?*

Et sic Tibullus ipse I. 10. 33. — *quae mens.* Virgilius II. Aen. 519. laudante Statio:

Quae mens *tam dira, miserrime coniux,*
Inpulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.

Cicero II. Off. 2. Quae *enim* esset *ista* mens, *vel* quae vita *potius etc.* Dousa corrigebat *demens*, quod temere in contextum intulit Broukhusius. Pro *densos* Lips. et Goth. habent *densa*, omnes sine exceptione *colles.* Vide Weichert. Ep. Crit. p. 84.

11. SED TAMEN, UT]

Ipsa ego velocis quaeram vestigia cervae,
Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi, tunc placeant silvae; sic, lux mea, tecum
Arguar ante ipsas concubuisse plagas.
Tunc veniat licet ad casses, illaesus abibit,
Ne Veneris cupidae gaudia turbet, aper.
Nunc sine me sit nulla Venus; sed lege Dianae,
Caste puer, casta retia tende manu.

V. 15. Tum — tum — si. 20. tange.

Hinc firmatur vetus lectio Ovidii III. Amorr. 14. 4.

Sed tamen, ut *tentes dissimulare, rogat.*

Excerptt. Iureti ibi habent, *Sed tantum tentes*, probante Heinsio. Mentelianus: *Sed tantum ut.*

13. VELOCIS — CERVAE] Vulgo, *cervi.* Sed Codd. Monac. et Bern. *cervae,* quod de coniectura primus reposuit Broukhusius, „ne in pentametro ter resonet τὸ ι, sibilo odioso.“ Rectius cum Heynio dicas, e more poetarum.

15. TUNC — TUNC — SI] Nullus liber nec hoc loco nec versu 17. *Tum* habet. Voss. 2. et 5. *sic,* quod, duce Heinsio, admisit Broukhusius.

18. NE — TURBET] Goth. *nam — turbat.* Lips. *turpet,* sed correctum eadem manu, prorsus ut in Zwic. 1. apud Wunderlichium. Ed. Vicent. *turpet.*

20. RETIA TENDE] Hanc lectionem revocavit Broukh. ex antiquis Edd. HEYN. Atqui Edd. antiquae inde a principe habent *tange,* cum libris plurimis, etiam Lips. pro quo Broukh. malebat *pange,* sed praeferebat *tende,* repositum ab Aldo, confirmatum a Colbert. Dresd. Guelf. 2. Paris. aliis, dissentiente Scaligero, qui re-

Et quaecunque meo furtim subrepet amori,
Incidat in saevas diripienda feras.

V. 21. Aut. 22. et saevis — feris.

stituebat *tange*, rursus eiectum a Dousa a. 1592. cui, paucis exceptis, caeteri obtemperarunt. Supra l. 6. 5. *Iam mihi tenduntur casses.* Vide Passeratium ad Propert. II. 32. 20. Heinsius tamen malebat *pande*, quod cum verbo *tendere* permutatur apud Ovidium IV. Metam. 512. monente Heynio, qui caeteroquin bene observat, *retia* non esse rem sacram, „quam castis et puris manibus *attingere* fas sit." Hoc verbo poeta utuntur, ubi de puella, tamquam re sacra, loquuntur, quam *tangere* sit nefas, ut supra I. 6. 53. Attigeris, *labentur opes.* Propertius II. 34. 9.

Lynceu, tune meam potuisti tangere curam?
Perfide, nonne tuae tunc cecidere manus?

Vide Porsonum ad Phoeniss. 960. Tam ambigue de retibus scripsisse poetam, quis credat? Cedat igitur verbum *tange* probabiliori *tende.*

21. ET — SUBREPET] *Aut* adscripsit Perreius. Habere id etiam Ed. Vicentinam Heynius narrat. Ego ibi legi *Et*, sicut est in Edd. ante Broukh. omnibus; nec id commutaverim cum *Aut.* Paris. et Lips. *Et—subrepit.* Unus Stat. sex Voss. *subrepet*, quod primus admisit Broukhusius.

22. IN SAEVAS — FERAS] Cod. unus Gebh. Goth. et Lips. *et saevis — feris.* Structura *incidat in* nihil offensionis habet. Conf. I. 10. 60. Cicero VIII. ad Famill. 11. incidimus in *difficilem nodum.* Sic centies ille et alii. At Verr. II. 74. *Sane* homini *praeter opinionem improviso* incidi; id est, *oppressi* eum, ut Ernestius interpretatur. Apparet, lectionem Incidat *et saevis feris*, non introducendam esse, sed inducendam.

At tu venandi studium concede parenti,
Et celer in nostros ipse recurre sinus.

24. IPSE RECURRE] Paris. solus habet *saepe recurre*. Voss. 2. *nostro — sinu*. Bern. *nostros — pedes*. Propertius III. 20. 10.

in nostros curre, puella, sinus.

CARMEN IV.

Huc ades et tenerae morbos expelle puellae,
Huc ades, intonsa, Phoebe, superbe coma.
Crede mihi, propera, nec te jam, Phoebe, pigebit
Formosae medicas applicuisse manus.

V. 1. depelle.

CARMEN IV.

Wittianus A. *Epistola: Cherinthi: vel Tibulli potius: ad phoebum pro puella languente.* Ed. princeps et Reg. Lep. *Ad Phoebum pro Cherintho aegrotante.* Cod. Lips. addit, *proque puella.* Similiter alii.

1. HUC ADES ET — EXPELLE] Ed. 1472. Venet. 1475. *Huc ades: tenerae.* Cod. Zwic. 2. Excerptt. Perr. et Colot. Edd. Reg. Lep. et Lips. apud Heyn. *Huc ades: o tenerae.* Santenius ad Balbum p. 1856. „Pro *et* in Tibullo, quod abest a Veneta 1475. habet quidem *o tenerae* MS. Schefferi, aliique, ab Heynio enumerati; sed *et* a tribus meis agnoscitur.“ Vide Vossium, rem confirmantem exemplis I. 7. 49. II. 1. 55. Pro *expelle* unus Broukh. Thuan. et Voss. 5. habent *depelle,* quod sane usitatius est. Caesar VI. de B. G. c. 17. *habent opinionem,* Apollinem morbos depellere. At Horatius tamen II. Epistt. 2. 137. *Expulit—morbum.* Vossius, qui neutrum probat, malit *averte.* Cod. Lips. *expele,* pro *expelle.* Balbus Carm. 67. p. 173.

Ergo veni et *tenero morbos* expelle *poetae.*

3—4. CREDE MIHI —

Effice, ne macies pallentes occupet artus,
Neu notet informis candida membra color.

NEC TE IAM] Hoc distichon subiectum est sequenti in Cod. Lips. Structuram *nec te iam* agnoscunt libri mei omnes. Guelf. 3. Monac. et Voss. 5. *nec iam te;* receptum a Vulpio et Heynio in Edd. a. 1755. et a. 1777. Wunderlichius adscripsit, „quod fortasse praeferendum.“ Nempe putavit ille, nisi fallor, non opus esse pronomine *ὀρθοτονουμένῳ* ante nomen ipsum posito, *Phoebe*, quod adminiculo illo indigere non videtur. Mihi vel constantiae caussa retinenda est altera structura, siquidem supra etiam retinui II. 5. 79.

Haec fuerint olim! Sed tu iam, *mitis Apollo* —

Ubi item Hamb. habet, Sed *iam tu.* Certe ibi non interpungenda sunt verba ita: *Sed* tu, iam *mitis Apollo.* II. 5. 65.

Haec cecinit vates, et te *sibi,* Phoebe, *vocavit.*

In margine Ed. Gryph. 1575. non legitur: *nec enim te,* sed legitur: *neque enim te.* Margo Ed. Reg. Lep. *tam.* Caetera conveniunt his Pindari verbis Pyth. IV. 482. *Χρὴ μαλακὰν χέρα προςβάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφιπολεῖν.*

5. NE—PALLENTES—ARTUS] Margo Ed. Reg. Lep. „f. *tabentes. pollenteis. pullanteis.*“ Ex his *tabentes* ex emendatione Heinsii admisit Broukhusius, non facturus, si animadvertisset, lectionem *pallentes* firmari mendosa voce *pallida* v. 6. quam illa peperit. Lips. Excerptt. cum tribus Italic. *neu.* Perperam.

6. NEU NOTET INFORMIS PALLIDA] Ita hic locus legitur in Ed. principe, caeterisque omnibus, excepta una Rom. a. 1475. ex qua primus omnium Heynius revocavit praeclaram lectionem *candida,* confirmatam nunc libris Askew. et Bern. Broukhusius vocem voci *pallida* similem quaerens, rem acu tetigisse putabat, inventa, qua nihil similius est, *squallida.* Sic decipi ac decipere solent Critici. Propertius I. 5. 16.

Et timor informem *ducet in ore* notam.

Et quodcunque mali est, et quidquid triste timemus,
In pelagus rapidis devehat amnis aquis.
Sancte, veni, tecumque feras, quicunque sopores,
Quicunque et cantus corpora fessa levant.

V. 8. evehat. 9. sapores. 10. levent.

8. RAPIDIS DEVEHAT — AQUIS] Sic Voss. 5. solus. Goth. *vehat*. Lips. *eueat*. Reliqui et scripti et editi *evehat*. Quod Heinsius mutavit in *devehat*, obtemperans, ut par est, consuetudini. Ovidius III. A. A. 386.

Nec Thuscus placida
devehit amnis aqua.

Livius XXV. c. 12. ex carmine Marciano: *multaque millia occisa tua* deferet amnis in pontum magnum *ex terra frugifera*. Supra I. 4. 66.

Dum coelum stellas, dum vehet amnis aquas.

9—10. FERAS — SOPORES — LEVANT] Comelini membranae, Collatt. Colotii et Ed. Rom. 1475. hoc distichon ita exhibent:

Sancte, veni, tecumque feras, quicunque sopore,
Quicunque et cantu *corpora fessa levant.*

Quasi rogandus fuisset Phoebus, ut secum adduceret omnes artis medicae vel magicae peritos. Hoc abiiciendum. Et clare legitur in Witt. A. uno Anglic. quinque Voss. *sopores*, in omnibus reliquis *cantus*. At illud quaeritur, utrum Phoebus rogetur, ut secum ferat *sopores*, an *sapores?* Hoc habent, exceptis iis, quos modo commemoravi, libri omnes, tum scripti tum editi, a quibus tandem discesserunt Broukh. Vulpius, Heynius, Ed. Lips. a. 1812. reponentes *sopores*. Quod mihi etiam praeferendum videtur. Nescio an huc pertineat locus Virgilii VII. Aen. 757.

*Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum
Evaluit, neque eum iuvere in vulnera cantus*
Somniferi, *et Marsis quaesitae montibus herbae.*

Neu juvenem torque, metuit qui fata puellae,
Votaque pro domina vix numeranda facit:

Quo tamen loco ii etiam uti possunt, qui legunt *sapores*, id est, *succos* herbarum, ut interpretatur Cyllenius. Balbus Carm. 67. p. 173.

> *Quique* levent succos *torrida membra geras.*

Vulpius, qui *sopores* interpretatur *ὑπνωτικὰ φάρμακα*, quae somnum concilient, adscripsit locum Sophoclis Phil. 668. (649. Br.)

> *φύλλον τί μοι πάρεστιν, ᾧ μάλιστ᾽ ἀεὶ*
> *κοιμῶ τόδ᾽ ἕλκος, ὥστε πραΰνειν πάνυ.*

Apud Homerum, quem Sophocles sequitur, Glaucus Apollinem ita invocat Il. π. 523.

> *ἀλλὰ σύ πέρ μοι, ἄναξ, τόδε καρτερὸν ἕλκος ἄκεσσαι,*
> *κοίμησον δ᾽ ὀδύνας, δὸς δὲ κράτος, ὄφρ᾽ ἑτάροισιν*
> *κεκλόμενος Λυκίοισιν ἐποτρύνω πολεμίζειν.*

Guelf. 2. nescio an in contextu habet *lepores* pro *sapores.*

10. QUICUNQUE — LEVANT] Unus Gebh. *luent.* Margo Ed. Reg. Lep. „Palatin. prim. *luent.* Sic Eleg. seq. v. 14. *vel mea vincla lue,* legendum coniicit Gebhardus. Sed sic Virgil. (II. Aen. 146.) *arcta* levari Vincla *iubet Priamus.*" Voss. 5. *levent:* quasi res incerta sit, Phoebi cantus corpora fessa levare. Margo Ed. Gryph. 1573. *nostra* pro *fessa.* Horatius Carm. Saec. 63. de Phoebo:

> *Qui salutari* levat *arte* fessos
> *Corporis* artus.

11. NEU IUVENEM TORQUE, METUIT — FATA] Primum hemistichium firmat lectionem receptam supra I. 8. 49. *Neu Marathum torque.* Alterum hemistichium firmare videtur lectionem receptam I. 5. 69.

> *At tu, qui potior nunc es,* mea fata timeto.

Ubi alii *caveto* legunt. Est tamen diversa horum locorum ratio. Monac. *facta puellae.*

Interdum vovet, interdum, quod langueat illa,
Dicit in aeternos aspera verba Deos.
Pone metum, Cerinthe, Deus non laedit amantes.
Tu modo semper ama: salva puella tibi est.

13. INTERDUM VOVET, INTERDUM] Laudi liber et Zwic. 1. *fovet.* Voss. 1, *movet.* Goth. *meret.* Margo Ed. Reg. Lep. „Silius lib. VIII. de Dido. Aenea abeunte.“ Nempe v. 84. illa

litore sedit
Interdum, *stetit* interdum.

14. DICIT — ASPERA] Ed. Rom. *Vicit* — *impia.* Hoc etiam est in uno Gebh. Edd. Brix. et Venett. 1491. 93. translatum huc ex aliis Tibulli locis I. 3. 52. III. 4. 16. III. 5. 14. Notavit Heynius.

15—22. PONE METUM — DUOS] Hic locus memorabilis est partim a consensu veterum exemplarium in agnoscendo eo horum versuum ordine, quem hodieque improbamus, partim a dissensu Heynii et Vossii, quem sequitur Wunderlichius, in referendis iis, quae veteres Editores ad constituendum locum attulerunt. Res ita se habet. Libri scripti, quod sciam, omnes, Edd. a. 1472. maior et, quae nunc iterum in scenam prodit, minor, Rom. Vicent. Corvin. Reg. Lep. Venett. 1487—1500. Aldd. I. a. 1502. et vetus Ed. sine loco et anno, ad Ald. I. expressa, quatuor illa disticha hoc ordine exhibent:

Pone metum
At nunc tota
Phoebe fave
Nil opus est.

Hunc eundem ordinem exprimunt posterioris aevi Edd. Paris. Colin. 1554. Basil. Henricopetr. 1539. Scaligerr. Amstel. Iansson. 1640. Trai. ad Rhen. 1659. Venet. 1750. et sine dubio aliae, quas iam non habeo ad manus.

Sequitur altera Editionum classis, quae receptum hodie ordinem admisit. In

his familiam ducit, recte monente Heynio, frustra negante Vossio, Ald. II. a. 1515. ex qua nunc ipsum deinceps distichorum illorum initia describam:

Pone metum
Nil opus est
At nunc tota
Phoebe fave.

Hunc ab Ald. II. primum expressum ordinem secuti sunt Muretus, Statius, Edd. Antw. 1560. et 1569. Lugdd. Gryph. 1534. 1537. 1542. 1561. 1573. Venet. Scot. 1549. Dous. a. 1592. Passerat. Gebhard. 1621. Cantabrig. Vulp. Heyn. Voss.

Sequitur tertia Editionum classis, quae ducem habet signiferumque Achillem Statium. Hic in contextu posuit lectionem Ald. II. in commentario ita scribit: „Ego vero perturbatum Ordinem versuum puto. Nam et in Marcelli libro, et Vaticano, versus illi: *Nil opus est fletu,* et, *Si quando fuerit,* leguntur post versum, *Corpore servato.* Itaque legendos, et hoc loco puto simul ponendos, *Phoebe, fave: Corpore servato: Iam celeber: Certatim sanctis: Tunc te felicem: Optabunt artes.*" Hanc Statii rationem secutus versus ita ordinavit Broukhusius:

Pone metum
At nunc tota
Nil opus est
Phoebe fave.

Hoc voluisse Statium, negat Vossius, consentientem habens Wunderlichium, qui ita scribit: „Notante H. Vossio, in antiquissimis editionibus, etiam Aldina prima et *secunda* ordo fuit hic: *At nunc — Phoebe — Nil opus.*" Falso. Nam excipiendam esse Aldinam *secundam*, supra demonstravi. „Primus Muretus mutavit hunc ordinem, et ultimum distichon: *Nil opus* — primo loco posuit." Falso. Nam ante Muretum fecit is, qui curavit Aldinam secundam. „Statius — non dixit disertis verbis, distichon: *Nil opus* — ante distichon: *Phoebe* — collocandum esse, quod tradidit falso Broukhusius." Atqui recte hoc tradidit Broukhusius. Nam Statii notatio ita intelligenda est: Ego vero perturbatum Ordinem versuum puto *„in Aldina secunda"*. Nam et in Marcelli libro et Vaticano, *„sicut in reliquis libris et Edd. primis"*, versus illi: *Nil opus est fletu*, et, *Si quando fuerit*, leguntur post versus, *Phoebe fave*, et *Corpore servato.* Itaque legendos (ver-

Nil opus est fletu: lacrimis erit aptius uti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.
At nunc tota tua est; te solum candida secum
Cogitat; et frustra credula turba sedet.
Phoebe, fave, laus magna tibi tribuetur, in uno
Corpore servato restituisse duos.
Jam celeber, jam laetus eris, quum debita reddet
Certatim sanctis laetus uterque focis.

V. 23. quom — reddent.

sus illos: *Nil opus est fletu*, et, *Si quando fuerit* extremo hoc loco) et hoc loco puto simul (id est, una cum illis, coniuncte cum illis, et deinceps) ponendos, *Phoebe fave — Iam celeber — Tunc te felicem.* Hoc volebat Statius, ad cuius coniecturam accurate locum ordinavit Broukhusius, addens: „id quod — praestantissimae quaeque editiones expresserunt." Has equidem Edd. ignoro. Nec mihi discedendum putavi ab ordine Aldinae II. — Multum me in digerenda hac re difficili et perplexa adiuvit diligentia Georgii Klindworthi, viri doctissimi, qui in gratiam meam editiones, quibus nunc careo, denuo excussit et, quamquam hic et illic a me dissentiens, tamen, quid sibi voluerit Statius, egregie perspexit.

15. LAEDIT AMANTES] Guelf. 4. *laesit*. Unus Anglic. et Laudi liber *amantem*.

20. CREDULA — SEDET] Witt. A. unus Stat. duo Anglicc. Bern. *sedula*. Hoc expressit Ed. min. a. 1472. Ed. Rom. *garrula turba*. Pro *sedet* Eborac. *canit*.

22. SERVATO — DUOS] Nonnulli *servatos*. Hamb. *sanato*. Lips. *duo*.

23. IAM CELEBER, IAM

Tunc te felicem dicet pia turba Deorum,
Optabunt artes et sibi quisque tuas.

LAETUS ERIS — REDDET] Voss. 1. *tutus eris.* Sic Cyllenius in Commentario. Bern. *levis.* Huius loci, quem mendosum putabat Heynius, clara et perspicua est sententia, monente Nagelio Actt. Soc. Traiect. T. IV. p. 259. *Iam celebraberis et hac laudum tuarum commemoratione* gaudebis. Laetantur enim Dii laudati ab hominibus, secundum Euripidem Hipp. 8.

τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο.

Homerus Il. *α.* 74. Ovidius II. Tristt. 70—74. Perperam igitur Heynius corrigebat *clarus.* Sed hic vicissim bona observatione evertit v. 24. Broukhusii lectionem *lotus uterque,* pro *laetus* uterque. „*Vota solvimus laeti,* unde in monumentis frequens occurrit V. S. L. M." Ergo sana omnia. Hamb. *reddent.* Infra Carm. V. 13. *vel* serviat *aeque* Vinctus uterque *tibi.*

24. SANCTIS] Ed. min. 1472. *factis.*

25. DICET PIA TURBA DEORUM] Lege *dicent.* ita enim loqui amant optimi scriptores, verbum plurale iungentes cum nomine singulari vel collectivo vel partitivo. BROUKH. Hoc quidem habent Voss. 1. 3. 4. Sed consuetudo repugnat. Scribunt Latini promiscue v. c. *turba ruit* et *turba ruunt.* Non scribunt *ruunt turba,* sed *ruit turba.* Hoc innumeris exemplis utriusque generis scriptorum comprobavit Ahlwardtus in eximio libello, edito Oldenburg. a. 1804. recte expungens lectionem *circumstant,* quam Heinsius e libris quibusdam intulit Ovid. V. Tristt. 6. 41.

Tam me circumstat *densorum* turba *malorum:*

recte item corrigens apud eundem Ib. 596.

Dilaniet *vigilum te quoque* turba *canum.*

pro *Dilanient.* Et accurate ille disputat de loco, qui huic regulae repugnare videatur, Ovid. Fastt. III. 472.

Submisere *oculos* cum duce turba *suos.*

Vide Cortium ad Sallustii Catil. 45. Iug. 101. et dele lectionem Broukhusianam, dicent *pia* turba *deorum*, sicut ego supra ad II. 4. 58. delevi emendationem Bentleianam in Horatio III. 5. 7.

Si non perirent *inmiserabiles*
Captiva proles.

Caeterum nullus liber *Tum* habet pro *Tunc*.

26. TUAS] Guelf. 4. et Ed. Rom. cum Venetis Cyllen. *suas*.

CARMEN V.

Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus,
Atque inter festos semper habendus erit.
Te nascente novum Parcae cecinere puellis
Servitium, et dederunt regna superba tibi.
Uror ego ante alias; juvat hoc, Cerinthe, quod uror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.

V. 6. nobiscum.

CARMEN V.

Wittianus A. *Epistola: Sulpitia ad Cherintum amicum suum.* Alii aliter. Ed. mai. a. 1472. *Ad Cherinthum.* Minor, *Ad Venerem oratio.*

1. QUI MIHI TE] Cod. Lips. *Est qui cherinte dies dedit.* Paris. cum reliquis, *Est qui te, Cherinte.* Ita Edd. ante Scaligerum omnes. Hic locum constituit e libro Cuiaciano, cui consentiunt, quod non monuit Broukhusius, Excerptt. Perreii. Goth. *Set qui te.*

5. PARCAE — PUELLIS] Ed. mai. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. *parce.* Ed. Rom. cum Guarner. *puelle,* id est, *puellae.* Conf. Posidippi ep. VII. 5.

4. DEDERUNT] Sic Edd. Venett. 1491. 93. Aldd. et quatuor libri apud Vossium. Ed. min. 1472. *derant — sibi.*

6. DE NOBIS MUTUUS

Mutuus adsit amor, per te dulcissima furta,
Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.
Magne Geni, cape dona libens, votisque faveto;
Si modo, cum de me cogitat, ille calet.

V. 9. Mane.

IGNIS] Similiter Hirtius de Bell. Alexandr. c. 48. *Cassius Longinus — magnas odii sui fecerat accessiones; quod vel ex conscientia sua, quum* de se mutuo sentire provinciam *crederet, vel multis signis et testimoniis eorum, qui difficulter odia dissimulabant, animadvertere poterat.* Nusquam vestigium deprehendi lectionis Vossianae *nobiscum mutuus*; nec Heynius deprehenderat suae, *de nostro*, vel, *qui nobis.*

7. PER TE — FURTA] Sic nunc Codd. Paris. et Lips. qui supra I. 5. 7. exhibent *parce furtivi foedera lecti.* Edd. a. 1472. Vic. Reg. Lep. cum aliis *te per.* Venetae, Aldd. etc. *tua per.* Paris. *assit.*

9. MAGNE GENI, CAPE DONA] Excerptt. Perreii ab altera versus parte habent *Magne Geni*, ab altera, *Alme Geni*, diversa, sicut videtur, manu. Ex his duabus lectionibus una eligenda est. Nam quod complures libri et Edd. veteres ad Muretum usque expresserunt, *Mane Geni*, non est credibile, auctorem tam lepidi carminis voluisse casce loqui et cum matre Evandri. Hoc merum videtur scripturae mendum. Quantillum enim interest inter *Magne, Alme, Mane?* Quam postremam vocem ipsi non intelligentes librarii porro scripserunt *Mane veni*, ut est in Colbert. et quatuor Statt. Bodl. Thuan. Edd. Rom. et Ald. 1502. Addit Heynius, „quod in Venetis statim mutatum.“ Fortasse in Veneta a. 1487. Nam in Venetis a. 1491. 93. vox desideratur, legiturque simpliciter *Mane cape.* Idem iam ante Scaligerum in Ed. Gryph. a. 1546. ex-

Quod si forte alios jam nunc suspirat amores,
Tunc, precor, infidos, sancte, relinque focos.

V. 11. suspiret. 12. Tum.

aratum invenit *Magne Geni.* Ed. Gryph. a. 1573. qua utor, habet *Mâne Geni*, Ald. 1515. *Mane geni.* Broukhusio placebat *Magne Geni.* „Genius titulo solenni ac proprio *Deus magnus* dicebatur," ut in Lapide Puteolano apud Gruterum p. CX. 7. Heynius praeferebat in Observatt. *Alme Geni.* Bene idem meritus est de hoc loco revocata ex utroque Witt. uno Heinsii, duobus Anglicc. lectione *dona,* cuius interpretamentum est *thura* vel *tura,* ut legitur in Edd. ante Heynianas omnibus. Excerptt. Lips. *vota.* Cod. Heins. *donisque faveto.*

10. CALET] Sic primum edidit Muretus. Confirmant tres Italici, Excerptt. Pocch. et Perr. et Askew. Vulgo *valet.* Scaliger e Cuiac. *volet.* Male.

11. QUOD SI FORTE — SUSPIRAT] Nullus liber, praeter Lips. habet:

Quid? *si forte alios iam nunc suspiret amores.*

Profecto non male. Nec tamen deterius, immo melius, quod offert Voss. 2.

Qui *si forte alios iam nunc suspiret amores.*

De qua lectione dicam ad v. 12. Reliqui habent *Quod si — suspiret,* ut Paris. vel *suspirat.* Vide I. 4. 15.

12. TUNC — SANCTE RELINQUE] *Tum* in nonnullis libris invenisse videtur Vossius. Ed. mai. a. 1472.

Tunc *precor infidos* sacte relique *focos.*

At in quinque Apographh. apud Vossium, et uno Italic. legitur *Tu,* quod de commendatione Heinsii admiserunt Broukhusius, Vulpius, Heynius, qui comparat similem versum II. 5. 64.

Tu *quoque devotos,* Bacche, relinque *lacus.*

Nec tu sis injusta, Venus; vel serviat aeque
Vinctus uterque tibi, vel méa vincla leva:
Sed potius valida teneamur uterque catena,
Nulla queat posthac quam soluisse dies.

Vide, quae scripsimus ad III. 6. 6. et 62. Tamen legendum est *Tunc*, teste Propertio II. 13. 15.

Quae si forte *bonas ad pacem* verterit *aures,*
Possum inimicitias tunc *ego ferre Iovis.*

Hic incidimus in eandem scripturae varietatem, atque illic. Nam etiam apud Propertium complures libri ab initio hexametri habent:

Quod si forte *bonas ad pacem* verterit *aures,*

vel *verteris.* Hoc convenit lectioni receptae apud Tibullum, illud lectioni codicis Voss. 2.

Qui si forte *alios iam nunc* suspiret *amores,*
Tunc, *precor, infidos, sancte, relinque focos.*

13. NEC TU SIS INIUSTA] Cod. Lips. Ed. mai. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Brix. Venett. 1491. 93. Aldd. Stat. aliae, *Nec sis nunc.* Hoc *nunc* inculcatum est ad explendam lacunam, quae est in uno Broukh. et Voss. 1. *Nec sis iniusta Venus.* Ed. min. a. 1472. et Rom. exprimunt veram lectionem, restitutam a Scaligero, quam confirmat etiam Cod. Paris.

Nec tu *sis iniusta, Venus.*

Caeterum notabis insolentiam structurae et varietatem vss. 15. et 15. *serviat uterque* nostrum *tibi* et *teneamur uterque.* Illam nuper bene illustravit G. Klindworthus ad Tibulli Elegiam I. 10. 67. loco Catulli L. 4.

Scribens versiculos uterque nostrum
Ludebat *numero modo hoc modo illoc.*

15 — 16. VALIDA — CATENA, NULLA QUEAT POSTHAC QUAM SOLUISSE DIES] *Posthac* hoc lo-

co libri agnoscunt omnes, scripti et editi. At supra I. 5. 6. tantum non omnes *post haec,* excepta praestantissima Ed. min. a. 1472. quae habet cum paucis manu scriptis *post hac.* Rursus III. 2. 21. omnes *Post haec*, praeter Cod. Dresd. qui *Posthac* ibi solus habet. Haec ita distingui solent, ut *posthac* ad futurum tempus referatur, *post haec* ad proxime praeteritum, quo sensu etiam *post hoc* ponitur apud Horatium II. Epistt. 1. 175. ubi nonnulli libri habent *post haec*, Edd. veteres apud Feam *posthac.* In alia omnia abit Lachmannus ad Propertium I. 15. 13. et II. 15. 25. qui locus in primis hic describi poscit:

> *Atque utinam haerentes sic nos vincire catena*
> *Velles, ut numquam solveret ulla dies.*

Habes distichon Tibulliano simillimum. Sed, „Quemnam alloquitur Propertius? Cynthiam certe, nisi aliena inferre volumus.“ Hactenus bene. Caetera, si discesseris a Paulli Silentarii ep. XXX. quod pace dixerim viri doctissimi, delenda sunt omnia. *Haerentem* non se tantum dicit Propertius, sed Cynthiam quoque, plane ut Petronius cap. 114. *sic cohaerentes* dixit, et vero etiam Tibullus, *valida* teneamur uterque *catena.* Non legendum est cum Guyeto *Cythere* pro *catena*, non cum Burmanno *Vellent* pro *Velles,* neque vero cum Editore *Idalie* pro *ulla dies,* quod vel Tibullus prohibet; immo Homerus, quem imitantur Paullus Silentiarius, Propertius et, honestiore sensu, Tibullus, respicientes *validos* illos Veneris *nodos,* quos Lucretius dicit IV. 1141. *τοὺς κρατεροὺς δεσμοὺς,* quibus Venus constricta fuit cum Marte a Vulcano. Qui quam validi fuerint, narrat Homerus Od. ϑ. 254.

> *ἐν δ᾽ ἔθετ᾽ ἀκμοθέτῳ μέγαν ἄκμονα, κόπτε δὲ δεσμοὺς*
> *ἀῤῥήκτους, ἀλύτους, ὄφρ᾽ ἔμπεδον αὖθι μένοιεν.*

Hoc illud est, quod Propertius scripsit:

> ut *numquam solveret* ulla dies.

Et quidnam praeterea scripsit Propertius? Volebat ille, sicut Mercurius apud Homerum cum Venere, ita ipse cum Cynthia *vinciri catena* indissolubili. Quo sensu, intelligis. Ergo allocutus puellam, quae hoc nolebat, ita scripsit:

Optat idem juvenis, quod nos, sed tectius optat;
Nam pudet haec illum dicere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam Deus omnia sentis,
Adnue; quid refert, clamne palamne roget?

Atque utinam haerentes sic nos vincire catenam
Velles, ut numquam solveret ulla dies.

Nempe scriptum fuit in eo libro, unde reliqui descripti sunt, *catena* pro *catenā*, id est, *catenam*. Hic lineolae transversae interitus transversos egit Criticos, etiam Ruhnkenium. Vide IV. 1. 206. Nec dubito, quin eadem caussa eundem habuerit effectum in Tibullo v. 16. Hunc versum in archetypo exaratum fuisse suspicor ita:

Nulla queat posthac q̄ *soluisse dies.*

vel, q, omissa lineola. Quod sumentes pro *que* librarii, fulcrum adsumpserunt alii aliud. Cod. Paris. *exsoluisse*. Laud. et Voss. 3. *dissoluisse*. Tres Statt. cum aliis, *nos soluisse*. Hoc expresserunt Edd. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. Utramque hanc lectionem in unam confudit librarius Cod. Lips.

Nulla queat post hac nosq; *soluisse dies.*

Voss. 1. *quae*, quartus *qua*. Colb. Askew. Monac. Ed. Rom. 1475. Aldd. *quam*. Haec una est verissima lectio. Supra II. 2. 19. *Vincula*, quae *maneant semper* —.

17. TECTIUS OPTAT] Ita Muretus. Scaliger praetulit Edd. veterum multorumque librorum MSS. lectionem *tutius*, consentientibus, qui postea exorti sunt, editoribus. Tandem Broukhusius e septem libris, quibus accedit Voss. 4. revocavit *tectius*. Paris. et Lips. *tucius*.

18. NAM PUDET HAEC] Perreius adscripsit *Ac* pro *Nam*. Voss. 3. *Non*. Paris. Lips. Voss. 1. et Goth. *hic* pro *haec*. Nihil sanius hoc versu, qui mere est Tibullianus. Vide I. 9. 46.

19. QUONIAM DEUS —

SENTIS] Cod. Lips. *deus quoniam — sentit.* Fuerunt igitur, qui legerent:

At tu, Natalis, quoniam deus *omnia* sentit.

20. QUID REFERT, CLAMVE PALAMVE] Haec late dominatur lectio in libris scriptis et editis ante Muretum. Monac. *clamne palamve.* Quod habet etiam Ed. Venet. 1750. Sic apud Virgilium XI. 126.

Iustitiaene prius mirer, belline laborum?

Parrhas. *belliue.* Sed, quod scribit Bentleius ad Horatium I. Serm. 2. 63. *Ne* encliticum idem hic valet, ac *an:* et aut alterutrum aut utrumque in hac locutione necessarium est. Vide Heusinger. ad Corn. Nep. XI. 3. *Is quum interrogaretur,* utrum *pluris patrem,* matremne, *faceret; matrem, inquit.* Alii, *matremve.* Quod aeque vitiosum videtur, atque, si interroges, quod reprehendit Quintilianus, *hic,* aut *ille sit?* Ergo quum duo libri scripti apud Broukhusium, Askew. Goth. Bern. apud Vossium habeant *clamne palamne,* hoc reposui. Ita Edd. Pulmanni, Gryph. 1575. Dousae 1592. Passerat. Broukh. Vulp. Voss. Wunderl. — Cod. Lips. nisi oculi fallunt, ita:

Anue quodque refert clam ne palam ne roget.

CARMEN VI.

Natalis Juno, sanctos cape turis honores,
  Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi est hodie; tibi se laetissima compsit,
  Staret ut ante tuos conspicienda focos.

CARMEN VI.

Wittianus A. more suo: Epistola: *Poeta ad Iunonem loquitur.* Cod. Lips. *Ad Iunonem commendatio puellae feliciter incipit.* Margo Ed. Reg. Lep. „Est ἀμοιβαῖον alterius. Loquitur non Cherinthus, sed aliquis tertius: est Lena aut Anus.“ Bona verba, quaeso, eruditissime Barthi!

1. NATALIS — HONORES] Ed. Rom. *Natali — acervos.* Et *acervos* quidem omnis habet antiqua Editio, scripti etiam libri, praeter unum Broukhusii, unum item Heinsii, Askew. Voss. 3. Goth. qui *honores* exhibent, praestantissimam lectionem, repositam primum et satis illustratam a Broukhusio. Sic supra I. 7. 53. Vide Passeratium ad Propertii IV. 6. 5.

Costum molle date et blandi mihi turis honores.

5. TOTA TIBI EST — TIBI SE] Sambucus ad Petronium c. 131. *ecquid hodie* totus *venisti?* ex coniectura, inquit, scripsi *lotus:* vulgo *totus.* ita et in Tibullo male est *tota* pro *lota.* — Ita certatim alii emendarunt, Canterus, Dempsterus, Fruterius, Heinsius, eamque emendationem commendat Barthius ad marginem Ed. Reg. Lep. Livineius, *tota*

Illa quidem ornandi caussas tibi, Diva, relegat;
Est tamen, occulte cui placuisse velit.
At tu, sancta, fave, ne nox divellat amantes;
Sed juveni, quaeso, mutua vincla para.

V. 7. ne quid.

tua *est*. Frustra. Cod. Paris. cum Guarn.

Tota tibi est hodie, ter *se laetissima composit*.

5. ORNANDI CAUSSAS] Sic Ed. minor a. 1472. Maior, Reg. Lep. Ald. 1502. *orandi*. Paris. *oranda causas*. Lips.

Illa tibi oranti casus tibi diva relegat.

7. SANCTA, FAVE, NE NOX DIVELLAT] Ita primum Muretus edidit pro eo, quod in libris est compluribus, etiam Paris. Lips. Edd. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. et Aldd. *nos*, idque revocavit Broukhusius, consentientibus Vulpio et Heynio. Perreius Aldinae, quae *nos* habet, adscripsit: „*nox* Pis. *quis*.“ designans, credo, librum quemdam, in quo legebatur vel hoc vel illud. Margo Ed. Reg. Lep. „l. *nox*. Iugam Iunonem orat, quae et Cinxia, Zygia, Domiduca. Non enim Cherinthus loquitur. Vera est haec correctio.“ Hanc lectionem etiam Statius tuebatur, confirmari eam putans illis, quae dicuntur v. 11 — 12. Habent eam Antw. 1569. et Gryph. 1573. (in margine *neu* q: id est, *neu quid*.) His non contentus Scaliger edidit *ne quis*, quod admiserunt deinde alii, ut Dousa, Ianss. 1640. et Venet. 1750. — Excerptt. Colot. *ne quid*, quod primus in contextum intulit Vossius. Pro hac lectione Edd. Rom. Brix. Venett. 1491. 93. cum duobus Anglicc. Wittiano altero, Dresd. Guelff. 1. 4. habent *neue id*. Ex quo satis apparet, in archetypo veram scripturam oblitteratam fuisse, quam alii deinde aliter supplerent. Nulla tamen satis est probabilis lectio, ut visum etiam

Sic bene compones: non ulli est ille puellae

Servire, aut cuiquam dignior illa viro.

V. 9. ut nulli.

Lachmanno ad Propertium I. (9. 19.) 8. 45. qui emendat, *Ne fors divellat amantes.* Sed exspectabam equidem aliud *quid,* quod cavendum erat,

Ne nos divideret.

Apud Propertium II. 7. 3. est *lex* de maritandis ordinibus, apud Tibullum fortasse *rus,* quod, magnum periculum erat, ne divelleret hos amantes, ut statim videbimus Carm. VIII. Sed hoc in medio relinquendum. Mihi adhuc indicanda est lectio, in nullo dum alio reperta libro, in solo servata Lipsiensi:

At tu sancte fave me nos deuelet *amantes.*

Ubi *sancte* et *me* mera sunt scripturae menda. At memorabilis est lectio *develet,* quod verbum, nisi fallor, nusquam legitur, nisi apud Ovidium VI. Metam. 604.

Oraque develat *miserae pudibunda sorori.*

9—10. SIC BENE COMPONES: ULLI NON — VIRO] Duo libri, Voss. 3. et Zwic. 1. *Si.* Duo item, Hamb. et Anglic. unus, *componas.* Perperam. *Sic,* id est, Si mutua vincula parabis iuveni, *non impares formas atque animos sub iuga mittes,* ut de Venere scribit Horatius I. 33. 10. sed *bene compones.* In his nulla plane est difficultas. In illis autem, quae sequuntur, concedimus Vossio, inesse aliquid ἄκυρον. Cod. Lips. et Ed. mai. 1472. habent *ullę.* Ed. Reg. Lep. *ulle: non ille puellae.* Ex *ulle* factum est *uelle* in duobus, Laud. et altero Anglic. mera aberratione pro *ullae,* quod habet etiam Paris. Vossius in extrema huius vocis littera reperisse sibi visus *é,* pro *est,* hoc inde reposuit, quod mihi potius huc transferendum videtur e pentametro, quem Paris. ita exhibet:

Servire, aut cuidam *dignior illa viro* est.

Quo loco *est* habent duo etiam libri Broukhusii, satis incommode. At percommode illud verbum locum suum tuebitur in hexametro, ubi legeris, quod

Nec possit cupidos vigilans deprendere custos,
  Fallendique vias mille ministret Amor.

V. 11. vigilax.

ipsi in mentem venit Vossio, *non ulli* est *ille puellae* —. Hoc vellem in contextum intulisset vir eruditissimus. Nam quod re vera intulit

> Sic *bene compones*, ut *nulli est ille puellae* —

in eo, quod Wunderlichius scribit, neminem assentientem habebit. Iam ἄκυρον illud, de quo antea dixi, inest in structura *ulli non* pro *non ulli*. Cedo unum e sexcentis locis v. c. Catulli, Horatii, Virgilii, Propertii, quo scribatur *ullus non* pro *non ullus*, vel *ullus haud* pro *haud ullus*, et statim ego Tibullum *ulli non* scripsisse profitebor. Nunc nec apud illos, nec apud hunc invenies vel hanc vel similem structuram. Nam quod supra legitur IV. 1. 164. *Ulla nec*, librariis debetur Guyeto similibus. Quae quum ita sint, non dubitavi, lectionem, a Vossio reiectam in commentarium, evehere in contextum, et distichon, sola duarum vocum *non* et *est* traiectione persanatum, ita exhibere:

> *Sic bene compones*: non *ulli* est *ille puellae*
> *Servire, aut cuiquam dignior illa viro.*

Ulli habent libri tres Ursin. Colbert. Guelf. 4. Ed. Rom. Venett. cum comment. Cyllenii, Aldd. Muret. etc. Perreius adscripsit: *vllę* in V. C. *ī ius casu.* Ed. min. a. 1472. *ullae*, quod revocavit Scaliger. Paris. cum aliis v. 10. *cuidam.*

11. VIGILANS DEPRENDERE] *Vigilans* custos respondet *iacenti*, id est, dormienti. Supra II. 1. 75.

> *Hoc duce*, custodes *furtim transgressa* iacentes,
> *Ad iuvenem tenebris sola puella venit.*

Quorsum igitur *vigilax?* quod Broukhusius e coniectura reposuit, firmatum uno Voss. 3. — Voss. 5. *vigilans cupidos.* — Ed. mai. 1472. Vicent. et Reg. Lep. *deprehendere.*

Adnue, purpureaque veni perlucida palla.
  Ter tibi fit libo, ter, Dea casta, mero.
Praecipit en natae mater studiosa, quod optet;
  Illa aliud tacita clam sibi mente rogat.

V. 15. quid.

13. PURPUREAQUE VENI PERLUCIDA] Paris. *purpurea veni.* Hamb. *iuveni pellucida gemma.* Anglic. unus *praelucida.* Ovidius IV. Metam. 313.

Nunc perlucenti *circumdata corpus* amictu.

Seneca II. Controv. 15 adultera *tenui veste* perspicua *sit. Venire* autem *purpurea palla* iubetur hic Iuno, sicut Amor in fragmento Sapphus apud Pollucem X. 124. πρώτην δέ φασι χλαμύδα ὀνομάσαι Σαπφὼ ἐπὶ τοῦ Ἔρωτος εἰποῦσαν· Ἐλθόντ' ἐξ ὀρανῶ πορφυρέαν ἔχοντα προϊέμενον χλαμύν.

14. TER TIBI FIT — CASTA] Paris. Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep. *sic.* Lips. Ed. min. Aldd. Stat. Muretus, alii *sit.* Venett. 1491. 93. *fit,* ut est in libris nonnullis. Margo Ed. Reg. Lep. „Hic versus mendosus est. Cur castam vocat Deam, quam non castas res rogat?" Nondum oblitus est Lenam. Vide supra.

15. PRAECIPIT EN — QUOD OPTET] *Praecipit en*, quod ex emendatione Heinsii reposuerat Broukhusius, unus habet Askew. Reliqui *et.* Guelf. 2. *at* pro varia lectione. Voss. 3. *ait.* Margo Ed. Reg. Lep. *Praecipiat.* Porro Paris. Lips. cum aliis, Ed. min. a. 1472. Venett. 1491. 93. Aldd. etc. *quod optat.* Ita etiam Scalig. Ed. 1582. Eiusdem Ed. 1600. *quod optet,* ut habent duo Statt. Ed. mai. 1472. Vicent. et Reg. Lep. Recte. Lipsii Excerptt. cum uno Heinsii, Askew. Monac. Hamb. *quid optet.*

16. TACITA CLAM SIBI MENTE] Ita ex praeclara Heinsii emendatione primus edidit Broukhusius. Ea plene nunc confirmatur Askew. et Voss. 4. Reliqui libri vel *iam sibi,* quod expresserunt Ed. a. 1472.

Uritur, ut celeres urunt altaria flammae;
Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit.
Sit iuveni grata; ac veniet quum proximus annus,
Hic idem votis iam vetus adsit amor.

Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. vel *iam sua*, ut Paris. Lips. alii, cum Ed. min. 1472. Venett. 1491. 93. Vide I. 5. 65.

19. SIT IUVENI GRATA, AC] Ita Excerptt. Lipsii. Tolerabilis lectio, an vera, dubito. In Paris. deest vox *iuveni*, legiturque, *Sic grata veniet*. In Lips. et Ed. Reg. Lep. *Sic iuveni grata ueniet*. Ed. mai. 1472. et Vicent. *Sic iuveni grata eueniet*. Ed. Brix. et Venett. 1491. 93. Aldd. *Sit — adveniet*. In Florent. Stat. *Sic iuveni grata est?* Ed. min. a. 1472.

Si iuveni grata est, *ueniet cum proximus annus*.

Mihi nec formula *Sit iuveni grata* probatur, nec interposita copula *ac*. Languent omnia. Erigamus sententiam et legamus:

Sic iuveni placeat: *veniet quum proximus annus,*
Hic idem votis iam vetus adsit amor:

vel,

Hic idem ut — *adsit amor*.

Hoc certo magis placebit, quam, quod ex emendatione Heinsii reposuerunt Broukh. Vulpius et Heynius, *Sic iuveni gratis — votis*. Fieri potuit, ut aliquis verbo *placeat* adscriberet *grata sit*, cuius generis glossas saepe adscriptas videmus. De verbo *placere* vide Carm. XIII. 5. Supra I. 10. 29. similiter:

Sic placeam vobis: *alius sit fortis in armis*.

20. HIC — ADSIT] Cod. Lips. *Huc*. Paris. et Hamb. *esset*.

CARMEN VII.

Tandem venit Amor, qualem texisse pudore,
Quam nudasse alicui, sit mihi fama minor:

CARMEN VII. Wittianus A. Epistola: *Gratulatio ad Venerem.* Lips. et Ed. Reg. Lep. *Gratulatio ad Venerem de amoris obtentu.* Haec postrema verba omittit Ed. mai. a. 1472. et Vicent. Ab hoc carmine usque ad versum 12. Carm. XIII. rursus nos destituit Ed. min. a. 1472. Barthius adscripsit: „Hoc epigramma respondet illi quod X. est." Quo numero ille signavit Carm. XI.

1. PUDORE] Cod. Lips. Ed. a. 1472. Rom. Vicent. etc. *pudori.* Ed. Dous. 1592. *pudore,* quod multis libris confirmatur.

2. QUAM — FAMA MINOR] *Quam* habent Edd. veteres sine exceptione omnes, libri etiam Paris. et Lips. alii. Hamb. *Quem.* Complures *Et.* Colb. *Aut.* Scalig. *At.* Pro *minor,* quod exhibent Askew. et Excerptt. Colot. reliqui libri habent *magis.* Illud in contextum intulit Broukhusius. Excerptt. Lips. *prior.* Hoc fortasse e Virgilio huc translatum est a librario dissipato IV. Aen. 322.

Exstinctus pudor *et, qua sola sidera adibam,*
Fama prior.

At unus Broukh. *maior.* Adeo fluctuat huius loci scriptura. Heynius in aliis etiam huius distichi verbis haerebat, primum corrigens *palam* pro *alicui.* Certe dativum hunc raro

Exorata meis illum Cytherea Camenis
Attulit, in nostrum deposuitque sinum.

aut numquam apud huius generis poetas reperies. Laudat quidem Statius Ovidium XIV. Metam. 705.

Et modo de multis alicui *blanditus amicis.*

Sed Heinsius ibi e bonis libris reposuit:

Et modo de multis blanditus cuique *ministris.*

Bona caeteroquin est, quamquam rara, constructio, *nudare* alicui *aliquid.* Livius XLII. 63. Fama *equestris pugnae vulgata per Graeciam* nudavit *voluntates hominum.* Claudianus XXXIII. 212.

Viderat haec dudum summa speculatus ab arce
Iuppiter, ac Veneri *mentis penetralia* nudat.

Sed *nudare* aliquid *palam* nemo dixit. Probabilior est altera Heynii emendatio, *cura* rescribentis pro *fama.* Probabilior quidem, nec tamen certior. Pendet enim a lectione *minor,* quae ipsa satis incerta est. Edd. veteres ita:

Tandem venit Amor, qualem texisse pudori,
Quam nudasse alicui, sit mihi fama magis.

3—4. EXORATA — CYTHEREA CAMENIS ATTULIT] Cod. Paris. *Citharea* (camoenis.) Lips. *cytharea camenis.* Ed. princ. et Reg. Lep. *cytheraea camaenis.* Heynius ita: „*meis Camenis.* Quis locus illis hic esset, miror neminem dubitasse. Cytherea non carminibus, sed precibus ac votis exorari debuit. Et poterat proprie loqui puella:

Exorata meis illum Cythereïa votis."

Hic igitur non meminerat carminis, satis tamen memorabilis, quod Sappho scripsit εἰς Ἀφροδίτην. Ex veteri autem dicto *Amor vocat Musas, Musae ferunt,* adferunt, *Amorem.* Bion Fragm. X.

Μοίσας Ἔρως καλέοι, Μοῖσαι τὸν Ἔρωτα φέροιεν.

Exsolvit promissa Venus; mea gaudia narret,
Dicetur si quis non habuisse suam.
Non ego signatis quidquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo, quam meus, ante, velim:

V. 5. Exolvit. 8. Me — ut.

5. EXSOLVIT] Sic optimi libri Witt. A. et Paris. Reliqui, ut Lips. et Edd. veteres, *Exolvit*.

6. SUAM] In Cuiac. et Guelf. 2. legitur *sua*. Supplet Heynius *gaudia*. Atqui *sua* est pro *suā*, id est, *suam*. Vide supra IV. 5. 15. Ridiculam emendationem adposuit Barthius: l. *salem*.

8. NE LEGAT ID NEMO, QUAM MEUS ANTE] Ita clare legitur in Edd. Vicent. Brix. Venett. 1491. 93. Aldd. A qua lectione parum discedunt libri, qui habent cum Lips.

Me legat id nemo quam meus ante velim.

Paris. *Me legat id venio*. Sic alii. Statius: Posterior versus varie legitur in veteribus. In Sfort. *Nec legat id nemo*. In duobus meis, et Patavino, et Marcell. *Me legat advenio*. — Hoc expresserunt Ed. a. 1472. Venet. 1475. et Reg. Lep. Broukhusius notavit: *Me ut legat id nemo* Perr. Falso. Perreii Excerpta habent, *Me legat ut*. Sed haec non est Perreii manus. Hic eidem loco adscripsit hoc: „duae negationes pro una, ut et Prop. (II. 19. 32.)

Absenti nemo non *nocuisse uelit*.“

In hac haeresi fuerunt, qui a Calpurnio inde ad nostram aetatem Tibullo operam navarunt, Editores omnes, praeter Vossium, qui alteram scripturam revocavit, quam cum Perr.

Excerptt. habent tres Itall. Colbert. Thuan. et Ed. Rom. 1475. *Me legat ut nemo*. Hoc statim arripuit Wunderlichius docens (nescio qua deceptus Forcellini doctrina), negationem talem *cum vi* repetitam alienam videri ab hoc loco, „monente H. Vossio." Atqui nulla magnopere vis inest in structura *ne nemo*, qua utitur Tibullus, et maior est Propertii auctoritas, quam Forcellini. Restituenda igitur Tibullo est vetus lectio, *Ne legat id nemo*, cui, propter insolentiam locutionis, substituerunt librarii, Me *legat* ut *nemo*, memoria tenentes vel locum Propertii I. 17. 13.

> Me legat *assidue posthac neglectus amator:*

vel Ovidii I. Art. Am. 2. ubi quidam libri pro *Me legat* habent *Hoc legat:* quod merito abiecit Heinsius. Illud convenit poetis, qui legi ab omnibus volebant, non Sulpiciae, vel Tibullo, Sulpiciae nomine tabellas mittenti, a solo amatore legendas. Barthius ad oram Ed. Reg. Lep. quae *advenio* habet, locum ita constituebat:

> *Non ego signatis quicquam mandaro tabellis?*
> *Me legat* advenio *quam meus ante velim.*

Frustra. Fuit etiam librarius, qui offenderet ad traiectionem particularum *quam ante* pro *antequam*, rescribens *esse* pro *ante*. Dixi de hac re supra ad I. 3. 9. ubi simul illustravi rariorem structuram apud Propertium *prius — quam ante* e formula Graeca πάρος — πρίν γε vel πρὶν — πρὶν γ' ἢ apud Homerum. Quam comparationem temere factam esse, ut postea vidi, clamabat homo ille ventosus, qui nunc ipsum conviciis me et maledictis publice conscindit, tum vero confidenter pronuntiabat, structuram illam Propertii sensu cassam, immo *insanam* esse, nec comparabilem cum formula Homeri; neminem enim Graecum unquam ἢ πρὶν pro πρὶν ἢ scripsisse, ergo nec Propertium *prius — quam ante*. „*A balneatore critico* φυρμὸς πολύς." Aristophanes Pac. 271.

> *εὖ γ', ὦ πότνια δέσποιν' Ἀθηναία, ποιῶν*
> *ἀπόλωλ' ἐκεῖνος, κᾀν δέοντι τῇ πόλει,*
> *ἢ πρίν γε τὸν μυττωτὸν ἡμῖν ἐγχέαι.*

Sed peccasse juvat; vultus componere famae
Taedet; cum digno digna fuisse ferar.

9. SED—VULTUS] Voss. 1. 2. *Sic.* Lectio prava, reposita a Broukhusio e coniectura Heinsii. Vide III. 6.41. Dresd. *cultus.* Lips. *iustus.*

10. FUISSE] Goth. et Voss. 4. *puella.*

CARMEN VIII.

Invisus natalis adest, qui rure molesto
Et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellae?
Atque Reatino frigidus annus agro?

V. 4. Arretino — Arnus.

CARMEN VIII.

Wittianus A. Epistola: *Conquestio ad Messallam.* Lips. *Ad Mesalam de absentia Cherinti incipit feliciter.* Bene Wunderlichius: Dicit puella, invisum sibi esse natalem suum, si rure et sine Cerintho celebrandus sit, rogatque Messalam, qui eo *abducturus erat* Sulpiciam, ut iam quidem itinere desistat. Vide Carm. IX. Vossius alienam fabulam intulit.

1. RURE MOLESTO] Lips. et Voss. 1. *modesto.*

3. PUELLAE] Sic Edd. veteres, Codd. Paris. et Lips. Ab Aldd. inde editum est *puellis,* ex aliis libris, quos iterum deseruit Broukhusius. Recte. Quomodo enim lectioni *puellis* conveniat versus, qui sequitur? Loquitur de se ipsa puella, ut infra Carm. IX. 1.

4. ATQUE ARETINO — AMNIS AGRO] Est haec lectio in libris fere omnibus, etiam Paris. et Lips. Ed. a. 1472. Aldd. Antw. 1569. *Arretino* habent Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. *Eretino* duo Guelff. 1. 4. Excerptt. Pocch. et Perr. Ed. Rom. 1475. Brix. Venett. 1491. 93. etiam, Heynio teste, Gryph. Meum exemplar a. 1575. habet

Jam, nimium Messala mei studiose, quiescas,
Non tempestivae saepe propinque viae.

V. 6. Nec tempestive.

Aretino. Scaliger *Eretino —annus*. Dousa, *Eretino — amnis*. Cyllenius, qui *Arretino* praescripsit, addit: „emendo textum *Eretino*. Est enim Eretium oppidum non longe a Nomento, Albulas prospectans gelidissimas. Nam non convenit, ut ex urbe puella Arretium commigraret." Bona observatio. Nec tamen inde efficitur, veram esse emendationem *Eretino*. Eadem enim probabilitate ex *Aretino*, transponendis litteris, formari poterat:

Atque Reatino *frigidus amnis agro*.

Sic versus fit rotundior. Et hoc fortasse scripsit auctor, designans Velinum. Sed duo Anglicani et Ed. Brix. 1486. habent *annus*, quod post Scaligerum aliosque Edd. admisit Broukhusius. Haec lectio omnes numeros explet. *Frigidus annus* est *autumnus*. *Autumnum frigus* habet Ovidius III. Metam. 729. Frigidus *amnis* et *annus* confunduntur etiam apud Virgilium VI. 311.

Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat et terris inmittit apricis.

Haec vera est lectio ut apud Virgilium, ita apud Tibullum. Hinc *via non tempestiva*, iter non tempestivum, dicitur v. 6. Non igitur curamus scripturam Cod. Thuan. *Arnus*, profectam ex interpolatione librarii, qui *Aretino* legebat.

5. IAM NIMIUM — QUIESCAS] Haec optime cum superioribus cohaerent, ut prorsus abiiciendum sit commentum librarii, novi carminis initium hic constituentis in Cod. Dresd. cum titulo: *Questio ad Messalam*. Duo Italici *minimum*. Bern. *veni* pro *mei*. Mendose. Iam *quiescas* vel est, *ab itinere desistas*, vel, ut Vulpius explicat, *studio tuo mihi molestus ne fueris*.

6. NON TEMPESTIVAE — VIAE] Paris. et Vindob. *Neu tempestive*. Colbert.

Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
Arbitrio quoniam non sinis esse meo.

V. 8. Arbitrii — licet — mei.

Heu. Unus Broukh. *Nec.* Lips. *Nam tempestive.* Edd. omnes *Non tempestivae.* Pendet sententia a verbis *saepe propinque,* (Ed. Lips. apud Heyn. *propinquo*) in quibus mendum latere suspicor: nisi forte haec locutio defendi possit exemplo Lucani VI. 1.

Postquam castra duces, pugnae *iam mente* propinqui —

ubi Bentleius legit *propinquis Imposuere iugis:* bono sensu, ait Cortius, non vero. Cui adsentior propter Tibullum. Sed in adverbio *saepe* adhuc haereo. Etiam postremam vocem suspeciam reddiderunt librarii. Nam Vatican. Statii *tuae* habet pro *viae.* Unde ille corrigebat *fugae.* Cod. Lips. disertis litteris *die:* quod notandum, non imitandum.

7. HIC — ABDUCTA RELINQUO] *Hic,* id est, Romae, unde invita et coacta discedo, dum Cerinthus hic est, ut recte explicat Vulpius. Nonnulli libri, ut Lips. *His.* Unus librarius Cod. Bodl. scripsit *reliqui,* deceptus participio *abducta.* Cyllenius: „*Abducta:* ab urbe avecta, ubi amator relinquitur." Hactenus bene monet Donatus ad Terentii Ad. III. 3. 4. *Ducimus* enim volentes, sed *abducimus* invitos. Vide Passeratium ad Propert. I. 13. 28. Supra II. 3. 61.

At tibi, dura Ceres, Nemesin quae abducis ab urbe.

8. ARBITRII QUONIAM NON SINIS] *Arbitrii — mei* non nisi unus Italicus habet. Nec ita multi *quoniam,* v. c. unus Stat. Voss. 1. 2. Excerptt. Pocch. Perrei. et Lipsii. Reliqui, ut Paris. et Lips. Ed. princeps etc.

Arbitrio quamvis non sinis esse meo.

Hinc Statius formabat:

Arbitrio quam vis *non* sinit *esse meo.*

Ita tamen ille haec interpretatur, ut *suo* maluisse videatur: quam, inquit, vis *suo* vivere *arbitratu* non sinit, alioque abducit. Posteriores Edd. *quamvis*

retinuerunt, intercedente Heinsio, qui correxit, *Arbitrii quam* rus — *sinit* — *sui*, et Broukhusio, qui edidit:

Arbitrii quoniam *non sinis esse* mei.

Hoc admiserunt Vulpius, Heynius, alii. Iam sive hos sequaris, sive cum Vossio legas *non licet*, quod nullus liber hoc loco habet, cadit in hunc versum, quod Wunderlichius scribit, Quomodo quaeso haec ultima cum antecedentibus cohaerent? „Dubitanter dico, sed verum fortasse est *sinit*, h. sens. quoniam Cerinthus me non sinit esse arbitrii mei, h. e. quoniam ita teneor cogitatione Cerinthi, ut mei non sim arbitrii." Sed hic errare videtur. Illud vere mihi videor affirmare, Tibullum non scripsisse *Arbitrii*, siquidem hoc unicum foret in his carminibus exemplum duplicis *i* in Genitivo substantivi exeuntis in *ium* vel *ius*. Vide Carm. X. v. 4. Duo similia hemistichia reperio apud Propertium II. 22. 38.

non sinit esse locum.

II. 23. 16.

nec sinit esse moram.

CARMEN IX.

Scis, iter ex animo sublatum triste puellae?
Natali Romae jam licet esse meo.

V. 2. nos sinet — suo.

CARMEN IX.

Mirum in modum variat inscriptio huius Carminis in libris. Wittianus A. Epistola: *Advocatum de natali die.* Legendum saltem, *Ad Vocatum.* Nam Corvin. habet *Ad Voratum* — Mendosum est utrumque nomen, et ridicule fictum. Duo Broukhuss. *Ad Theoratum* — Paris. *Ad Thoratum de natali die.* Lips. Ed. princeps et Reg. Lep. *Ad Tostratum.* Unus *ad Thestratum* vel *Theostratum.* Perreius notavit: *cum superiori in V. C.* Ita est in Vindob. Zwic. 1. et Ed. Vicent. Male. Unus Broukhusii chartaceus: *Ad Cerinthum de natali die suo.* Hoc verum. Contigerat puellae praeter exspectationem suam et Cerinthi, ut diem natalem in urbe posset agere. Vossius inscripsit, *Tibullus ad Cerinthum.*

1. SCIS — PUELLAE] Recte signum interrogationis adposuit Vossius. Est autem *puellae* positum pro *mihi*, ut Carm. VIII. 5. *an villa sit apta puellae?* Sensus est: Scisne tristitiam itineris, (de itinere faciendo susceptam) sublatam esse ex animo *meo?* Ergo puella scribit ad Cerinthum.

2. IAM LICET ESSE TUO] Ita Scaliger edidit e Cuiac. et Var. Lect. Wallii, eandemque lectionem, quam habent etiam Excerptt.

Perreii, iam ante Scaligerum notatam esse a Pulmanno narrat Vossius, confundens Ed. Plantin. 1569. cum Ed. Gryph. 1573. quae cum illa in contextu habet *non sinit esse suo,* in margine sola habet *iam licet,* translatum tamen huc ex Ed. Scaliger. Nam annum 1573. titulus mentitur aperte: sicut Plant. mentitur annum 1569. Aperte, inquam. Nam Scaligeri nomen profitetur utriusque Editionis praefatio. Corruptelam autem contraxit hoc hemistichium ex hemistichio extremo Carminis IX. Nam etiam hoc loco multi scripserunt vel *non sinit esse,* ut Lips. et Edd. veteres, vel *non sinet esse,* ut Paris. alii. Duo Italici *non sinere;* duo item *nunc sinit.* Hoc praetulit Heynius. Broukhusius et Vulpius, *iam sinis esse.* Vossius e Corvin. Guelf. 3. et Monac. *nos sinet esse.* Hoc quid sit, non intelligo. Quomodo *sinet,* patietur, Sulpicia, in urbe esse amicos, qui in urbe erant? quibuscum natalem suum Romae celebrare vel maxime cupiebat? Hoc sensu, inquit: veniet illa Romam, ut natalem suum una nobiscum Romae celebret. Hoc est optare, non interpretari. Nec Sulpicia ruri tum vivebat, sed in urbe. Quisnam vero *sinit?* Haud dubie Messala, ait Wunderlichius, qui ita edidit. At idem sinet Messala, si legeris vel *iam licet* vel *nunc licet.* Alterutrum igitur adsumendum est, quum nullo modo sit credibile, eandem formulam bis deinceps positam esse a poeta, idem repetitum hemistichium:

non sinis esse meo.
nos sinit esse tuo.

At illud est non solum credibile, verum etiam probabile, factam hic esse confusionem a librariis, dubitantibus etiam, de cuiusnam natali die nunc agatur. Qui *tuo* scribebant, ut est in Paris. Lips. aliis, in Ed. princ. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. intellexisse putandi sunt vel Messalae vel Cerinthi diem, carmen scriptum esse fingentes ab alio sive ad hunc sive ad illum, prout vel *sinis* legerent vel *sinit.* E contrario qui *suo* scribebant, quod habet v. c. Scaligeri liber, Edd. Brix. Venett. 1491. 95. Aldd. et Plantin. 1569. de Sulpiciae die natali cogitasse videntur, cumque iidem Editores simul scripserint, *non sinit esse suo,* hunc sensum intulerunt, *non sinit* Messala, Sulpiciam *esse*

Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
Qui nec opinanti nunc tibi forte venit.

V. 3. genialis. 4. candidus, ecce.

natali *suo* Romae. Hoc prorsus repugnat hexametro. Mihi nec poeta placet alienus, de improviso in scenam productus, neque vero dies natalis, diversus ab illo, de quo agitur Carm. VIII. nec dubito, quin utrumque carmen scripsisse fingatur Sulpicia ipsa ad Cerinthum, altero querens de itinere suscipiendo, altero exsultans, sublatam ex animo esse itineris tristitiam. Ergo in pronomine *tuo* vel *suo* mendum haerebit, illatum ab iis, qui vocem *puellae* a puella de semet ipsa positam esse non intelligerent, quod tamen supra iam Carm. VIII. 3. factum vidimus, atque adeo legendum erit vel *iam sinit esse tuae*, quam postremam scripturam habet liber Scaligeri, vel, quod mihi magis placet,

Natali Romae iam licet *esse* meo.

3. OMNIBUS — DIES — NATALIS] Languet versus, inprimis in *Omnibus*. Sententia esse debet: laetius et hilarius nunc, quam ante, diem celebratum iri. HEYN. Probabiliter ille. Nec tamen melius quid attulit, quod lubenter adsumerem. Lectio sine dubio mendosa est, orta inde, quod, quum veram nominis *puellae* vim non caperent librarii et interpretes, carmen scriptum esse fingebant vel a Tibullo ad Messalam, vel ab assecla quodam Sulpicii aut Messalae ad alterum, nuntiante, (ut Heynii verbis utar) „Sulpiciam, itinere sublato, Romae mansuram, adeoque contingere hoc, ut natalis hilariter celebrari possit *ab omnibus*, nemine ruri absente." Hi igitur *Omnes* coenae dubiae inhiabant, *Thestratus* scilicet et *Theostratus* et *Vocatus* et ominosus iste *Voratus*, quibus dies Sulpiciae *natalis* haberi merito putabatur *genialis*, quam lectionem Vossius e margine Ed. Vicentinae intulit in contextum, lepidae illi fabulae convenienter. Nos hanc lectionem rursus e contextu relegemus in marginem et retineamus etiam *Omnibus*, donec, quod substitui

possit, aliquid aliquando reperiatur probabilius, quod *Protinus* adscriberem, si Oedipus essem. Iuvenalis IV. 66.

genialis agatur
Iste dies, *propera stomachum laxare saginis,*
Et tua servatum consume in saecula rhombum.

Nomina illa ridicula *Tostratum, Theostratum, Thestratum* corrupta esse ex voce *Tetrastichon* — Tetrastichum — ingeniosa est Heynii coniectura. Sic Carm. XIV. in Witt. A. et Guarn. inscribitur *Tetrasticon*, in uno Broukh. *Tetrasticum.*

4. NEC OPINANTI—FORTE VENIT] Quaerit Barthius, „Sed quid illud, *nec opinanti?*" Nempe optaverat quidem, sed non speraverat Cerinthus, fore, ut dies Sulpiciae natalis in urbe ageretur. Ergo illi *nec opinanti — forte* venit, ut est in Codd. Paris. Lips. Edd. Venett. 1491. 95. Aldd. Pro quo Pocchi et Perr. Excerptt. cum multis libris, Ed. princ. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. et Venett. *sorte* habent. Perperam. Unus Anglic. et Voss. 1. *forme.* Nullus *iam tibi*, quod Heynius post Vulpium dedit. Voss. 5. *nec tibi.* Cod. Heins. ut ipse notavit ad Ed. Ald. *favet* pro *venit.* Reliquus est liber Ursini, qui offert, *candidus usque venit.* Mera interpolatio, recepta a Vossio, qui *ecce* substituit. Orator de Haruspp. Responsis c. 26. *nisi forte existimatis, hanc tantam colluvionem illi tantamque eversionem civitatis* in mentem subito *in rostris* nec cogitanti venire *potuisse.*

CARMEN X.

Gratum est, securus multum quod jam tibi de me
Promittis, subito ne male inepta cadam.

V. 2. Promittas.

CARMEN X.

Wittianus A. Epistola: *ad Cherintum de Sulpitia.* Lips. perperam, *Ad Sulpiciam cuius amore tenebatur.* Edd. veteres, *De Sulpitia.*

1. SECURUS MULTUM QUOD — TIBI — PROMITTIS] Paris. et Lips. cum aliis *securus,* cui lectioni, nescio, quo sensu, Edd. veteres substituerunt *securis,* nec tamen, quod Broukhusius narrat, Cyllenius. Hic enim in commentario habet *securus,* sicut est etiam in contextu Venett. 1491. 93. Forsitan in Venet. 1487. est *securis,* quod legitur quoque in libris nonnullis. Unus Anglic. *quid* pro *quod.* Unus item *tibi.* Reliqui propemodum omnes, editi quidem ante Broukhusium sine exceptione habent *mihi,* et ad hanc lectionem accommodate *Permittis.* Hoc Cod. Paris. habet, nisi fallor, solus. At *tibi* legitur etiam in Voss. 1. 4. Hamb. Vindob. Hinc satis confirmatur egregia Heinsii emendatio, *quod iam* tibi *de me* Promittis. Cicero ad Famill. III. 10. De me *tibi sic, contestans omnes deos,* promitto *atque confirmo, me* etc. Horatius I. Sermm. 4. 102.

> *si quid* promittere de me
> *Possum aliud, vere promitto.*

Pro *de me* unus Broukh. *crede,* quod habere videtur etiam Bern. Nam scripturae mendum, nisi fallor,

Si tibi cura toga est potior, pressumque quasillo
Scortum, quam Servi filia Sulpicia:

est, quod Vossius dedit, et Wunderlich. repetivit *tride*. Cod. Lips. *Pernutas*. Unus Anglic. *Permutas;* utrumque pro *Permitas*, id est, *Permittas*, quod alii habent multi. Dresd. *Promittas*. At Voss. 2. 4. 5. et Vindob. *Promittis*. quod retinendum. Commode Statius adposuit Martial. VII. 52.

> Gratum est, quod *Celeri nostros* legis, *Aucte, libellos*.

2. NE MALE INEPTA CADAM] Haec pendent a voce *securus* multum, id est, *plane non veritus; ne* etc. Cicero II. ad Q. Fratr. 4. *Illud, quod tibi saepe curae esse intellexeram, ne cui iniquo relinqueremus vituperandi locum.* Liber Sfortiae *nec.* Porro Voss. 5. Zwic. 2. et Ed. Lips. apud Heyn. *mala inepta.* Idem accidit loco Catulli, quem laudat Statius, X. 33.

> *Sed tu* insulsa male *et* molesta *vivis.*

Quae sanissima est lectio, omnibus, quos viderim, libris confirmata. At, inquit Handius (Observatt. Critt. p. 57.) Edd. Vicent. Brix. Venett. et Guarin. habent:

> *Sed tu insulsa,* mala *et molesta vivis.*

Audio et addo Reg. Lep. Nec tamen hoc revocandum, quod viro docto videbatur, sed illud. Nec, si *male* revocetur, cum Is. Vossio legendum *vivas. Male* enim pertinet ad *insulsa* pariter ac *molesta*, et est pro *nimis insulsa, nimis molesta.* Recte igitur Ed. princeps exprimit *male* et *molesta* vivis. Nam „etsi *Male* non raro minuat et tollat significationem vocabuli adiuncti, ut *male sanus, male fidus*, perinde est ac *insanus, infidus:* interdum tamen auget eam atque intendit, praesertim apud Horatium, ut Carm. I. 17. 25. *male dispari.* Sermon. I. 3. 45. *male parvus.* I. 4. 66. *rauci male.* I. 9. 65. *male salsus.*" Quae est Bentleii observatio ad III. 14. 11. Sic apud Tibullum *male inepta* est *nimis, valde inepta.*

3. SI TIBI CURA TOGA EST] Sic ex emendatione

Heinsii Broukhusius edidit. *Si* est in Guelf. 3. Quinque libri apud Voss. *Si tibi cura togae potior.* Hoc proxime abest a lectione, quam codd. reliqui, Paris. Lips. Ed. princeps, etcc. habent:

Sit tibi cura togae potior —

vel *pocior.* Ordo autem est, ait Statius: *Sit tibi togatae potior cura, sit potius scortum quasillo pressum* etc. Quod quum non bene cohaereat cum subsequentibus, vera habenda est emendatio Heinsii, cui suffragatur codex Askew. Vera autem vel hanc ob caussam, quod confirmatur loco simillimo, quem vicissim confirmat, II. 3. 31.

Fabula nunc ille est; sed cui *sua* cura puella est,
Fabula sit mavult, quam sine amore Deus.

Voci *togę* in margine Ed. mai. a. 1472. quae servatur in bibliotheca Academ. Argentorat. antiqua manu adscriptum legitur scholion hoc: „togati Scorti adulterae. nā togata ꝑ Scorto accipī.“ Similiter Cyllenius.

4. SERVI FILIA SULPICIA] Miror nusquam legi *Sulpicii.* HEYN. Miror ego potius, hanc annotationem excidisse Heynio. „Primus ex Poetis qui hodie extant Propertius bis vel ter, Ovidius saepissime, et post eum alii omnes geminum *i* usurpant. Sub Augusti scilicet senescentis aetate mutatio ista facta est.“ Verba sunt Bentleii ad Terentii And. II. 1. 20. Propertius III. 3. 9.

Victricesque moras Fabii.

III. 11. 47.

Quid nunc Tarquinii *fractas iuvat esse secures.*

E contrario Horatius I. Carm. 12. 34.

Pompili *regnum memorem, an superbos*
Tarquini *fasces, dubito, an Catonis*
Nobile letum.

Ubi ne illud quidem ferendum, quod Bentleius edidit, nec Fea abiecit, *Pompilî, Tarquinî.* Neque enim per contractionem haec fiunt, sed per veteris linguae consuetudinem. Recte autem monet Wolfius ad Inscript. tabulae Placentinae p. 35. ex adiectivo *Tarquinius* veteres non formasse *Tarquini*, sed *Tarquinii*, ut v. c. *egregii.* Egregie igitur fallitur vir doctus, qui huic regulae

Solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est,

Ne cedam ignoto maxima cura toro.

V. 6. Nec.

opponit exemplum Horatii I. Carm. 6. 2. Maeonii *carminis alite;* atque adeo Virgilii III. Aen. 399. Narycii *posuerunt moenia Locri*, sumens pro genitivo nominativum, et omnes scriptorum aetates confundens, *Classic. Journal* No. XXIII. p. 19. *Sulpicii* scripsisset Tibullus, si hoc nomine pro adiectivo usus esset, sicut Horatius IV. 12. 18. *Sulpiciis horreis.* Nunc sermo est de *Servi Sulpici* filia *Sulpicia.* Caeterum Propertius non *bis* vel *ter*, sed pluries geminum *i* usurpavit, si ultra nomina propria progrediaris. Graviora quaedam de Bentleii animadversione, quae ne cognita quidem fuit *Classico Censori*, leguntur in Anall. Litt. T. I. P. I. p. 61.

5—6. SOLLICITI SUNT — DOLORI EST, NE CEDAM — CURA] Haec si vera est lectio, vera etiam constructio esse videatur haec: *Solliciti sunt* nonnulli, *ne cedam.* Plane ut supra v. 1 — 2. *securus* multum, *ne cadam.* Terentius Ad. I. 1. 11.

Quibus nunc sollicitor *rebus*, ne *aut ille alserit,*
Aut uspiam ceciderit.

Iustinus II. 7. Sollicitus *igitur Solon*, ne *aut tacendo parum reipublicae consuleret, aut censendo, sibi, subitam dementiam simulat.* Formula, *sollicitum esse* pro *aliquo*, utitur etiam Appuleius V. Metam. p. 99. *At hic iam tua est existimatio, utrum* sororibus pro tua salute sollicitis *adsentiri velis — an saevissimae bestiae sepeliri visceribus.* Iam verba interposita, *quibus dolori est*, non referenda sunt ad pronomen *nobis*, id est, ad Sulpiciam, sed ad *Sollicitos* illos, qui sine hoc additamento, sic nude positi, valde frigerent. Plane ita scribit Orator de Haruspp. Responss. c. 18. §. 58. *hominibus iniuria tui stupri*, illata in ipsos, *dolori non fuit.* Enimvero in libris quam plurimis, ut Paris. et Lips. in editis etiam ante

Scaligerum omnibus, versus minor ita legitur:

> Nec credam *ignoto maxima* causa *toro:*

nisi quod Cyllenius in Commentario habet Scalig. lectionem, *Ne credam.* Sed *credam* commode explicari nequit. *Ne* est in octo libris apud Vossium: *cedam*, quod Statius coniectura assecutus erat, in Corvin. Guelf. 4. Monac. Voss. 3. — *Ne cedam ignoto toro* quid sit, optime intellexit amicus, nescio quis, Heynii, explicans: *Ne tibi, obscuro homini, nubam.* Dicunt Latini *cedere* v. c. *praedae*, ut *cedere in praedam.* Livius XLIII. 19. praedae *alia militum* cessere. Haec rarior verbi constructio fraudi fuit librariis. At illud merito dubium visum est, utrum legendum sit *cura*, quod habent Voss. 1. 4. Monac. Hamb. et Askew. Edd. Aldd. Plant. 1569. Gryph. 1573. Dous. etc. an, quod alii, obtemperantes Scaligero, ut Iansson. 1643. Bertella 1750. praetulerunt, *caussa.* Mihi, si res per se spectetur, haec lectio longe praeferenda videtur illi. Quis enim in tam brevi carmine vocem *cura* bis deinceps, atque adeo post *securus*, positam esse ab auctore tibi persuadeat? Ergo verba *maxima caussa*, si forte, per appositionem, quam dicunt, ita subiiciuntur pronomini *illa*, ut magis ab his, quam ab illis *Solliciti sunt*, pendeant *Ne cedam.* Certe lectionem *maxima caussa* facile tuearis exemplo Propertii I. 16. 35. ad ianuam:

> *Sed tu sola mei tu* maxima caussa *doloris.*

Ib. II. 19. 10.

> *Fanaque peccatis* plurima caussa *tuis.*

Et hanc ego lectionem in contextum intulissem, nisi me cohibuisset oppositio, quam animadvertisse mihi videor inter *maximam curam*, qua Sulpicia, et *curam* illam, qua *togata* puella v. 3. designatur. Laudant viri docti Horatium II. Carmm. 8. 8. ubi Barine dicitur *iuvenum* publica cura; et Virgilium IV. Georgg. 354. ubi Aristaeus *Cyrenes* maxima cura. Similiter Ticida apud Suetonium Grammatt. c. 11.

> *Lydia doctorum* maxima cura *liber.*

Vide, quae annotavimus supra ad II. 3. 31. In cod. Lips. omisso verbo *est*, ita versus 5. legitur:

> Solicitis *sunt pro nobis quibus illa dolori.*

Catullus XCVI. 5.

Certe non tanto mors immatura dolori est
Quinctiliae, quantum gaudet amore tuo.

Ista tamen verbi substantivi omissio et insolens vocis *cura* repetitio me ad aliam deduxit huius loci emendationem, conformatam ad exemplum Propertii I. 16. 31. quam nunc aliis eruendam relinquo. Goth. *iura* habet pro *cura*. Barthius adscripsit: Hoc distichon respondet prioribus duobus. L. *sint* pro *sunt*. L. *Nè* pro *nec* credam. Porro idem: Illustravi hoc Epigr. Tom. 2. Adversar. sub nomine Virgilii, sed haec non adhibui.

CARMEN XI.

Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae,
Dum mea nunc vexat corpora fessa calor?
Ah ego non aliter tristes evincere morbos
Optarim, quam te si quoque velle putem.

V. 2. Quod.

CARMEN XI.

Wittianus A. Epistola: *ad Cherinthum.* Reliqui simpliciter: *ad Cherinthum.*

1. PIA CURA PUELLAE] Haec lectio non nisi in Voss. 4. et in uno exstat libro Ursini, unde eam primus admisit Broukhusius. Cod. Lips. Ed. princeps, Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. *placitura.* Cod. Paris. Edd. Rom. Venett. Aldd. *placiture.* Vide II. 5. 55. Quinque Italici interpolati:

Morsne tibi, Cherinthe, tuae placitura puellae.

Ovidius Epist. VIII. 15.

At tu, cura mei *si te* pia *tangit, Oreste.*

2. DUM MEA — CALOR] Lips. *Qui me.* Paris. et Edd. ante Broukhusium omnes, *Qui mea.* Dresd. Monac. Hamb. Askew. Voss. 2. 5. et margo Ed. Gryph. 1573. *Quod.* At Voss. 1. habet *Quum.* Hoc proxime abest ab emendatione Heinsii *Dum,* quam recepit Broukhusius. Recte. Lips. et Monac. *color.*

4. OPTARIM — SI] Lips. *Optaurim.* Colb. *Optarem.* Multi *sic,* quod ex editis libris primus eiecit Scaliger, reponens *si.* Hoc habent Paris. Bern. et Askew.

Nam mihi quid prosit morbos evincere, si tu
Nostra potes lento pectore ferre mala?

V. 5. quom tu.

5. NAM MIHI — PROSIT — UBI TU] Lectio haec, ex aliqua parte incertae adhuc originis, probata Broukhusio, post hunc recepta est ab Heynio et Vulpio. Ab initio Paris. Lips. Guelff. Edd. veteres ante Aldd. habent *Ah mihi.* Unus Broukh. *Ha.* Statt. omnes *A.* Aldd. Muret. Plantin. 1569. Basil. 1569. Gryph. 1573. Dous. 1592. Gebhard. 1621. *Nam mihi.* Hoc legitur in duobus libris Broukh. et Voss. 2. Scaliger interea revocaverat priorem lectionem. Nostri, ait, codices, *Ah mihi:* idque post eum admiserunt Iansson. 1640. Bertella 1750. et sine dubio alii. Cuiac. teste Broukhusio, et unus Anglic. *At.* Barthius adscripsit: Vulg. *Nunc.* Hoc nusquam reperio. Praestat *Nam.* Paris. Voss. 3. Ed. Rom. 1475. *prodest.* Monac. *quodprosit.* Venio ad lectionem *ubi tu,* receptam a Broukhusio, cui Heynius adscripsit suum „nescio unde." Nec Vossius originem eius indagare potuit. Hic primum eam commemoratam vidit apud Passeratium 1608. Editor Cantabrig. in posterioris aevi exemplaribus. Scilicet auctor huius emendationis est Scaliger, qui, ut satis constat, diversis temporibus diversas curavit editiones. Hic igitur in Edd. a. 1577. et a. 1582. postquam praefixit *Quid tu,* ut legitur in codd. Paris. Lips. aliis, Edd. ante Scaligerum omnibus, Corruptus, inquit, locus. Nam legendum, *ubi tu.* Atque ita et ipse tum edidit et statim post illum Passeratius et Dousa. Enimvero in Edd. a. 1600. et 1607. postquam iterum praefixit *Quid tu*, Corruptus, inquit, locus. Nam legendum *quod tu.* Atque hoc et ipse tum reposuit et post eum Iansson. et Bertella. Graevius a. 1680. res dissociabiles inter se conciliare conatus ex priore recensione in ordinem recepit *ubi tu,* ex posteriore notulam adposuit: Corruptus locus. Nam legendum *quod tu.* Legitur ita in Witt. A. et duobus Apographis apud

Voss. Sed lectio haec ipsa corrupta est. Heins. *quam tu*. Ursin. *nam tu*. Unice probandum, quod habent quatuor libri apud Broukh. Guelf. 2. Lipsii et Perr. Excerptt. *si tu*. At, inquit, haec lectio non probanda, quia *si* praecessit. Quid? Nonne etiam praecessit formula *morbos evincere?* Nempe totum hoc distichon quaedam quasi est ἀνακεφαλαίωσις et elegans conversio praecedentis. Ergo vel propterea reponendum erat *si tu*. Haec lectio iam nota fuit Statio. Scribit enim: *Quid tu: sic* in veteribus omnibus, non, *Si tu*.

6. LAETO PECTORE] Sic libri editi ante Scaligerum omnes, scripti etiam, ut Paris. et Lips. *lecto* Bern. Mendosissime Hamb. *putes lateo corpore*. Etiam codex Dat. habet *corpore*, monente Heinsio ad Ald. 1515. At Askew. *lento*, sicut egregie emendaverat Scaliger. Propertius I. 15. 4.

Tu tamen in nostro
lenta *timore venis*.

CARMEN XII.

Ne tibi sim, mea lux, aeque jam fervida cura,
Ac videor paucos ante fuisse dies:

V. 2. Ut.

CARMEN XII.

Carmen hoc nullam habet inscriptionem neque in codice Wittiano A. neque in alio libro sive scripto sive edito. Est enim annexum superiori in omnibus, praeter Voss. 4. nec separatim editum ante Scaligerum. Nota Codicis Paris. „*Habentur hi tres versus supra* eodem libro *circha medium* epistola: Si mihi difficile est, *in fine* epistolae.“ Vide, quae annotavimus ad initium libri tertii p. 423.

1. NE TIBI SIM — IAM FERVIDA] Cod. Paris. supra habet, *Nec tibi sit*, hoc loco, nisi fallor, *Nec tibi sim*. Cod. Lips. utroque loco, *Nec tibi sit*. Ed. mai. 1472. Vicent. Venett. 1491. 93. Aldd. utroque loco *Ne tibi sit*. (Falso Heynius: *Nec sit* Ed. Vicent.) Reg. Lep. supra *Ne tibi sit*, h. l. *Nec tibi sit*. Excerptt. Perrei. *Nec tibi sim*, Pocch. *Ne tibi sim*. Haec vera est lectio. Cicero XVI. Attic. 13. Ne sim salvus, si *aliter scribo* ac *sentio*. — Porro *iam* h. l. habent omnes mei libri praeter Edd. Venett. 1491. 93. et Aldd. quae utroque loco expresserunt *tam*.

2. AC VIDEOR PAUCOS] Paris. *Ac videar paucos*: supra, *Ac paucos videar*. Lips. *Ac videas paucos*. Ed. 1472. Vicent. *At videas*, supra *Ac* vel *At video* omnes, praeter Reg. Lep. quae supra habet *Ut video paucos*. *Ut videor* utroque loco primum expressum reperio in Venett. 1491. 93. unde venit in Aldd. etc. Broukhusius restituit *Ac*

Si quidquam tota commisi stulta iuventa,
Cuius me fatear poenituisse magis,
Hesterna quam te solum quod nocte reliqui,
Ardorem cupiens dissimulare meum.

videor; absque ullo periculo errandi. Statius: Rectius in duobus meis, *Ac videor,* optime enim respondet *Aeque, ac.* Ita tua cura non sim *tam* fervida, ut videor fuisse.

3. SI QUIDQUAM] Lips. *Si quidquid,* supra *Sic quidquam.* Voss. 5. *Si quaecunque.* Dresd. *senecta* pro *iuventa.* Adeo delirarunt in plano hoc carmine librarii et editores veteres.

4. CUIUS ME FATEAR] Scaligeri codex recens *Quoius.* Notavit Broukhusius (post Heinsium ad Ald. 1515.). Heinsii codex vel Datianus *Quius.* Marius Victorin. p. 2460. 8. „*Item* Cuius *per* Quoius *literas scribebant.*“, Scriptura recipienda iis, qui *Quoi* pro *Cui* ponunt. Vide I. 1.4. et Cassiodori observationem, quam ibi citavi, quaere p. 2295. Pro *fatear* Lips. *fateor.* At idem supra, *Cuius me fiat'.* Editores hoc loco consentiunt in *fatear,* praeter Tuscanellam, Basil. 1569. qui *fateor,* paucorum librorum lectionem, restituit. Paris. Askew. etc. *fatear.* Ed. Rom. *Cuius ire fatear.*

5. QUAM TE SOLUM QUOD] Lips. supra *quę te solumque nocte:* h. l. *quantę solum quot.* Bern. et Voss. 5. *qui* pro *quod.* Voss. 2. supra *cum.* Voss. 5. Bern. et Hamb. *solam.* Paris. h. l. *quod solum.* Duo Anglicc. *sub nocte.* Barthius primum notavit: „Duo sunt Epigrammata, ut patet ex ex quod octo (?) versus repetiti lib. 3. in fine.“ Hactenus bene. Nunc audi reliqua. „Transposita haec sunt et ita collocanda:

Estne tibi Cherinthe
Si quicquam tota
Hesterna quam te
Ah ego non aliter
Ah mihi quid prosit
Nec tibi sit, mea lux.

Est confusus sermo amore flagrantis.“ Est confusus sermo Gasparis Barthii.

CARMEN XIII.

Nulla tuum nobis subducet femina lectum.
Hoc primum juncta est foedere nostra Venus.

CARMEN XIII.

Wittianus A. *Epistola: ad amicam innominatam.* Unus Broukhusii: *Alloquitur* praedictam *amicam suam.* Perperam ille *Epistola:* perperam hic *praedictam* amicam. Recte sede sua excidisse hoc carmen censet Broukhusius. Est mere Albianum.

1. NULLA TUUM NOBIS] *Nobis* emendarunt Muretus et Scaliger e suis — In vulgatis tamen ante eos Edd. erat *titulis.* HEYN. Mira annotatio. Ed. a. 1472. Venet. et Rom. 1475. Vicent. et Reg. Lep. sicut libri scripti ad unum omnes, habent *nobis.* At Cyllenius incidisse videtur in codicem, qui haberet *titulis.* Hoc ille in Commentario interpretatur, *stemmate nobilitatis.* Inde recepta est haec lectio in Venett. omnes, Brix. Aldd. Stat. Plant. 1569. Basil. 1569. Gryph. 1573. Francof. 1621. nescio, an etiam in alias. Fontem mirae huius scripturae aperit liber Colot. qui habet *donis.* Ergo *nobis* corruptum primum est in *donis; donis* deinde a sciolo quodam in *titulis,* quod in uno legitur Voss. 1. Idem *laetum* habet pro *lectum.* Lips. *letum.*

2. IUNCTA EST — VENUS] Lips. *uincta.* Eadem lectio est in Voss. 3. et Askew. orta e traiectione puncti. Monac. *uicta.* Dresd. *pacta est.*

Tu mihi sola places; nec jam, te praeter, in urbe
Formosa est oculis ulla puella meis.
Atque utinam possis uni mihi bella videri!
Displiceas aliis! sic ego tutus ero.
Nil opus invidia est; procul absit gloria vulgi;
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.

V. 7. *Omittitur* est. 8. ipse.

3. TU MIHI SOLA PLACES] Habent hanc lectionem libri non ita multi, in his Paris. unus Scalig. unus Broukh. Voss. 1. 3. Askew. Guelf. 1. 4. Ed. Rom. 1475. et Venett. cum comment. Cyllenii, Aldd. Muret. At Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Excerptt. Perr. etc. *Tu* modo *sola places*. Error ortus ex compendio m̄, notante Heynio. Nam illa his poetis familiaris est formula. Propertius II. 7. 19.

Tu mihi sola places, *placeam tibi, Cynthia, solus.*

Ovidius I. A. A. 42. Cod. Lips. ita:

Tum modo *sola nec iam te praeter in urbe.*

absque *places*. Scaliger *modo* revocaverat. Ergo etiam Editores Batavi Ianson. 1640. Gabbema 1659. Nonnulli ordine mutato, *nec* te iam *praeter*, ex meis nullus.

5. ATQUE UTINAM POSSIS] Lips. *posse*. Paris. Ed. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. Aldd. etc. *posses*. Atqui statim sequitur *Displiceas*, quod ab eadem particula *utinam* pendet. Ergo recte Broukhusius revocavit *possis*, ut est in Guelff. 1. 4. Voss. 2. Bern. Ask. Ed. Rom. et Venett. cum commentario Cyllenii. Pro *uni mihi* unus Anglic. *mihi tantum*.

6. SIC EGO] Cod. Witt. B. *tunc ego*.

7. INVIDIA EST] Sic Paris. Lips. Edd. omnes. Abest *est* non nisi a Dresd. et Voss. 5.

8. QUI — ILLE] In vete-

Sic ego secretis possim bene vivere silvis,
  Qua nulla humano sit via trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
  Lumen, et in solis tu mihi turba locis.
Nunc licet e coelo mittatur amica Tibullo,
  Mittetur frustra, deficietque Venus.

V. 13. et caelo.

ribus, *Gaudeat ipse.* STAT. Ita Paris. Lips. alii, Ed. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Frequens est haec confusio. Vide I. 10. 54. Praefero cum Wunderlichio *ille*, quod alii libri habent, et Edd. Venett. Aldd. etc. Conf. I. 10. 59—60. Propertius II. 25. 30.

In tacito cohibe gaudia clausa sinu.

9. POSSIM] Vulgo *possum.* Primus *possim* edidit Broukhusius ex uno libro, cui accedunt Voss. 2. 3. Askew. Goth. Zwic. 1.

10. QUA NULLA] Contra Propertius III. 16. 26.

Qua facit assiduo tramite vulgus iter.

Haec est ἀτραπὸς τετριμμένη, illa ἀτριβὴς (Xenophon Anab. VII. 3. 23.) vel ἀστιβὴς, ut scribit Sophocles Ai. 657.

μολών τέ χῶρον ἔνθ' ἂν ἀστιβῆ κίχω.

12. IN SOLIS — LOCIS] Abest *in* ab Ed. Reg. Lep. Supra I. 2. 72.

Iungere et in solo pascere monte pecus.

De qua structura vide, quae annotavimus ad II. 4. 8. Propertius I. 2. 11.

Surgat et in solis formosius arbutus antris.

13. NUNC LICET E COELO MITTATUR] Colb. *Tunc.* Ed. Rom. *mutatur.* Omnes *e coelo* vel *caelo*, praeter Voss. 5. qui offert *Nunc licet* et *caelo.* Perperam, ait Wunderlichius. Recte. Novimus hoc genus scripturae aliunde. I. 10. 51.

Rusticus et luco revehit —

pro *e* lucoque *vehit.* Ib. v. 60.

et coelo deripit ille Deos.

pro *e* coelo *deripit.* At alibi tamen praepositio omittitur. Nempe ubi nulla orationi infertur ambiguitas, nec structura inelegans, velut hoc loco, si *coelo* mittatur amica *Tibullo.* Virgilius IX. 2. etc.

Irim de coelo misit *Saturnia Iuno*
Audacem ad *Turnum.*

Appuleius II. Metam. p. 26. licet *illa* coelo deiecta, *mari edita, fluctibus educata*, licet, *inquam, Venus ipsa fuerit* — placere non poterit *nec Vulcano suo.* — Paene oblitus eram in manus resumere Collationem Editionis min. a. 1472. quam propter lacunam, indicatam supra ad initium Carm. VII. ex oculis amiseram. Cuius Editionis pagina postrema incipit a versu 12. eademque mihi versu statim 13. lectionem offert, editoribus adhuc inauditam. Nempe hic versus ibi sic exhibetur:

Nunc licet et templo mittetur *amica Tibullo.*

Editio illa sine dubio ad Codicem expressa est a nostris diversum, hodieque plane incognitum, quem fideliter repraesentat in omni lectione sive integra sive mendosa, v. c. III. 1. 14. IV. 1. 72. Sic hoc loco reddidit, quod legebatur in libro illo mendose, *et templo mittetur.* Hinc lucramur lectionem plane novam:

Nunc licet extemplo *mittatur amica Tibullo.*

Nam ita scripturam illam refingendam esse, quis non videt? Unde autem ortam? Nempe fuit grammaticus, qui formulam *e coelo mittatur* illustraret glossa *extemplo mittatur,* probe ille sciens, *coelo* vel *e coelo mitti* e proverbii cuiusdam consuetudine dici pro *subito venire, extemplo venire,* ἔρχεσθαι ἐξαπίνης, quod monui supra ad I. 3. 89.

Tunc veniam subito, *nec quisquam nuntiet ante:*
Sed videar coelo missus *adesse tibi.*

Hic ipse locus obversabatur, nisi fallor, grammatico, quum formulae *e coelo* substitueret adverbium *extemplo.* Nam lectionem *e coelo* Tibullo, Grammatico lectionem *extemplo* tribuendam esse, satis apparet. Appuleius IX. p. 178. *Sed unus ex his,* de coelo missus mihi *sospitator, argumentum explorandae sanitatis meae — commonstrat caeteris.* Ubi vide Pricaeum.

Haec tibi sancta tuae Junonis numina juro,
Quae sola ante alios est mihi magna Deos.

V. 15. Per tibi.

15. HAEC TIBI SANCTA — IURO] Haec est veterum exemplarium lectio tantum non omnium, tum scriptorum, tum editorum, leviter illa immutata in paucis, e quorum tamen numero eximendi sunt, qui habent *Nec tibi*, Scaligeri codex recens, et Anglicanus, omnium, quos vidit Broukhusius, vetustissimus. Nam hoc nihil aliud est quam *Hec tibi*, ut legitur in Cod. Lips. id est, *Haec tibi*. Hanc autem lectionem habent Statt. omnes, Witt. A. unus Broukh. libri item a Vossio comparati, excepto uno, omnes, Edd. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. cum comment. Cyllenii, Scaligg. et quae ab his pendent, Jansson. etc. etiam Dous. Bertell. Broukh. Vulp. Heyn. Nec longe hinc aberrant Paris. Colb. Laud. Ursin. Heins. tres Anglicc. Voss. 5. qui habent *Hoc tibi*. Ed. Rom. mendose:

Hoc tibi *sancta tua iuvenis minima iura.*

In hac lectione desideratur *per*. Ergo repertus est, qui refingeret, *Hoc tibi* per *sanctae*, sicut legitur in uno Broukh. Inde is, qui curavit Aldd. fecit:

Haec per sancta *tuae Iunonis numina iuro.*

Sic Stat. Plantin. Gryph. 1575. et Francof. 1621. Hinc etiam orta videtur illa longe elegantior lectio in Excerptt. Perr. Pocch. uno Broukh. Corvin. et tribus Italicis:

Per tibi sancta *tuae Iunonis numina iuro.*

Non mirum, hanc lectionem placuisse Vossio et Wunderlichio. Passim enim hac structura utitur Tibullus. Vide I. 5. 7. Probarem et ego, ait Broukhusius, nisi me moveret nescio quae maiestas antiquae locutionis, Deam quasi praesentem *testata*. Laudat deinde Servium ad Virgil. XII. Aen. 195. *Et ornatior elocutio et crebra apud maiores, quam si velis addere praepositionem, ut dicas*, Iuro *per* maria, *per* terras. — Priscianus p. 1192. Attici ὄμνυμι θεούς. Virgilius in VI. (324.) *Di cuius iurare timent et fallere numen.* Idem in eo-

Quid facio demens? heu heu mea pignora cedo.

Juravi stulte; proderat iste timor.

dem (351.) *maria aspera iuro.* Nec mirum, cum etiam passivum habet. Unde Lucanus in V. (596.) *Et laetae iurantur aves bubone sinistro.* Ergo lectionem, tot libris confirmatam, expellere non sum ausus. Heynius in Observatt. versum ita exhibet:

Haec tibi sancta tuae Iunonis numina testor.

Hoc sic expressum iam comparet in Ed. a. 1755. nec mutatum est in Edd. a. 1777. et 1798. quae adscriptam habent notam: „Ita Scaliger edidit; sic ed. Vicent. et ipsa Ven. pr.“ Quod cave credas pertinere ad verbum *testor.* Nam nullus umquam liber scriptus, nulla umquam Editio exhibuit *testor,* quae lectio illi subito nec cogitanti in mentem venit, postquam legisset Notam Broukhusii. Talia corrigere debebat Wunderlichius, non latinitatem Heynii.

16. EST MIHI MAGNA DEOS] Codd. Paris. Lips. alii, Ed. min. a. 1472. Brix. Venett. cum comment. Cyllenii, Aldd. Plant. et Basil. 1569. Gryph. 1573. Francof. 1621. *tibi.* Tres contra Statt. unus Broukh. Voss. 4. Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Scaligg. — Broukhus. *mihi.* Scaliger, „Inepte *tibi.* Lege *mihi.* ut habent libri nostri. Imo Genius feminarum. Ait ergo genium puellae suae sibi omnium Deorum esse maximum. Notum est, feminas iurare solere: Iunonem meam iratam habeam.“ Askew. et Heins. *digna* pro *magna.* Voss. 4. ante *alias.* Vide III. 4. 95. III. 6. 52. in primis II. 4. 24.

Sed Venus ante alios est violanda mihi.

17. HEU, HEU MEA — CEDO] *heu heu* omnes habent Edd. ante Aldd. quibus *heu cui* intulit interpolator, fortasse in manibus habens librum, a quo aberat alterum *heu.* Corvin. *seu cui — servo.* Alii, ut Paris. et Edd. veteres, *credo.* Hamb. *prodo.* Lips. cum aliis *cedo.* Omnes *heu heu.* Vide supra III. 6. 27.

Quid precor, ah, demens?

Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures.
Hoc peperit misero garrula lingua malum.
Jam faciam, quodcunque voles; tuus usque manebo;
Nec fugiam notae servitium dominae:

et Virgilium Ecl. II. 58.
Heu, heu, quid volui misero mihi?

18. PRODERAT — TIMOR] Vulgo *prodeat,* quod Statius in *proderat,* Scaliger mutabat in *proderit.* Illud legitur, teste Heinsio ad Ald. in Cuiac. et in margine Venet. 1475. Heynius laudat Cod. Dresd. Etiam Barthius adscripsit: „l. *proderat.* Quod timebat me aliam posse amare. Verissime ex seqq." Admisit Dousa 1592. Vulpius iam Ed. a. 1710. intulit *proderat.* Recte. At Broukhusius Scaligerum sequi maluit, ita scribentem: „Veteres nostri libri *proderat.* Una litera mutata lege, *proderit.* — At ii, qui putant se plurimum Tibullum iuvisse, quod ex *prodeat* faciunt *proderat* et ea pompa nimium quantum vectantur, quam bene hoc modo huic loco caverint, ipsi viderint. — Nam quare diceret se poenituisse quod iuraverit, si illud iusiurandum proderat? Contraria plane haec et pugnantia." Dum carpit Canterum (Nov. Lectt. IV. 16.), carpendum se aliis praebuit Scaliger. Ed. Lips. apud Heyn. *proderat,* apud Voss. *prodeat.* Conf. III. 6. 27.

19. NUNC TU ME AUDACIUS] Abest *tu* a Lips. — Paris. *audactius.* Ed. Rom. *nunc tu vis auditus ures.* At Ed. mai. 1472. et Vicent. exprimunt, quod legitur in Zwic. 1. et Goth.
Nunc tu fortis eris, nunc me tu audacius ures.

21. TUUS USQUE MANEBO] Voss. 1. *tutus usque.* Voss. 3. *tutusque.* Ed. Rom. *mando.*

22. NEC FUGIAM NOTAE SERVITIUM] Bern. *Nec faciam.* Colb. *nostrae* pro

Sed Veneris sanctae considam vinctus ad aras;
Haec notat injustos, supplicibusque favet.

notae. At Guelff. 1. 4. Goth. Edd. Brix. et Venett. cum comment. Cyllenii *nocte.* Ed. Rom.

Heu fugiam nocte *servicium* prie.

Prie, ait Heynius, ortum ex compendio *dn̄e* pro *dominae.* Singulare compendium. Idem, *notae,* inquit, est vel *meae,* vel cuius servitio assuetus sum. Hoc verum. Supra III. 6. 59.

Non ego, si fugiat *nostrae convivia mensae,*
Ignotum *cupiens vana puella* torum —

Propertius I. 4. 4.

Hoc magis assueto *vivere* servitio.

23. SED — CONSIDAM VINCTUS] Sic Ed. min. a. 1472. — Cod. Dresd. et Witt. B. *Si.* Voss. 5. *Quod.* Multi *confidam,* sicut Paris. Lips. Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep. Venett. Confunduntur etiam hoc loco in libris *uinctus, iunctus, uictus.* Hoc habent Edd. Venett. 1491. 95.

24. HAEC — SUPPLICIBUSQUE] Cod. Heins. et Ed. Rom. *Nec.* Vix dignum notatu. Fuit enim in libro *Hec* pro *Haec.* Eadem Editio omittit *que.* Voss. 1. *fovet* pro *favet.*

CARMEN XIV.

Rumor ait, nostram crebro peccare puellam.
Nunc ego me surdis auribus esse velim.
Crimina non haec sunt nostro sine jacta dolore.
Quid miserum torques, Rumor acerbe? tace.

V. 1. crebro nostram. 3. nisi ficta dolori.

CARMEN XIV. Wittianus A. *Epistola: De infamia puellae tetrasticon.* Lips. *Trasticon* — Liber Broukhus. *Tetrasticum* — Ed. Reg. Lep. *Tetrastichon de puellae infamia,* quod posuit etiam Cyllenius in Commentario. Vide, quae notavimus supra ad Carm. IX.

1. RUMOR AIT CREBRO] Sic Paris. cum aliis, Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep. Venett. etc. Contra ea Lips. unus Broukh. Hamb. et Ed. min. a. 1472. *Rumor ait* nostram crebro *peccare puellam.* Haec vera est structura. Statius laudat Propertium IV. 4. 47.

Cras, ut rumor ait, *tota pugnabitur urbe.*

Unus Broukh. *peccasse* pro *peccare,* quod idem tamen pro diversa lectione exhibet. Supra Carm. VII. 9. *Sed* peccasse *iuvat.* Vide II. 4. 5.

3. CRIMINA — SINE IACTA DOLORE] Witt. A. duo Anglicc. Dresd. Voss. 1. et Lips. *Carmina.* Edd. a. 1472. Reg. Lep. etiam Venett. 1491. 93. *Crimina.* Nec tamen ignota fuit prior lectio Cyllenio, qui scribit:

„*Crimina*. Criminationes de amicae impudicitia. vel *Carmina* i. istud tetrastichon.“ Ridicule. Inter Edd. saeculi XV. una habet Vicent. *ficta*, quam lectionem propagarunt Muretus et Scaliger. Exstat ea in uno Statii, uno item Italic. Heinsii, et Zwic. 1. Reliqui libri scripti editique habent *facta*. Lips. *fata*. Haec etiam permutantur apud Propertium I. 18. 25.

Omnia consuevi timidus perferre superbae
Iussa, *neque* arguto ficta dolore *queri*.

Ubi Lachmannus reposuit *facta*, non facturus, si cum alia in mentem venissent, tum locus Ovidii I. Tristt. 8. 20.

Pauca tamen ficto *verba* dolore queri.

At apud Tibullum quaeritur, utrum reponendum sit *ficta*, an, quod Voss. 2. habet, et de coniectura Pontani edidit Broukhusius, *iacta*. Haec, inquit, lectio deterior est illa. Eadem tamen, ut idem ait, commode explicari nequit. „Quid enim est, quaerit, Crimina haec non *ficta* sunt *sine meo dolore?*“ Quod ut explicari nequeat, quaero ego vicissim, quid coegerit virum doctissimum, recipere lectionem, quae ipsum cogeret totam loci faciem immutare et rescribere:

Crimina non haec sunt nostro nisi *ficta* dolori.

Quod vereor, ne non sit Latinum pro *in nostrum dolorem*. Pro hoc autem scribi potuit et recte scribitur, *non sine nostro dolore*. Nec semper *non sine* coniunctim, sed interdum etiam interposita una et altera voce ponitur, ut apud Virgilium II. Aen. 777. quem locum laudat Vulpius. Iam dicunt Latini *fingere crimina* et *iacere crimina*. Hoc autem inprimis tum, „quum aliquis interdum aliquid, obiter, suspicionis movendae, pungendi, irridendi caussa, dicit,“ quae egregia est Ernestii animadversio, multis confirmata exemplis, ad Taciti XI. Annall. 19. *quae nimia et incertum an* falso iacta *originem tamen e severitate Ducis traxere*. Hoc quomodo illuc pertineat, vides. Ergo rem conficiamus duobus exemplis maxime appositis. Cicero pro Muren. 35. *Haec omnia sectatorum*, *spectaculorum, prandiorum item* crimina *a multitudine* in tuam nimiam diligentiam, *Servi*, coniecta sunt. Seneca III. de Ira c. 37. *In convivio*

quorumdam te sales et in dolorem tuum iacta verba tetigerunt: *vitare vulgarem convictum memento.* Utrumque verbum coniungit Propertius III. 23. 14.

Non bene de nobis crimina ficta iacis.

4. QUID MISERUM TORQUES — TACE] Barthius adscripsit: „L. *surdum.* Simulat surdum. lib. 59.“ Nempe Lib. 59. Adverss. c. 16. unde hanc emendationem in contextum intulit Broukhusius. Perperam. Super *tace* in exemplari Argentorat. Ed. mai. a. 1472. scholion legitur hoc: *ne tanto me affligas dolore.* Unus Stat. *sile.* Cod. Paris.

Albii Tibulli poetae illustris explicit liber tercius et ultimus.

Sequitur *Epitaphium Tibulli* et *Vita.* Sic etiam res se habet in Cod. Dresd. Alii libri inverso ordine primum *Vitam* Tibulli, deinde *Epitaphium* exhibent. Eodem modo inter se discrepant Edd. veteres. Ed. mai. 1472. quae huic Carm. XIV. subiectam habet vocem graecam *Τέλως*, Vicent. et Reg. Lep. Carmini XIV. statim adiungunt Vitam hoc titulo: *Summa vitae Albii Tibulli.* Sequitur *Epitaphium Tibulli.* Cui in iisdem subiungitur *Ovidii Nasonis epistola in qua conqueritur de morte Tibulli.* Haec abest ab Ed. min. a. 1472. quae primo loco *Epitaphium,* deinde *breve Poetae elogium* exhibet. (Panzer. T. IV. p. 7. 31.) Heynius ita: „In Ed. Lips. et libro Cyllenii ne hoc quidem (Epitaphium) subiungebatur.“ Atqui in Ed. Venet. 1491. Epitaphium subiungitur Carmini XIV. minoribus tamen litteris excusum, cui succedunt duo haec disticha post Epitaphium posita, sicut in Ed. Rom. et Corvin.

Sub teneris annis tenerorum scriptor amorum
Decedens dura hac ecce tibullus humo.

Donec erunt ignes: arcusque cupidinis arma:
Discentur numeri culte tibulle tui.

Summa vitae Albii Tibulli reiecta est in Commentarium. At Ed. Venet. 1493. haec omnia habet in Commentario. De Codice Lips. paullo post.

DOMITI MARSI

EPITAPHIUM TIBULLI.

DOMITI MARSI.

In pervetusto illo schedio Titulus huic epigrammati erat, *DomitI Marsi*. Quare hoc illi debemus, quod eius ope poema suo auctori asseruerimus. Nam sine illo fieri non poterat. Est autem ex quadam Marsi Elegia deprompium, ut apparet, in qua bonorum poetarum mortem defleret. Scalig. Hanc inscriptionem iam ante Scaligerum ex alio Codice in margine notatam fuisse a Pulmanno narrat Vossius, repetente bona fide Wunderlichio. Sed fallitur uterque. Habuit Vossius in manibus, quod supra monui, Ed. Gryph. a. 1573. quam expressam ait esse (Praef. p. XXV.) ad Ed. Pulmanni vel Plantin. Antverp. 1569. Et praefationem quidem utraque Editio communem habet. Sed, ut de universa harum Editionum, quas ipse possideo, conformatione praeteream, Gryphianae margini adiecta sunt multa, quae non leguntur in Plantiniana, v. c. III. 4. 36. *Namque* haec *in nitido* — ubi Gryph. in margine *hoc* habet, Plantin. nihil, prorsus ut hoc loco illi in margine adscripta sunt verba: *Epigramma* Marsi *de morte Tibulli*, huic nihil. At ita tamen Gryphius antevertit Scaligerum. Nullo modo. Nam ut Plantiniana falso praefert a. 1569. ita etiam Gryphiana a. 1573. — repetitae illae post Scaligeranam a. 1577. cuius lectiones in margine exhibent. Vide IV. 3. 5. et 9. 2. At est tamen, qui Scaligerum antevertit, Perreius, in Excerptis scribens claris litteris: *Domitii Marsi* V. C. Hic igitur in codice suo legisse videtur *Domitii*, Scaliger *Domiti*, quod recepi. De Domitio Marso videndus

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors juvenem campos misit in Elysios:
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

V. 2. ad.

est Quintilianus III. 1. 18. in primis VI. 3. 102. *His adiicit* Domitius Marsus, *qui* de urbanitate *diligentissime scripsit, quaedam non ridicula, sed cuilibet severissimae orationi convenientia,* eleganter dicta et proprio quodam lepore iucunda: *quae sunt quidem* urbana, *sed risum tamen non habent. Neque enim ei* de risu, *sed* de urbanitate *est opus institutum* etc. Cod. Monac. Nasoni tribuit hoc epitaphium.

1. TE] Unus Stat. *Me.* Margo Ed. Gryph. 1573. *aeque* pro *aequa.*

2. CAMPOS MISIT AD ELYSIOS] Codex Bibliothecae Regiae, quem laudat Burmannus ad Anthol. Lat. T. I. p. 416. Lips. et Ed. min. a. 1472. *in* pro *ad* Elysios. Eadem harum praepositionum confusio affecit locum similem Tibulli I. 3. 58. Mihi nunc, subductis rationibus omnibus, Tibullus scripsisse videtur,

Ipsa Venus campos ducet ad *Elysios:*

Domitius:

Mors iuvenem campos misit in *Elysios.*

3. NE FORET, AUT ELEGIS MOLLES] Paris. *Nec.* Voss. 1. *Non.* Lips. Askew. et Hamb. *elego,* quod edidit Pithoeus, adductus, credo, *forti,* quem Domitius dicit, heroi carminis *pede.* Sed animum potius advertere debebat ad oppositionem, quae est inter locutiones ipsas, *elegis* molles *flere amores* et *canere* forti *pede regia bella.* (Margo Ed. Venet. 1475. monente Heinsio ad Ald. *martia* bella.) Talis oppositio est in Elegia Hermesianactis v. 35. apud Ruhnkenium Ep. Crit. II. p. 290.

Μίμνερμος δὲ τὸν ἡδὺν ὃς εὕρετο, πολλὸν ἀνατλὰς,
ἦχον, καὶ μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πενταμέτρου,
καίετο μὲν Ναννοῦς —

Qui locus satis firmat lectionem *molles*, cui Codd. Dresd. Hamb. Voss. 5. *miseros* substituunt, Goth. *teneros*. Ovidius III. ex Pont. 4. 85.

Ferre etiam molles elegi *tam vasta triumphi*
Pondera disparibus *non potuere* rotis.

Sed Hermesianactis locus corruptus est. Ruhnkenius, Hic, ait, *πολλὸν ἀνατλὰς*, non cum *εὕρετο*, sed paulo duriore traiectione cum *καίετο Ναννοῦς* coniungendum videtur. Haec sane durissima foret traiectio. Tu mecum, una literula mutata, lege:

πολλὸν ἀνακλὰς,

id est, Mimnermus, *qui* dulcem *invenit*, fortem infringens, sonum *et* mollis *pentametri spiritum*, vel *mollem* pentametri *spiritum* — Hermesianax Mimnermo non inventionem Elegiae tribuit universe, sed inventionem Elegiae amatoriae, quod bene demonstravit post alios Franckius de Callino p. 9. Dicitur autem masculus carminis heroici vel Elegiae antiquioris sonus exquisite *πολὺς ἦχος*, *fortis* vel *vehemens sonus*, quia facta celebrat *fortium virorum*, quorum unus fortissimus, Leonidas Spartanus, in Philippi Thessalon. ep. LX. perhibetur

ὁ τᾶς Σπάρτας πολὺς ἥρως.

De qua huius vocis significatione vide Valckenarium ad Euripidis Hipp. 443. Hunc vehementiorem Elegiae sonum emolliens Mimnermus et argumento amatorio temperans eleganter dicitur *fortem* sonum *infregisse*, plane ut is, de quo agit Ovidius II. Tristt. 411.

Nec nocet auctori, mollem *qui fecit* Achillem,
Infregisse *suis* fortia facta *modis*.

Hinc *molles cantus* et *infractos* coniungit Seneca Ep. 90. Hinc Grammatici, ut Hephaestion, quoddam metri genus *ἀνακλώμενον* dicunt, et *ῥυθμὸν κεκλασμένον* Longinus Sect. 41. 1. Hinc Sulpicia Sat. v. 4.

quare nec carmine curro Phalaeco,
Nec trimetro Iambo, nec qui pede fractus eodem

Fortiter irasci didicit,
duce Clazomenio.

Ubi sermo est de Scazonte Hipponacteo, „qui aeque longus quam trimeter ultimum pedem *trahit,*" sicut recte scribit Gronovius Diatr. p. 50. ad Statii Silv. II. 7—9. Male tamen Wernsdorfius Poett. Latt. Minores T. III. p. 84. pro *fractus,* ait, nescio an *tractus* legendum sit. Male etiam Horatio scripturam suam surripuerunt, auctore Bentleio, editores nostri III. 6. 22.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo et frangitur artubus.

At, inquit Bentleius, „haec lectio eodem, quo prior illa *fingitur artubus,* vitio laborat. Quippe *frangitur artus,* non *artubus,* dictum oportuit." Atqui Sulpicia etiam scripsit *pede* fractus *eodem,* nec ablativus hic casus instrumentum notat, quod ille putat, sed materiem, quod negat. Ergo etiam Horatius scribere potuit *frangitur artubus,* nec scripsit *fingitur artibus,* quam Bentleio probatam lectionem delere non ausus est Fea, convellere conatus est Porsonus *Tracts and Miscellan. Criticisms* p. 185. duobus exemplis, altero Virgilii III. Georgg. 84. *micat auribus;* altero Manilii V. 152.

Femineae vestes, nec in
usum tegmina plantis,
Sed speciem, fractique
placent ad mollia gressus:

quam lectionem ipse reposuit Bentleius pro altera *ficti*que. Nec tali exemplo erroris se convictum fateretur, si viveret, vir summus, ut cui satis notum erat tralaticium hoc dicendi genus, variis scriptorum locis ab ipso illustratum in *egregia* illa annotatione confirmandae lectioni, ut nobis quidem videtur, *falsae* adscripta. Cuius generis animadversionum plenus est commentarius ad Horatium, v. c. ad Art. Poet. v. 2. ubi tamen retinuit *plumas.* Utinam etiam *frangitur artubus,* quam lectionem satis firmat locus Sulpiciae. Marius Victorinus p. 2539. de Ionico minore: *Musici ἀνάκλασιν vocant et metra, si qua forte adverterint talia, ἀνακλώμενα appellant, quod retrorsum inclinantur,* ut in quibusdam saltationum gesticulis no-

stra corpora pone pandantur. — Cod. Lips.

Finis Tibulli, huc usque constat.

Sequuntur duo, Elegidia *Ad praestantissimam virginem Ypsotam de Nagarolis.* Quibus accedit Vita Tibulli. Adiuncta sunt novem Carmina recentiora.

ANALECTA
AD TIBULLI CARMINA.

LIBER I. ELEGIA I.

2. *Et teneat culti iugera* multa *soli*] Edd. saeculi XV. cum libris plurimis, quibus adde Lips., habent *magna*. Quam lectionem, repertam etiam in Aldd. et apud Muretum, primus confutavit Ach. Statius hac animadversione: In veteribus libris pro *Magna*, *Multa*, legebatur. quae lectio esse probabilior videtur, quod eo modo multi omnino iique optimi scriptores locuti sunt etc. Retinuerunt tamen *magna* ante et post Scaligerum, qui *multa* expressit, Basil. 1569. Plantin. 1569. Gryph. 1573. Dous. 1592. Ian. Gebhardus 1621. qui scribit: Hanc lectionem repraesentant omnes codd. Pall. et vulgatae Edd. Sed Excerptt. Frisingensia, Ach. Statii Lusitani libri, Scaligeri Editio exhibent *iugera multa*. Infra III. 3. 5. Postea evalescere coepit lectio *magna*, labefactata tamen iterum a Vulpio, qui a. 1710. edidit *multa*, a. 1749. *magna*, fretus nunc auctoritate Ed. a. 1472. quam ego Minorem voco; sicut contra Heynius a. 1755. edidit *magna*, postea *multa*, rursus expulsum a Vossio. Quod saepe in his carminibus accidit, ut alterius loci similitudo quaedam corrumperet alterius lectionem sanam, id etiam nunc accidisse arbitror. Similis autem pentameter, quod alii iam viderunt, eodem modo variatus, statim offertur infra v. 28.

Nunc agna exigui *est* hostia magna soli.

De hoc confusionis genere vide, quae annotavimus ad I. 3. 29. I. 9. 64. III. 5. 3—29. III. 6. 6—62. ib. ad v. 11.

3. *Quem* labor assiduus *vicino terreat hoste*] Cyllenius hunc locum non de milite sumit, divitiis inhiante, sed de divite, qui aurum et agros iam *tenet*. Scribit enim ita: „*Vicino hoste*. aut hostibus patriae bellum inferentibus, qui agros depopulantes creberrimis incursionibus rura diruunt: aut *vicino hoste* s. existente. Vicini quidem alter alterius rebus invident. Cui vero multa sunt, multum quoque invigilat, ne furto rem perdat.“ Deinde idem ad *fugent somnos*: pluralem numerum praetulit, ut eius interruptiones innueret. Diviti enim tantus inest conservandae rei stimulus et au-

gendae appetitus, ut saepissime noctu experrectus quietem nequeat continuare. Sic Horat. libr. Carminum secundo 16. 13.

> Vivitur parvo bene, *cui paternum*
> *Splendet in mensa tenui salinum,*
> Nec leves somnos timor aut cupido
> Sordidus aufert."

Docta sane interpretatio, quae non erat sicco pede transeunda. Commendat enim verbum *teneat*. Cicero I. Off. 7. *Ex quo quia suum cuiusque fit, eorum, quae natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque* teneat. At potest etiam *labor assiduus* huic interpretationi accommodari. Hunc Cyllenius sumere videtur pro *timore* assiduo. Atqui de *opere rustico* posuit Val. Flaccus loco simili VI. 711.

> *Qualem si quis aquis et fertilis ubere terrae*
> *Educat, ac ventis oleam felicibus implet,*
> *Nec* labor assiduus, *nec* spes sua fallit *alentem* —

Tacitus Germ. c. 26. *nec enim cum ubertate et amplitudine soli* labore contendunt, *ut pomaria conserant etc.* Ubi editio diobolaris hodieque habet *laborare* contendunt. Cicero Catil. II. 8. *quod si maturius facere voluissent* neque, *id quod stultissimum est*, certare *cum usuris* fructibus praediorum, *et locupletioribus his et melioribus civibus uteremur.*

4. *cui — classica pulsa*] Sic etiam Cod. Lips. et Ed. min. a. 1472. etc. Unus Broukhusii *quoi*. Voss. 4. *qui*. Quintilianus I. 7. 27. *Illud nunc melius, quod* cui *tribus, quas proposui, litteris enotamus: in quo pueris nobis, ad pinguem sane sonum*, qu *et* oi *utebantur, tantum ut ab illo* qui *distingueretur.* Vel. Longus p. 2235. Ed. Putsch. Classica *pulsa* iisdem Graecorum exemplis illustravit Eichstadius, quibus ego in Ep. Crit. versum Propertii II. 1. 9.

> *Sive lyrae* carmen *digitis* percussit *eburnis.*

5. *Me mea paupertas vitae traducat inerti*] Guelf. 2. et Corvin. *vita*. Nondum sublatam esse interpretatione mea huius loci difficultatem, satis intelligo. Ea autem nulla superesset, si *vitae traducat inerti* posuisset Tibullus pro *traducat* ad *vitam inertem.* Hanc rationem vulgo sequuntur interpretes, ut Vulpius, qui laudat Terentii Phorm. Prol. 1. et Hec. I. 2. 94. *atque* huic transtulit *amorem*; ubi nunc legunt *huc*. Probabilior quidem haec interpretatio est Gronoviana, qua locus refertur ad *traductionem* contumeliosam, quam Seneca dicit, legiturque, duce Fruterio, *vita* traducat *inerti.* Hoc minime est consentaneum. Rectius huc referas *tradu*

etionem temporis apud Ciceronem I. Divin. c. 56. Nam homo dicitur non solum *traducere vitam*, sed etiam *traduci* trans, id est, *per vitam*, tamquam nauta per mare, exemplo Graecorum, v. c. Platonis, qui hominem ait *ἐπὶ σχεδίας κινδυνεύοντα διαπλεῦσαι τὸν βίον*. Conf. Virgil. III. Aen. 403. Ovid. Ep. VIII. 73. Quo sensu Statius scribit I. Silv. 2. 167.

Non ideo tibi tale decus, vultusque superbos
Meque dedi, viduos ut transmittare per annos.

Similiter *inertes* dicuntur *transire vitam* apud Sallustium Catil. I. 1. ubi Cortius laudat Senecam Epist. 93. *Hoc a me exige, ne velut per tenebras* aevum *ignobile* emetiar, *ut agam vitam, non ut* praetervehar. Conf. Leonidae Tarent. ep. XII. Anall. Brunck. T. I. p. 222. Ergo etiam Tibullum Paupertas traducere poterat *per* vitam inertem. Sed constructio, qua usus est, hanc interpretationem admittere non videtur. Exstat locus simillimae structurae apud Martialem I. 54.

Una est in nostris tua, Fidentine, libellis
Pagina, sed certa domini signata figura,
Quae tua traducit manifesto carmina furto.

6. *Dum meus assiduo luceat igne focus*] Sic Cod. Lips. Ed. min. a. 1472. etc. usque ad Scaligerum, inconstantem tamen editorem. Nam in Edd. 1577 et 1582. admisit *exiguo*, addens: quae germana est lectio. Contra ea in Ed. 1600. reposuit *assiduo*, addens: Vetusta vero excerpta huius poetae habent non *assiduo*, sed *exiguo*, quae *fortasse* germana est lectio. Ergo obtemperantes habuit posterioris aevi Edd. quos noverim, omnes, donec tandem Vulpius non minus inconstanter a. 1710. ederet *exiguo*, a. 1749. *assiduo*, quod rursus expulerunt Voss. et Wunderlich. Magni momenti est inscriptio, quam in extrema pagina descripsi, ex qua Burmannus Anthol. Lat. T. II. p. 23. pentametrum profert commentitium, pro incorrupto laudatum a censore quodam:

Tunc meus assidue luxit amice focus.

12. *florea serta*] Cod. Lips. Edd. saec. XV. Aldd. Muret. *florida*. Scaliger *florea*, ut est in Askew. Heins. aliisque apud Statium.

14. *agricolae — deo*] Ita demum Muretus edidit, confirmantibus id Askew. et Vindob. Edd. vett. cum cod. Lips. *agricolae — deum*. Unus Palat. et Ald. 1515. *agricolae — deos*.

17. *ponatur in hortis*] Heinsius adscripsit: *donatur* Falcoburg. Ita Lambinus et Fruterius. Perperam. Codd. Paris. et Lips. Ed. a. 1472. *ortis.*

18. *Terreat ut saeva*] Unus Stat. Corvin. Guelf. 3. et Monac. *et.* Nec hoc displicet Heynio. Ed. mai. a. 1472. *seva.* Voss. i. Witt. A. unus Broukh. *sceva.* Scaligeri recens et Palat. 4. *scaevas.*

19. *felicis — agri*] Cod. Lips. cum aliis *felices.* Ed. min. 1472. Venet. 1491. 93. *foelices.* Pro *agri* Dous. et Vulp. *horti.*

20. *Custodes — vestra*] Witt. B. *Cultores.* Edd. Vicent. et Reg. Lep. *nostra.* At Edd. a. 1472. cum Venett. 1491. 93. *vestra* habent. Perperam igitur scripsi, *editores primos* substituisse *nostra.* Hoc tamen Ed. Lips. apud Heynium, fortasse etiam Venet. 1475. habet.

21. *Tunc vitula innumeros lustrabat*] Cod. Lips. *uitulas in medios.* Margo *in numeros.* Ed. min. 1472. *inumeros lustrabit.*

22. *est hostia magna*] Iidem libri *parva.* Muretus non *reposuit* sed commendavit in Scholiis *magna*, quod reposuit Scaliger. Sic Dresd. et Vindob. A cod. Lips. abest *est.*

23. *rustica pubes*] Guarn. *mystica.* Eaedem voces confunduntur I. 10. 26. III. 6. 1.

24. *Clamet*] Codd. Lips. Dresd. Guarn. Goth. cum tribus libris apud Vossium *Clamat.*

25. *Iam modo non possum*] Alter Scaligeri codex vetustior, teste Heinsio ad Ald. 1515. *Possum quippe ego iam*; alter recentior, *Possum quippe ego nunc.* Scaliger ipse ait, *Quippe ego iam possum.* Quam lectionem reposuit in Ed. 1600. In Edd. 1577 et 1582. retinuerat vulgatam, *Iam modo non possum.* Hunc versum, traiectione verborum *modo* et *possum*, nisi prorsus fallor, sanatum, ita adhuc interpungendum censeo:

Iam *possum*, modo *non contentus*, *vivere parvo.*

Hac emendatione primariae sententiae propositio, quod ego desiderabam, rite excitatur et amplificatur. Hanc confirmat aliis etiam poëtis usitata oppositio adverbiorum *jam* et *modo.* Ovid. III. Fastt. 71.

Iam, modo *qua fuerant silvae nemorumque recessus,*
Urbs erat: aeternae quum pater urbis ait —

Ib. v. 283.

Atque aliquis modo *trux*, *visa* iam *vertitur ara.*

Propertius I. 18. 7.

Qui modo *felices inter numerabar amantes,*
Nunc *in amore tuo cogor habere* notam.

Lege *moram.* Ib. II. 17. 11.

Quem modo *felicem, invidia admirante, ferebant,*
Nunc *decimo admittor vix ego quoque die.*

Haec igitur traiectio, quae nullam versus vocem perire sinit, nullam verbis adfert vim, sensum autem infert clarum et perspicuum, in ordinem recipienda erat, abiecta altera, quam ex Vulpii annotatione erui: Non modo *iam possum* — Haec enim languet locutio, illa erigit sententiam. Haec prosae orationi convenit, illa poëticae. Non enim poëtae hac formula uti solent, sed scriptores pedestres, e quibus unus fucum facere possit non attendenti, Orator pro Domo c. 27. Non modo iam *nemo est tam imperitus, qui ea, quae gessi in consulatu, peccata esse dicat; sed nemo est tam inimicus patriae, qui non meis consiliis patriam conservatam esse fateatur.* Goth. *possem.*

28. *ad rivos praetereuntis aquae*] Hunc versum ita legit Franc. Puccius in Nott. MS. ad Propertium II. 32. 14. *Marone,* pro quovis poëta meridiante in aestu *sub umbra*

Arboris ad rivos lene fluentis aquae.

Martialis IX. 91.

Sic in gramine floreo reclinis,
Qua gemmantibus *hinc et inde* rivis
Curva *calculus excitatur* unda —

Virgilius Cul. 146.

His suberat gelidis manans e fontibus unda,
Quae levibus *placidum* rivis *sonat orta liquorem.*

29. *Nec tamen—pudeat—bidentem*] Colot. *Non.* A cod. Lips. abest *tamen.* Unus Broukh. *pigeat,* e v. 31. huc translatum. Vide supra ad v. 2. Multi *bidentes,* ut Heins. Lips. tres Anglicc. Dresd. Guelf. 3. et Corvin.

30. *Aut*] Excerpt. Lips. *Et.*

31. *Non agnamve—pigeat—fetumve*] Nescio, unde Heynius compertum habuerit, in Colbert. legi *Nunc.* Nil monet Broukhusius. Nec hic ad Ed. Brix. provocat. Sed hanc vidit Heynius. Colot. Vindob. Excerptt. Perr. et nonnulli Statt. Ed. Rom. et Venett. 1491. 93. *pudeat.* Vicent. et Reg. Lep. *foetumque.*

34. *de magno est praeda petenda grege*] In cod. Lips. omittitur *est.* Ed. min. 1472. et Vicent. in fine versus habent. At Reg. Lep. Venett. cum commentario Cyllen. Aldd. Muret. Scalig. Basil. 1569. etc. *de magno* est. Quae mihi adhuc vera visa est structura. Vide exempla, quae collegi ad II. 1. 46. Sic supra v. 22.

Nunc agna exigui est hostia magna soli.

Adde I. 5. 68.

Ianua sed plena est percutienda manu.

I. 8. 76.

Quaecunque adposita est ianua dura sera.

Ad quam normam legere malim apud Propertium II. 18. 8.

Desertum Eoa est passa iacere domo:

quam, quod vulgo editur, *domo est*, sicut statim v. 12.

Maturos iterum est questa redire dies.

Ovidius II. Fast. 124.

Haec mihi praecipuo est ore canenda dies.

Paullo difficilior est quaestio, an poetae veteres hanc structuram praetulerint, ubi pentameter desinit in vocalem brevem. Hic verbum *est* aliquoties in fine versus positum reperimus apud Tibullum, v. c. I. 4. 4. *culta coma* est. I. 10. 4. *aperta via* est. II. 6. 10. *facta tuba* est. Quod illis data opera factum videbitur, qui versum elegiacum e duobus dactylis vel spondeis, tum *spondeo* et *duobus anapaestis* compositum putant. Hoc manifesto spectavit Quintilianus eo loco, quem supra citavi, IX. 4. 109. eandem rem disertius explicans paullo ante §. 98. Sed hanc rationem non secutum esse Tibullum, docet magnus versuum numerus, qui vocali brevi terminantur. Collegit eos Wunderlich. ad I. 4. 4. Num igitur his similibusque locis delebimus *est?* Nullo modo. Ed. Rom. *praeda tenenda.*

37. *Adsitis — neu vos de*] Codd. Paris. et Lips. *Assitis.* Ille porro *neu vos e*, hic *ne vos e* habet. Edd. a. 1472. Vic. Reg. Lep. Venett. Aldd. *Adsitis — neu vos e.* Muretus et Scaliger, *nec vos e.* Sed *neu* vos *de* complures libri habent, idque recte reposuit Broukhusius. Excerptt. Scalig. *Vos quoque adeste dei.* De Sophronis fragmento, quod p. 25. emendavimus, exortus est vir doctus, qui scriberet, placere sibi emendationem meam, reponentis *ἀ οἰκία* pro *δοκία*, (quae mihimet ipsi valde placet) sed delendum esse articulum. Atqui si deleretur articulus, falsa esset emendatio. Phaedro, cuius locum elegantissimum citavi ad v. 39. praeivit Plautus Bacch. II. 2. 22.

Eho, an invenisti Bacchidem? — Samiam quidem.
Vide quaeso, ne quis tractet illam indiligens.
Scis tu, ut confringi vas cito Samium *solet.*

42. *avo*] Cod. Lips. *ăno.* Excerptt. Lips. Palat. quint. Guelf. 5. Monac. Vindob. et Voss. quint. *agro.* Hic tamen in margine habet *avo.*

43. *Parva seges satis est, satis est — lecto*] Consentiunt libri editi, aberrant scripti, praeter Anglic. unum. Cod. Lips. neutro

loco habet *est*. Coll. Colot. Excerptt. Perr. et Lips. *Parva satis mensa est.* Scaligeri codd. recens et vetustus cum Excerptt. Falcob. *uno requiescere lecto.* Monac. Voss. 4. et tres Anglicc. *parvo.* Broukhusius edidit *tecto*, ut est in Voss. 3. et 4. Male.

44. *Si licet, et solito membra levare toro*] *Si licet* legitur inde a Scaligero. Correxerat Muretus in Addendis. Confirmant Voss. 1. 3. 4. et Bern. Vulgo *Scilicet*, quod retinuerunt Plant. 1569. Gryph. 1573. Gebhard. 1621. Vide II. 6. 16. Est, qui malit, *Si libet.* Absurde. Nec melius Scaliger *solo* substituit, repertum, ait, in Excerptis. Ed. Rom. *solido.* Pro *levare* Stat. unus, duo Palatt. et Goth. *referre* habent. Hoc postquam omnes spreverunt Editores, tandem admiserunt Vossius et Wunderlich. Et hic quidem, *Quamquam*, inquit, *bonum est* lecto requiescere et membra levare, *num item probabis coniuncta* requiescere lecto et membra levare lecto? — Quis, quaeso, ita scripsit? Certe non Tibullus. Nam is primum *lecto* posuit, deinde *toro*, ita quidem, ut *solito* addens suaviter amplificet sententiam. Nec hoc unum idemque per se est. *Requiescere lecto* universe aliquis dicitur, etiam *duro*, *alieno;* at qui *solito* et *lecto* et *toro* requiescit, primum *suo* requiescit, deinde lecto *bene strato*, qui membra levat. *Lectus* et *torus* ita differunt, ut *λέκτρον* vel *λέχος* et *εὐνή* vel *κοίτη*. Iam Vulpius adposuit locum Ovidii VIII. Metam. 655.

in medio torus *est de mollibus ulvis*
Impositus lecto, *sponda pedibusque salignis.*

Homerus Od. ψ. 179.

ἔνθα οἱ ἐκθεῖσαι πυκινὸν λέχος ἐμβάλετ' εὐνήν.

Vide Porsonum ad Hec. 302. Ergo *torus* hoc loco non est lectus, in quo legere et scribere solebant, (quo *levandi corporis* caussa conferre se non solebant) sed lecti pulvinus. Nec mihi exemplum succurrit, quo quis dicatur membra *sua* referre toro. Apud Virgilium IV. Aen. 391. *Didonis*

suscipiunt famulae, *conlapsaque* membra
Marmoreo referunt thalamo, *stratisque reponunt.*

Caeterum non licet sine caussa idonea carmini elegantissimo obtrudere tertiam verbi eiusdem in eadem pentametri regione repetitionem. Supra legimus v. 32.

Desertum, oblita matre, referre *domum.*

Infra v. 66.

Lumina non virgo sicca referre *domum.*

Num etiam ultro inferemus hoc loco,

Si licet et solito membra referre *toro?*

46. *detinuisse*] Hoc primus reposuit Broukhusius: idque confirmant Palat. unus, Excerpt. Colot. Corvin. Monac. Voss. 2. 4. et Askew. Margo Ed. Reg. Lep. „Bonus liber Palat. *detinuisse*. Magis placet vulgata *continuisse*, quia alludit iniuriam ventorum. (Sic Handius ratiocinatur.) Cur autem *tenero?* Latet aliud aliquid.“ Nihil latet.

48. *imbre iuvante*] Excerptt. Perr. *hymbre*. Italici quidam, Guelf. 2. Voss. 1. 4. *imbre*. Reliqui *igne*. Witt. B. *levante:* margo *iuvante*.

50. *Qui — pluvias*] Ed. min. 1472. Vicent. Reg. Lep. Lips. apud Heyn. *Quis*. Omnes *pluvias* praeter Scaligeri Excerptt. quae versum interpolatum exhibent:

Qui maris et caeli nubila ferre potest.

Martialis VII. 1.

Quum pluvias *madidumque Iovem* perferre *negaret*.

51. *O quantum est — pereatque smaragdi*] Abest a cod. Lips. *est*. Idem cum reliquis *potiusque smaragdi*. Sed vulgatam, in veteri libro repertam, iam ante Broukhusium commendaverat Statius, emendans ultro *pereantque*. Horatius II. Serm. 3. 157.

Quid refert, morbo an furtis pereamve *rapinis?*

52. *Quam fleat ob nostras*] Cod. Lips. *Et* pro *Quam*. Voss. 5. *et* pro *ob*. Ab illo absunt verba *ob nostras*.

54. *Ut domus hostiles praeferat exuvias*] Monac. *Et*. Codd. Paris. Dresd. Witt. A. duo Anglicc. Ed. mai. 1472.

Ut domus exiles *praeferat exuvias*.

Zwic. 1. Ed. min. 1472. Bartoliniana apud Morellium p. VII. Vicent. Reg. Lep.

Ut domus hostiles *praeferat exuvias*.

Cod. Lips. *ostiles p̄ferat*. Voss. 2. *perferat*. Voss. 3. *praeferet*. Guarn. *proferat*. Goth. *eximias*.

57. *Non ego laudari curo*] Non solum Vicent. sed etiam Ed. princeps, Reg. Lep. Dous. 1592. Broukh. et Vulp. 1749. habent *curo*, cum codd. Paris. et Lips. At Ed. min. 1472. Rom. Venett. cum comm. Cyllen. Aldd. Muret. Basil. Scalig. *cupio*.

58. *sim quaeso*] Margo Ed. Reg. Lep. „Ms. meus chartaceus, *quasi sim*.“

59. *Te — quum venerit hora*] Cod. Lips. cum aliis, Edd. etiam Rom. Lips. Venet. 1491 — *Et spectem*. Utramque lectionem expressit Zwic. 1. *Te spectem et*. Voss. 3. *Quam spectem*. Paris. *supprema*. Hamb. et Corvin. *dum* pro *quum*. A Goth. ab-

est hora. Monet Heynius, potiorem huius hexametri partem repetitam esse ab Ausonio Ephem. Or. 72.

suprema mihi *quum venerit hora.*

Ubi Tollius, in quibusdam, ait, scriptis legi *die*, „qui genitivus antiquus quintae declinationis." Bene. Sed *die* hunc translatum videtur e simili versu Propertii II, 28. 15.

Sed tibi, vexatae per multa pericula vitae,
Extremo veniet *mollior* hora die.

60. *Te teneam*] Sic Paris. et Lips. Complures libri, Edd. a. 1472. Venet. 1475. Vic. Reg. Lep. Venett. 1491 — Aldd. *Et teneam. Te* Muret. et Scaliger. Versus his eodem modo scriptus legitur in cod. Lips.

70. *Iam veniet tenebris Mors adoperta caput*] Hamb. *Mox* pro *Iam.* Goth. *adopta.* Broukhusii chartaceus:

Iam venit in tenebris *Mors adoperta caput.*

Hic re vera Mors habet *caput adopertum.* Modo librarius Scholion adiecisset, quo appareret, quare Mors veniens *in tenebris* ultro *caput operiat.* Ut lugentes, inquit, imitetur. Scilicet. Filii v. c. *opertis*, filiae contra *apertis* capitibus in funus prodibant, (Plutarch. Quaestt. Rom. T. II. P. I. p. 92. Wyttenb.). Num vero Mors *luget*, ubi aliquis moritur vel effertur? Immo vel maxime laetatur. Cur igitur caput operiat, ut illi? Gerrae. Mors caput tenebris adopertum habet, *quia non cernitur*, sicut vicissim Oedipus,

ὁ τῶν ἀδέρκτων ὀμμάτων τητώμενος,

caput tenebris opertum habebat, *quia nihil cernebat*, apud Senecam Phoen. 233.

cur caput tenebris grave
Non mitto ad umbras Ditis aeternas?

Incedit autem *Mors*, sicut *Somnus* apud Homerum Il. ξ. 282. et δαίμονες omnes apud Hesiodum O. et D. 124.

ἠέρα ἑσσάμενοι.

Non igitur mirum, Mortem et Somnum, quoniam ipsi incedunt nube, tamquam *velo*, involuti, morientes etiam et dormitantes nube operire, tamquam *veste.* Tibullus III. 4. 55. Homerus Il. π. 350.

Θανάτου δὲ μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψεν.

71. *Iam subrepet — nec amare decebit*] Cod. Paris. uterque Witt. *surrepet.* Unus Anglic. *surrepit.* Pro *nec* Witt. C. unus Broukh. tres Anglicc. Guelf. Hamb. et Lips. *neque amare*, quod Editio nulla habet. Vide II. 4. 43. Pauci libri (unus Broukh. duo

Anglicc. Dresd. Zwic. 1. Askew. Bern.) *licebit.* Hoc Edd. veteres expresserunt, certe Ed. min. 1472. Venet. 1475. Reg. Lep. et Lips. apud Heynium. *Decebit* habent Venett. 1491 — Aldd. et sic porro, nisi forte Gebhardus in Ed. Hanov. 1618. reposuit *licebit.* Nam Broukh. scribit: Gebhardus ex uno Palat. et Comelin. membranis *licebit* reponit. Ed. Francf. 1621. habet *decebit.*

72. *capite*] Sic Ed. min. 1472. et Bartoliniana apud Morellium p. VIII. — Ed. princeps, Vicent. Reg. Lep. etc. cum codd. tribus Guelff. Zwicc. et Lips. *capiti*, quod expulit Scaliger. Vide II. 1. 8.

74. *rixas inseruisse*] Nemo, inquit, *rixas inseruisse* dixit pro *serere.* At dixit Livius XXXV. 17. *Admissi plures, dum suas quisque nunc* querelas *nunc* postulationes inserit, *aequa iniquis miscentes*, e disceptatione altercationem *fecerunt.* Mera est interpolatio *conseruisse.*

78. *Despiciam dites*] Edd. a. 1472. Vic. Reg. Lep. etc. cum cod. Lips. aliis, *Dites despiciam.* Primus, quod sciam, Dous. a. 1592. edidit *Despiciam dites*, quod habet Paris. alii.

ELEGIA II.

1. *novos — dolores*] Aldinam 1515. quae *graves* habet, sequuntur Muret. Basil. Plantin. (1569) Gryph. (1573) Gebhard. 1621. Vulp. 1710. Statius: „Magno omnes consensu libri veteres pro *Graves*, *Novos*, id est, maximos, mirabiles." Muretus in quibusdam libris invenerat *novos* compesce *furores.* Sic Hamburg.

3. *perfusum tempora*] Margo Ed. Reg. Lep. „Ita libri praeter unum, qui *percussum.*" Habent hoc libri multi, Editio nulla.

4. *amor*] Zwic. 1. et Voss. 5. Edd. Reg. Lep. Lips. apud Heyn. Ald. 1515. Basil. Plant. Gryph. *amans.*

5. *nostrae — puellae*] Unus Broukh. *mater — puellae.* Hoc idem est in cod. Lips. et Ed. min. 1472.

6. *dura ianua fulta sera*] Omnes ante Broukhusium factae Edd. pro *fulta* habent *firma*, quod reposuit etiam Vulpius. Sed Broukhusius e libris Statt. Murett. duobus Heinss. et Excerptt. Pocchi recte substituit *fulta.* Excerpt. Perr. *fulcta.* Locus corruptelam contraxit e simili versu I. 8. 76.

Quaecunque adposita est ianua dura sera.

Al. *firma* sera. Ovidius A. A. 245.

Atque erit apposita ianua fulta sera.

7. *Ianua difficilis dominae*] Cod. Paris. cum aliis, Ed. mai. 1472. Vic. Reg. Lep. Scalig. — Broukh. Vulp. Heyn. *domini*. Ed. mai, 1472. Reg. Lep. (Vic.) Venett. 1491 — hoc loco et infra v. 32. *hymber*.

10. *Neu furtim verso*] Sic cod. Paris. Lips. Ed. min. 1472. Scaligg. Alii libri *Nec*. Sic Ed. mai. 1472. Venet. 1475. etc.

13. *decet — voce*] Bern. *iuvet*, et ab alia manu *nocte*, ut Paris. in margine.

16. *Audendum est*] Lacuna, quae est in Ald. 1515. altera manu expleta est sic: vacat V. C. altera, quae ipsius Perreii videtur: et in cod. ipso M. sic est:

Audendum est: fortes adiuvat ipsa Venus.

17—18. *seu quis—tentat, Seu reserat*] Ed. min. 1472. *tentet — reseret*. Haec Editio eadem est, atque illa, de qua agit Andiffredus p. 440. Ergo Balbus vel hanc secutus est, vel Bartolinianam.

19. *descendere lecto*] Cod. Lips. Edd. Vic. Reg. Lep. Venett. etc. *decedere*. Ed. min. 1472. *discedere*. Monac. et Voss. 3. *descendere*.

21. *coram mutus conferre*] Lips. *quoram*. Unus Broukh. et Guelf. 2. *vultus*. Statius: In veteribus libris etiam *Proferre* pro *Conferre*.

22. *abdere — notis*] Lips. et Ed. min. 1472. etc. *Addere*. Statius: Est in veteribus non *Addere* sed *Abdere*. Pro *notis* unus Broukh. *modis*. Guarn. in marg. *iocis*.

23. *Nec docet hoc omnes*] Askew. *Haec*. Lips. *Haec decet*. Ed. min. 1472. *Nec decet hoc omnis*. *Decet* etiam Edd. Brix. Venett. 1491. 93. Aldd. Sed Statius: In veteribus libris erat, *Docet*. Sic Venet. 1475. Vic. Reg. Lep.

25 — 26. *En ego cum tenebris — ipsa Venus*] Ed. Rom. *quin*, id est, ait Heynius, *qui in tenebris*. Quod pentametro non respondet. Ergo erit pro *quum in*. Lucretius II. 5.

Omnis quum in tenebris *praesertim vita laboret*.

Ib. mox v. 55. *In tenebris — in luce*. Cod. Lips. *En ego tenebris*. Ed. mai. 1472. Reg. Lep. Venett. 1491 — *quum tenebris*. Ed. min. et Vicent. *eum tenebris*. Huic hexametro etiam cod. Lips. et Ed. min. 1472. pentametrum subiungunt Aurispae:

Securum in tenebris me facit esse *Venus*.

Sic etiam Vicent. Reg. Lep. et Ald. 1515. Perreius contra adscripsit *illa*. Infra idem ita:

„*Usque meum custos ad latus haeret Amor*.

Hunc versum reposuit Pontanus. Omnes enim antiqui codd. carent hoc versu; et ille *Securum* vs. qui legitur, ut iste Pontani, suppositilius. et Aurispae ascribitur." De pentametro igitur res certa. Nec reposui hexametrum, quia omittitur in Vindob. et Bern. quod confirmat Scaligeri crisin.

occurrat —

25—26. *Nec sinit — Vulneret — petat*] Totum hoc distichon abest ab uno Anglicano. Alter habet *Verberet*. Goth. *Ut veret*. Dresd. *accurrat*. Idem *vulnera* pro *praemia*. Duo Broukhus. Voss. tres et Bern. *ferat*. Adeo in uno versu delirarunt librarii. *Verberet* huc translatum videtur ex Ovid. IV. Metam. 726.

falcato verberet *ense*.

Vulnera repetitum e verbo *Vulneret*. *Ferat*, quod Broukhusius et Vulpius reposuerunt, ex aliis locis. Sed *petat* exquisitius. Tibullus I. 1. 34. Propertius III. 13. 46. *Praemia* eleganter de praeda et rapina. Unde *praemiatores* dicti praedones nocturni, monente Broukhusio. Prorsus autem abiiciendum *accurrat*. Infra I. 6. 41. *Quisquis et* occurret —.

28. *Qualibet — non timuisse decet*] Nonnulli libri *Quolibet*. Vindob. et Corvin. *Quaslibet*. Unus Stat. Voss. 3. et Askew. *nec*: quod tueri conatur Wunderlich. nihil expediens. Palat. quintus *tenuisse*, quod cum *timuisse* confunditur etiam I. 3. 18.

Saturni aut sacram me tenuisse *diem*.

Pro *decet* Pocchi, Perr. et Lips. Excerptt. *iuvat*.

33. *Parcite — seu — fias*] Sic Ed. min. 1472. Vicent. Aldd. etc. Codd. Lips. Thuan. et Vindob. *fiet*. Excerptt. Perr. Edd. Venet. 1475. Reg. Lep. Venett. 1491 — eum codd. Zwiec. Guarn. et Hamb. *fiat*. Cui lectioni adscripsit Wunderlich. „Etiam I. 6. 39. secundam personam *colis* in tertiam oscitantes corruperunt librarii." Sed ibi non oscitarunt librarii.

35. *Neu — terrete*] Lips. et Dresd. Ed. min. 1472. Reg. Lep. et Ald. 1502. *Nec*. Vicent. et Ald. 1515. *Neu*. Conf. I. 4. 39—41.

37. *adspexerit*] Cod. Lips. Edd. 1472. Vic. Reg. Lep. Venett. *aspexerit*. Ald. 1502. *spexerit*.

38. *omnes*] Ed. min. 1472. *omnis*.

40. *e rapido sentiet — mari*] *Rapidum mare* bis posuit Tibullus IV. 1. 126 et 193. Excerptt. Pocchi et tres Italici *rabido*. Witt. B. Dat. Guelf. 4. Askew. Edd. Brix. Venett. 1491 — Ald. 1502. *sentiat*. Vide III. 6. 26.

44. *Fluminis — rapidi — vertit*] Hanc lectionem confirmant

Ed. min. 1472. Venet. 1475. Reg. Lep. Venett. 1491 — *Fulminis* intulit Aldus, idemque expresserunt Basil. Plant. Gryph. Broukh. Vulp. et Wunderlich. Habent Voss. quatuor, Askew. et Lips. Statius contra: „Magno consensu libri veteres non *Fulminis* sed *Fluminis*.“ Hoc revocarunt Muretus, Scaliger, Dousa — Excerptt. Perr. *fluminis* Pon. Cod. Lips. *rapidi — uertat.*

46. *Elicit et tepido devocat*] Paris. *Ellicit.* Gnelf. 4. Zwicc. Excerptt. Perr. Edd. Brix. et Venett. 1491 — *devorat*, et pro *tepido* Askew. et Lips. *trepido.* Ovidius I. Tristt. 5. 12. Spiritus

Ibit et in tepido *deseret ossa* rogo.

Silius Ital. VIII. 55.

Et tepido *fugit Anna* rogo.

47. *Iam tenet — catervas*] Sic Paris. Alii, ut Lips. Edd. a. 1472. Vic. Reg. Lep. Venett. 1491 — Aldd. Muret. Basil. Scalig. Dous. *ciet*, quod praetulit Vulpius. Broukh. Heynius, Vossius etiam *tenet*. Hic tamen in commentario tuetur *ciet*. Statius: Omnes fere veteres libri non *ciet*, sed *tenet*, quod probandum videtur propter id, quod addit, *Referre pedem.* Excerptt. Lips. *Haec tenet — catenas.* De emendatioue *strepitu* pro *crepitu* vide II. 5. 73.

51. *malas Medeae herbas*] Nunc etiam reperta est Editio, eaque omnium praestantissima, quae expressit commendatam a me lectionem *artes*. Nempe Ed. min. a. 1472. habet:

Sola tenere malas *Medeae dicitur* artes.

52. *Hecatae*] Eadem Editio *hecate*, id est, *hecatae.* Cod. Lips. *echate.* Paris. *Hecatae.* Voss. duo *echates.* Cyllenius in Comment. *hechates.* Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep. Venett. 1491 — Aldd. Muret. Scaligg. etc. *Hecates.*

53. *queis — posses*] Edd. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Ald. 1502. *quis.* Ald. 1515. Muret. Scalig. *queis.* Venett. 1491 — *qs.* Cod. Lips. *qs — posset. Posset* est etiam in Voss. 2 et 3. Quintus *possem.* Primus *possis.*

54. *Despue*] Lips. Excerptt. Perr. cum aliis, Edd. Venett. 1491 — *expue.* Quibusdam in libris *exspue.* Sic Edd. Rom. Brix. At Witt. A. Laud. unus Anglic. *conspue.*

56. *si in molli viderit ipse toro*] Sic cod. Paris. Ed. mai. 1472. et Vicent. At Reg. Lep. *si in moli.* Cod. Lips. *sm in molli.* Iidem libri habent *ipse.* Ed. min. 1472. et Bartoliniana apud Morellium p. VIII.

Non sibi, *si in molli viderit* esse *toro.*

Nescio, unde venerit in Ald. 1515. *esse sinu*, quod postea expresserunt Basil. 1569. Plaut. (1569) Gryph. (1573). Perreius adscripsit: *ipse thoro.*

57. *Tu tamen — cuetera cernet*] Nonnulli Statt. Excerptt. Perr. Guelf. 1 et 4. Zwic. 2. Ed. mai. 1472. Venett. 1491 — *Tu tantum.* Ed. min. et Reg. Lep. *Tu tamen.* Omnes *caetera.* Hamb. *noscet* pro *cernet.*

58. *ipse nihil*] „Vulgo *esse.*" Nempe inde ab Aldd. usque ad Vulp. a. 1710. excepta Ed. Mureti. Cod. Lips. Excerptt. Perr. et Edd. veteres *ipse*, quod revocavit Broukhusius.

59. *Quid — haec — se*] Excerptt. Perr. *Quin.* Pronomen *haec* abest a Voss. 1. Pro *se* Askew. *si.* Ed. min. 1472. *sibi.*

60. *solvere*] Statius: Erat in veteri libro *Fallere* non *Solvere.*

63. *Non ego totus abesset*] Ab Edd. Reg. Lep. et Lips. apud Heynium abest *ego.* Cod. Dresd. *Non totusque abesset.* Ald. 1515. substituit *ut.* Sic Muret. Basil. Plantin. Gryph. 1573.

64. *Orabam*] Liber Laud. et pro diversa lectione Witt. *B. Optabam.*

65. *quum posset*] Ed. min. 1472. et Vicent. *cum.* Venet. 1475. Reg. Lep. et Venett. 1491 — *quom.* quod habet, nisi fallor, Paris. At Lips. *ɔpossit.*

66. *Maluerit*] Paris. *Malluerit.* Etiam apud Ciceronem Or. I. 7. pro *socer eius qui* fuerat, sunt qui legant *fuerit.* Sed illud recte tuetur Heusingerus ad Cicer. III. de Off. 21. 4. quamquam caussam afferens ambiguam.

67. *Cilicum*] Cod. Lips. *scilicum.*

68. *capto castra*] Dresd. *campo.* Heins. cod. *rapto* pro *capto.* Ed. min. 1472. *castro* pro *castra.*

71. *modo sim — possim*] Eadem Editio, Vicent. Reg. Lep.

Ipse boves mea si tecum modo Delia possem.

Cod. Lips. *volo Delia possim.* Venett. 1491 — *possum.* Scaliger *sim* pro *si.*

72. *et in solo*] Cod. Lips. Ed. min. Vic. Reg. Lep. Venett. Aldd. *insolito.* Muret. *in solito.* Ed. Rom. *solido.* Scaliger *solo.* IV. 13. 12.

et in solis *tu mihi turba* locis.

Gellius IX. 9. *apud Homerum quidem virgo Nausicaa ludibunda inter familiares puellas* in locis solis *recte atque commode confer-*

tur cum Diana venante in iugis montium inter agrestes deas. Terentius And. II. 5. 3.

Venit meditatus alicunde ex solo loco.

73. *dum liceat teneris*] In hac structura consentiunt Edd. veteres. Alteram, quam habet Cod. Lips. *dum teneris liceat*, intulit Scaliger, rursus expulit Broukhusius, sequentibus Vulpio, Heynio, Wunderlichio.

74. *Mollis in inculta*] Lips. Edd. Vicent. Venett. Aldd. Scalig. *et inculta.* Reg. Lep. *et in culta*, quod placere potuit Mureto. Ed. min. a. 1472.

Mollis et in cultus *sit mihi somnus humo.*

Perreius adscripsit: „*in* Pon.“ Statius: In veteribus nonnullis omnino melius,

Mollis in inculta *sit mihi somnus humo.*

Sic alibi *pedes* dicit *incultos* (I. 7. 56.). — Ovidius in II. de A. A. in eandem prope sententiam, in quam Tibullus:

in inmunda *ponito corpus humo.*

76. *Prodest, quum*] Ed. Reg. Lep. *Prodest: cum fletu.* Edd. Venett. 1491 — *quom.* Rursus Cod. Lips. *Prodest ɔfletu.*

72. *tum plumae*] Sic Ed. min. 1472. At Venett. cum comment. Cyllen. *tunc pluviae.* Cod. Lips. Edd. Vic. et Reg. Lep. *tunc plumae.*

78. *possit*] Codd. Paris. Lips. Edd. a. 1472. etc. *posset.* Recte Scaliger *possit*, ut est in Goth. Hamb. aliis. I. 8. 1. *Non ego celari* possim.

80. nunc — luit] Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. et Lips. apud Heyn. cum Guelf. 2. et paucis aliis *num.* Pro *luit* cod. Scalig. et duo Anglicc. *tulit.*

82. *deripuisse*] Cod. Lips. Ed. min. 1472. *dirripuisse.* Vicent. Reg. Lep. Aldd. Muret. Basil. *diripuisse.* Edd. Rom. et Venett. Brix. et Stat. *eripuisse.* Vide I. 10. 60. Recte Scaliger reposuit *deripuisse.* Ita Plantin. (1569) et Gryph. (1573).

85. *genibus perrepere*] Duo libri *pedibus.* Codd. Guelff. 1. 2. 4. Excerptt. Perr. et Cyllenius in Comment. *prorepere.* Hoc distichon praepositum legitur superiori in Ald. 1515. Stat. Muret. Basil. 1569. Scaligg. Plantin. Gryph. Gebhard.

88. *Mox tibi non vanus saeviet*] Sic Cod. Lips. tres Broukh. Witt. A. liber Ursini, duo Anglicc. Palat. secundus, Edd. Rom. Aldd. Muret. Basil. Plant. Gryph. Gebh. Et sic etiam Ed. min. a. 1472.

Mox tibi non vanus scaeviet *usque deus.*

Atque hae Edd. certe, quas viderim ipse, nostram etiam habent interpunctionem. Iam vocem *vanus* alii mutarunt in *unus*, ut erat in libris Statt. Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. Scaligg. — Vulp. alii in *uni*. Excerptt. Perr. „uni V. C. at unus.“ Hae lectiones manifesto ortae sunt per correctionem e mendosa scriptura *uanus*. Atqui nihil frequentius est confusione vocum *vanus* et *vacuus*. Vide III. 4. 68. *Non vacuus deus* quam recte dicatur Amor, et huic loco convenienter, demonstravi supra. Nullus igitur dubito, quin scripserit Tibullus:

Mox tibi non vacuus *saeviet usque* deus.

89. *qui iuvenum*] Ed. Reg. Lep. ut princeps, *iuvenem*. Omnes *lusisset*.

94. *detinuisse*] Ed. min. 1472. *detenuisse*.

95. *circumterit arta*] Eadem Editio *circumvenit arcta*, ut est in uno Broukh. uno item Gebhardi. Aldd. Muret. Basil. Gryph. Plantin. Dous. *circumstetit*. Sic Colb. At Scaliger: suspicor legendum esse, *circumstrepit*. Et hoc in contextum intulit.

97. *tibi dedita servit Mens mea*] Unus Stat. Edd. Venet. 1475. Reg. Lep. cum Excerptt. Pocchi *debita*, quod, falso ait Broukhusius, legi apud Cyllenium. Nam et commentarius Cyllen. et Edd. 1491. 93. habent *dedita*. Sic etiam Edd. a. 1472. Vicent. Aldd. etc. Eadem verba confunduntur infra II. 5. 11.

Tu procul eventura vides: tibi deditus *augur*.

Porro Scaliger primus edidit *serviit*, quod imitati sunt Ianss. Gabb. Broukh. Vulp. 1749. Heyn. a. 1755. Hoc in versu non ferendum. Idem Scaliger alteram scripturam *servit*, *abit*, et similium, stultissimam dicit paedagogorum *περιεργίαν* in Epist. 357. monente Heinrichio ad Ciceronis Orationum pro Scauro etc. Fragmenta, edita nuper e codice antiquissimo, qui simpliciter exhibet *abit* pro *abiit*, ut *petit* apud Virgilium IX. Aen. 9. *obit* apud Iuvenalem VI. 559. Tutius erat, hanc scripturam sequi quam illam, quum praesertim *servit* eodem iure sumi possit hoc loco pro praesente tempore, quam pro praeterito. Edd. vett. ad unam omnes *servit*.

ELEGIA III.

4. *Mors, precor, atra, manus*] Cod. Lips. Ed. min. 1472. Vicent. Scaligg.

Abstineas avidas mors modo nigra *manus*.

Uterque Witt. unus Palat. duo Anglicc. Excerptt. Perr. Edd. Rom. Brix. Venett. 1491 — Ald. 1502. Dous.

Abstineas avidas mors violenta *manus.*

Land. unus Palat. Excerptt. Pocch. et Lips. Edd. Venet. 1475. Reg. Lep. Ald. 1515. Muret. Basil. Plant. Gryph. vulgatam habent. Est haec sine dubio elegantior lectio, propagata a Broukh. Vulp. et Heynio. Formulam ipsam ad Fortunam transtulit Seneca Consol. ad Polyb. c. 32. *Abstine ab hoc manus tuas, Fortuna.* Caeterum monuit me Bardilius, vir humanissimus, in explicando loco Propertii I. 9. 29. mecum convenire Waardenburgium Opuscc. p. 198. vindicantem etiam Homero χεῖρας pro Κῆρας.

7. *odores*] Witt. B. *honores*, in margine *odores.*

9, *Delia non usquam*] Omisi verbum *est*, quod tum a nullo Editore admissum videram, nisi ab Heynio a. 1798. effingente id e lectione Cod. Guarn.

Delia non usquam, et quae me cum —

hanc ob caussam, ne *quam*, bis se excipiens, offendat aurem. Quod per se nullius est momenti. Lucretius III. 985.

Respice item, quam *nil ad nos* ante *acta vetustas*
Temporis aeterni fuerit, quam *nascimur* ante.

Nunc *est* expressum reperio in Ed. min. 1472. cui libro tantum tribuo, ut, si maturius mihi allata esset Collatio, idem et ipse reposuissem. Exstat in Corvin. Vindob. Hamb. — Cod. Lips. *quae me* *mitteret orbe*, id est, *cum* vel *quom mitteret*, quod habent Edd. Venett. 1491 — et Witt. A. *Quam* reposuerunt Broukh. et Vulpius Ed. 1710. Recte. Vide IV. 7. 8. Sic *quam prius* pro *prius quam* posuit Propertius II. 18. 9. *priusquam — prius* Apuleius Florid. p. 559. priusquam *tibias occiperet inflare*, prius *de se et Apolline quaedam deliramenta barbare effutivit.* Vide Burmannum ad Propert. III. 19. 5.

10. *consuluisse*] Ed. mai. 1472. *consoluisse.* Vicent. *consuevisse.*

11. *sustulit: illi*] Paris. Lips. et Laud. *substulit.* Pro *illi*, monente Statio, veteribus in libris *ille*, v. c. in Goth. et Passerat. libro, qui hinc *illae* formabat.

12. *Retulit — omina certa*] Edd. a. 1472. etc. *Rettulit.* Reg. Lep. *Retullit.* Codd. Paris. et Lips. *Retulit*, ille porro *omina*, hic *omnia* habet cum multis, etiam Edd. a. 1472. Venet. 1475. Brix. Reg. Lep. Venett. 1491 — Aldd. Muret. Basil. Plant. Gryph. Gebhard. Est haec sane notabilis lectio, certe latina, fortasse vera. Nam *omnia certa referre* ita dicitur, ut v. c. apud Horatium I.

Carm. 18. 5. *omnia dura proponere;* apud Ovidium V. Fastt. 153. *omnia tuta praestare;* apud Terentium And. I. 1. 69. *omnia bona dicere;* apud Propertium III. 4. 9. *omnia fausta canere.* Ubi alii legunt *omina.* Tacitus II. Histor. 74. *Miles ipsi adeo paratus, ut praeeuntem sacramentum et* fausta *Vitellio* omnia precantem, *per silentium audierint.* Ubi Freinshem. corrigit *omina.* Sed recte Ernest. *precando bene ominamur, et omina facimus:* sed non precamur omina, *ut opinor.* Ib. c. 80. laeta omnia *et adfluentia excepit.* Una Ed. Vicent. habet *omina*, quod revocavit Scaliger.

13. *reditus*] Liber Laud. Ald. 1515. Muret. Basil. Plant. Gryph. Dous. *reditum.* Venett. 1491 = *redditus.*

13—14. *est deterrita numquam Quin — respiceretque*] Ed. min. 1472. *nusquam*, ut Reg. Lep. — Wittianus B. et Hamb. *quicquam.* Excerptt. Perr. cum uno et altero libro, *tamen haud deterrita frustra est.* Porro *Quin* primum comparet in Ald. 1502. et 1515. Confirmant sex libri apud Vossium. Cod. Lips. *Com.* Ed. min. 1472. Venet. 1475. Brix. Vicent. Reg. Lep. *Cum.* Pro *respiceretque* unus Anglic. *prospiceretque.* Laud. Ursin. Anglic. unus *despiceretque.* Zwic. 1. *respueretque.*

17. *aut omina dira*] Paris. Ed. min. 1472. Vicent. *dant omina dira.* Cod. Lips. *dant omnia driae*, pro *dirae.* Nam in Guelf. 2. adscripta est lectio: *aves dare numina* diras. Reg. Lep. *dant omnia*, ut v. 12.

18. *Saturni aut sacram me tenuisse diem*] Abest *aut* a Corvin. Lips. et, nisi fallor, Paris. item ab utraque Ed. a. 1472. Rom. Vicent. Venett. 1491. 93. Aldd. Exstat *in* Venet. 1475. et Reg. Lep. Reposuit post Muretum Scaliger in Ed. 1600. Quid antea ediderit, supra indicavi. Iam libri illi omnes habent *tenuisse*, etiam Excerptt. Perr. et Edd. Venett. 1491. 93. At Cyllenius scribit: „*Timuisse* diem Saturni: Sabbatum intelligit: qui dies *itinerantibus* exitiabilis est." Dicunt sane etiam Romani, ne forte quis erret, *legem timere* pro *observare*, et *metum* ponunt de religioso cultu. Vide infra v. 51. et I. 6. 75. Sallustius Catil. 51. *qui convenit, in minore negotio* legem timere, *quum eam in maiore neglexeris?* Ubi Edd. ante Cortium e libro Merseb. arripuerunt *observare.* Hinc patet, falsam esse lectionem, quam nuper e libro quodam MS. Fea ad Horatium II. Epistt. 1. 153. obstrudere conatus est Propertio IV. 11. 42.

Me neque censurae legem metuisse, *nec ulla*
Labe mea nostros erubuisse focos:

pro *mollisse*. Ita enim Cornelia, timida deorum, sibi ipsa repugnaret. Enimvero diem Saturni vel *sabbatum timere* non est Romanae consuetudinis, sed Iudaicae. Interpres Alexandrinus Levitt. XIX. 30. *τὰ σάββατά μου φυλάξεσθε καὶ ἀπὸ τῶν ἁγίων μου φοβηθήσεσθε· ἐγώ Κύριος.* Vulgat. Interpret. Sabbata *mea* custodite *et sanctuarium* metuite; *ego Dominus.* Accedit, quod *tenuisse* et *timuisse* confunduntur etiam supra I. 2. 28. et apud Propertium II. 10. 14.

et Crassos se tenuisse *dolet.*

19. *O quoties*] Edd. veteres ante Ald. libri etiam complures, ut Paris. et Lips. *O quotiens.*

21. *ne quis discedere*] Iidem libri et Ed. min. 1472. *neu quis.* Ald. 1502. *discedat.*

23. *Isis mihi*] Codd. Lips. et Voss. 1. *hysis tibi.* Etiam Edd. vett. *tibi.* Emendavit quidem Scaliger, nec tamen in textum intulit *mihi.* Fecit hoc Broukhusius. Habet Paris. cum libris multis. Propertius II. 33. 17. ad Isidem:

Quidve tibi prodest, *viduas dormire puellas?*

24. *toties aera*] Paris. Lips. Edd. veteres *totiens.* Pro *aera* Brix. et Venett. 1491. 93. Muret. Plant. Gryph. *sistra.* Excerptt. Perr. *sistra* V. C.

26. *secubuisse*] Vindob. Hamb. et Ed. 1472. *succubuisse.*

29. *Ut — votivas persolvens — voces*] Sic Paris. Lips. Edd. veteres, excepta una, omnes. Multi libri *persolvat.* Guelf. 2. *Et — persolvet.* Cyllenius praescripsit: *Votivas pces*: aut periphrasticos vota intelligit: aut verba deprecatoria. *Preces* tamen metrum non admittit. Scaliger: In infimae vetustatis libro *Et* non *Ut.* Magnum autem mendum est in hoc versu *voces* pro *noctes*:

Et *mea votivas* persolvat *Delia* noctes.

Edidit tamen *persolvens.* A veteri lectione prorsus discessit Vulpius, Criticus minime audax, cuius non memini unam me in contextu reperire emendationem propriam. At hoc ille loco summa cum confidentia scripturam intulit hanc:

Ut mea votivas persolvens Delia poenas.

addens: „Mulctam videlicet, quam sibi puella voto imposuit. Non placet *votivas noctes*, nempe secubitum aliquot noctium; fit enim continuo mentio de sessione. Laudes vero — non de nocte canebantur. Sed neque *votivas voces* — durum enim censeo, neque Latinum satis.“ Nihil amplius. Semper ego hanc miratus sum Vulpii confidentiam. Nunc miror etiam levitatem. Nam adsumpsit

ille hanc lectionem, non monito lectore, ex Ed. min. a. 1472. quam eum in manibus habuisse nemo nunc dubitaverit. Illa autem Editio versum ita exhibet sola:

Ut mea uotiuas persoluat *delia* paenas.

Nec tamen probabilis est haec lectio, orta, nisi fallor, e I. 9. 13.

Iam mihi persolvet poenas.

33. *At — patrios*] Ed. min. 1472. *Ut.* Ed. Rom. et Venett. 1491. 93. *primos.* Ita Anglic. unus. Statius, In Vaticano est *Ac* non *At*, et in extremo margine pro *Ac*, *Fac*, nec id, opinor, inscite.

36. *Tellus in longas est*] Zwic. 1. *Tellus et in.* Lips. *in longasq3 pactefacta.* Uuus Broukh. tres Voss. *sit.*

37. *Nondum caeruleas — contempserat*] Ed. min. 1472. *Non ceruleas*, omisso *dum.* Edd. Vic. et Reg. Lep. *Nundum.* Omnes ante Dous. 1592. Plant. 1569. Gryph. 1573. *contempserat.* Guelf. 2. *conscendcrat.* Conf. Antiphili ep. 24. Anall. Brunck. T. II. p. 173.

38. *Effusum — praebueratque*] Paris. *Effussum.* Lips. *Efussum.* Porro Witt. A. Laud. quatuor Anglicc. et Hamb. *praebueratve.* Hoc nulla Editio expressit. Recte. Conf. II. 3. 12.

42. *frenos*] Edd. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. *fraenos.*

45. *Ipsae — ddbant — ultroque*] Ed. min. 1472. *Ipse* mella *dabat.* Alterius hemistichii pars extrema abest ab Ed. mai. 1472. et Reg. Lep. quae hunc locum ita exhibent:

Ipsae mella dabant quercus: non bella nec enses
Obuia securis ubera lactis oues
Non acies, non ira fuit: non bella: nec ensea
Immiti saevus duxerat arte faber:

Vide similem confusionem infra II. 1. 86 — 88. *Ensem* pro *enses*, quod habet Lips. primum expressum reperio apud Muretum. Paris. *ensem.*

47. *Non acies, non ira fuit*] Virgilius VII. 461.
Saevit amor ferri *et scelerata insania* belli,
Ira *super.*

49. *nunc vulnera semper*] Hanc lectionem prima exhibuit Ed. min. a. 1472. deserta a reliquis omnibus, donec tandem eam aliunde revocaret Broukhusius, scribens: „Venusta est repetitio, quam ex Angeli Colotii codice et nonnullis aliis Achilles depromsit, *nunc vulnera semper.*" Habent veram hanc scripturam ultro quatuor

libri apud Voss. et Zwicc. apud Wunderlich. Quis enim ferat, quod substituere placuit Lachmanno ad Propertium II. 1. 20. *caedes* et *vulnera:* apertum *Nunc mare?* Respondent sibi *semper* et *repente.* Cum hoc et similibus locis comparandus est Cicer. Philipp. IV. 5. *Nullus ei ludus videtur esse iucundior*, *quam* cruor, *quam* caedes, *quam ante oculos* trucidatio *civium.*

50. *nunc leti mille repente viae*] Sic Cod. Paris. Mendosissime Lips.

Nunc mares et lete mille repte viae.

Perreius Aldinae adscripsit: „Vetus codex habet *repertae*, *sed* syllabarum ratio refragatur." Alia manus, *lethi* V. C. Nempe Ald. habet *leti.* Vicent. *laeti.* Caeterum Edd. veteres in recepta lectione consentiunt, quae utique est sanissima. Wunderlichius in contextum intulit:

nunc leti *multa reperta via.*

At in Observatt. locum ita refinxisse malit:

nunc leto *mille repente viae.*

Utrumque invitis Musis. Illic recte reposuit *leti via*, male *multa reperta:* hic male *leto viae*, recte *mille repente.* Hoc satis supra illustratum. *Leti vias* unice commendat Consuetudo. Virgilius III. Georgg. 482.

Nec via mortis *erat simplex.*

Propertius III. 7. 44.

Terra parum fuerat: fatis adiecimus undas;
Fortunae *miseras auximus arte* vias.

Hinc, constructa Argo, gaudent apud Val. Flaccum I. 501. *vias* sibi crescere *Parcae.* Propertius III. 7. 29.

Ite rates curvas et leti *texite* caussas.

Tamen idem scripsisse videtur II. 1. 19.

— *ut* coelo *Pelion esset* iter.

non *coeli.* Vide Broukhusium. Apuleius VI. p. 112. *sive celsae Carthaginis*, *quae te virginem vectura leonis* coelo commeantem *percolit*, *beatas sedes frequentas.*

54. *Fac lapis his scriptus*] Rursus Ed. praestantissima a. 1472. quam Minorem dico, ante Broukhusium, exhibuit lectionem verissimam:

Fac lapis his scriptus *stet super ossa notis.*

Intermediae omnes vel *inscriptis* habent vel *in scriptis.* Askew. *inscriptus.*

55. *consumptus morte*]. Cod. Lips. *more.* Vide IV. 1. 73. Datianus et Voss. 5. *amore.*

58. *campos ducet ad Elysios*] Sic Ed. min. 1472. Rom. et Venett. 1491. 93. quae *helysios* habent. At Cod. Lips.

Ipsa Venus campos ducet in esilios.

In habent libri complures, pares fere numero illis, qui *ad* habent, Edd. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Aldd. Basil. Plant. Gryph. Scalig. Dous. — Broukhus. Vulp. Heyn. in Edd. a. 1755. et 1777. Idem in Ed. tertia reposuit *ad*. Porreius, *ad* V. C. Eadem confusio obsidet libros in ep. Domit. Marsi:

Mors iuvenem campos misit in *Elysios*.

Vix dubitandum, quin alter scripserit *ad*, alter *in*, eaque discrepantia pepererit istam lectionis diversitatem.

59. *vigent*] Abest hoc verbum ab Ed. min. 1472.

63. *Hic iuvenum*] Eadem Editio *Et iuuentum*. Cod. Lips. *Et iuvenum*. Ed. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. *At*. Venett. 1491. 93. et Aldd. *Ac*. Lectionem *Hic* bene firmavit Wunderlich.

65. *Illic est*] Cod. Lips. *Illic et*.

69. *Tisiphoneque impexa*] Idem liber *Thesyphone que impensa*. Ed. min. 1472. ut Hamb. et Goth. *Thesiphoneque impexa*. Rom. *ferox* pro *feros*.

71. *Tum niger in porta*] Cod. Lips. et Ed. Vicent. *Tum — cerbarus*. Edd. a. 1472. et Reg. Lep. *Tunc*, quod hoc quidem loco manifesto falsum est. In uno Stat. *Hic*. Porro Aldd. omnium primae dederunt *in turba*, quod merum est mendum typographicum, ortum repetitione fortuita vocis *turba* v. 70. Perreius, *Porta* V. C. Broukhusius, „Et *porta* quidem legitur in omnibus libris vetustis: ita ut mirari subeat, unde suum *turba* hauserint editiones vulgatae," Basil. Plantin. Gryph. Gebhard.

72. *aeratas*] Ed. Reg. Lep. ut princeps *erratas*.

75. *Porrectusque — Tityos*] Ed. min. 1472. *tytius*. Caeterum hoc etiam loco confutatur Bentleius ad Horatium II. Sermm. 3. 112.

Porrectus *vigilet cum longo fuste:*

scribens, *porrectos* dici, in molli lectulo et culcitra plumea iacentes, *proiectos* in nudo solo vel vili stramine vigilantes.

76. *viscere*] Eadem Editio sola habet:

Assiduas atro sanguine *pascit aues*.

77. *circum stagna*] Scaliger in Edd. a. 1577 et 1582. intulerat de coniectura sua, *et citcat stagna*. Postea in Ed. 1600. reposuit *circum stagna*.

79. *Veneris quae numina*] Cod. Lips. Edd. a. 1472. Aldd. Muret. Basil. Scaligg. Gebhard. *quod numina*. Rom. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. Dous. Broukh. Heyn. *quae*.

87. *Ac*] Cod. Lips. Venet. 1475. Brix. Reg. Lep. *At*.

88. *Paullatim — remittat opus*] Edd. veteres *Paulatim*. Praefero *paullatim* cum Broukhusio, Vulpio, Heynio. Terentius Scaurus p. 2256. *Sine dubio peccant, qui* paulum *et* paululum *per unum* L *scribunt*. Obloquitur quidem Velius Longius p. 2238. Sed vide Cellarii Orthograph. Lat. p. 131. Pro *remittat* Cod. Lips. *remutat*. Pro *opus* Scaligeri liber *onus*.

91. *Tunc mihi*] Paris. *Nunc mihi*. Idem v. 89. cum Lips. et Edd. *Tunc*.

93. *Hoc precor — nitentem*] Excerptt. Perr. *Hunc*. Paris. *Hoc precor, tunc illum*. Nonnulli libri, ut Vindob. Bern. et Goth. *rubentem*.

ELEGIA IV.

1. *Sic*] Cod. Guarn. *Hic*. quod expressum reperio in Ed. Basil. 1569. et Gebhard. 1621.

2. *Ne — ne*] Codd. Lips. et Zwic. 1. cum Ed. Lips. apud Heynium *Nec — ne*.

3. *formosos — cepit*] Venet. 1475. Vicent. et Reg. Lep. *formosa caepit*.

4. *coma est*] Tandem repertus est liber scriptus, qui omittit *est*. Nempe Cod. Lips. habet:

Non tibi barba nitent, *non tibi culta* coma.

5. *frigora brumae*] Perrei. *tempora* V. C. Habet hoc etiam Comelin. Expresserunt Edd. Rom. Brix. Venett. cum comment. Cyllenii.

7. *Sic ego. Tum — respondet*] Excerptt. Perr. *quom* V. C. Lips. Comelin. duo Palatt. Edd. Rom. Venett. 1491 — 93. *cum*. Porro magnus librorum consensus est in lectione *respondit*. Ita Lips. Zwicc. Ed. min. 1472. Venet. 1475. (Vicent.) Reg. Lep. Ald. 1515. Muret. Basil. Plant. Gryph. Gebhard. Ovidius II. Amor. 5. 33.

Haec ego, *quaeque dolor linguae dictavit* —

8. *curva sic mihi falce*] Lectio *sit* exstat etiam, nisi fallor, in Ed. min. 1472. certe in Vicent. Ald. 1502. et Scaligeri Edd. a.

1577. et a. 1582. Eiusdem Ed. a. 1600. habet *sic.* Prorsus cum principe conspirat Ed. Reg. Lep.

Armatus curvas sit *mihi falce deus.*

9. *O fuge — te credere*] Rursus cum principe conspirat Reg. Lep. in lectione *Offuge*, quod etiam Venet. 1475. habet. Ed. min. 1472. *O fugae.* Colb. *Heu fuge.* Haec formula in *aufuge* corrupta est apud Propertium I. 9. 30.

Quisquis es, *assiduas* o fuge *blanditias.*

Alii *Ah fuge.* Vide II. 3. 17 et 75. Perreius notavit: „O fuge — — Alii legunt *Ne* pro *O.* quod mihi placet. et sic legitur in Annot. 145." Quae qualis sit *Annotatio*, equidem ignoro. Idem verbo *credere* adscripsit: *tradere* V. C. Legitur ita in Colot. Guelf. 1. Edd. Rom. Brix. et Venett. cum comment. Cyllenii. Cod. Lips. *tendere.*

11. *angustis quod — compescit*] Dresd. *armatis*, quod Heynius sumit pro *artatis* e IV. 1. 91. Voss. 3. et Goth. pro *quod* habent *qui* i. e. *quia.* Unus apud Broukh. *compescat.*

13. *Hic — cepit*] Sic Ed. min. 1472. Contra Edd. Venet. 1475. Vic. Reg. Lep. Lips. ap. Heyn. *Hunc.* Ita Corvin. et Vindob. At Guelf. 1. 4. Edd. Rom. et Venett. cum comment. Cyllen. *Huic.* Eaedem *caepit* cum aliis.

14. *stat*] Edd. Venet. 1475. Vic. Reg. Lep. ut Zwicc. uterque, *stet.* Quod in Euripidis Phoen. 1499. seq. reposui *φοίνικα αἰθομένα*, confirmari potest v. c. loco Virgilii IV. Aen. 262.

Tyrioque ardebat murice *laena.*

Claudian. XXXI. 41.

Dulce micant oculi: *niveas* infecerat igni
Solque pudorque genas.

15. *Sed te ne capiant — negarit*] Abest *te* ab Ed. min. 1472. Reliquae, *Sed ne te capiant*, ut est etiam in libris, praeter Sfort. Thuan. Askew. et Hamb. omnibus. Mutavit structuram Broukhusius. Askew. Voss. 1. 2. et Guarn. *negarit.* Cod. Lips. *negavit.* Hamb. *recuset*, e III, 6. 11.

Aut si *quis vini certamen mite* recuset.

24. *Iurasset — quidquid*] Ed. min. 1472. *Iurasse*, et, nisi fallor, *quicquid*, ut est in reliquis Edd. saeculi XV. et cod. Paris. At Lips. *quidquid.*

25. *sinet Dictynna*] Cod. Lips. et Edd. veteres, etiam Heyn. tertia *sinit.* *Sinet* Broukhusius e Colbertino reposuit, cui consentiunt Voss. 1. 5. Askew. et Monac.

27. *At — transiit*] Sic idem reposuit e tribus libris Heinss. quibus accedunt Voss. quatuor et Bern. — Edd. veteres *transiet* „terminatione haud quidem penitus insolente, sed tamen ignota (ni fallor) scriptoribus temporum optimorum." Ita Broukhusius, qui non meminerat, hanc formam expressam reperiri etiam apud Horatium IV. 4. 65.

Merses profundo, pulchrior exiet:
Luctere, multa proruet *integrum*
Cum laude victorem, geretque
Proelia coniugibus loquenda.

Qua lectione ne memorata quidem, Bentleius edidit *evenit — proruit — geritque*, quae sane melius coeunt, quam *evenit — proruet — geretque*, quod post alios Fea retinuit, libros laudans multos, qui *exiet*, nullum, qui *evenit, proruit geritque* offerret. Certe *evenit* mendosum videtur. — Scaliger dedit *Ah* pro *At*. Heinsius ad Ald. *transilit* pro *transiet*, quod habent Edd. ante Broukhus. omnes.

28. *non segnis stat remeatque dies*] Ed. min. 1472. *non senis.* Voss. 4. *remeatve.* Scaliger edidit, non monito lectore:

Quam cito non segnis it *remeatque dies.*

Ita etiam Corvin. Horatius III. 28. 6.

ac veluti stet *volucris dies.*

29. *deperdit*] Ed. min. 1472. *dependit.*

30. *populus alba*] *Alba* primum expressum reperio in Venett. cum comment. Cyllenii. Broukhousius addit Brix. „cum suo sibi MS." (Est fortasse etiam in Rom.) Reliquae Edd. veteres *alta*, cum cod. Lips. — Excerptt. Perr. *alba* V. C. Hoc reposuit Broukhusius. Unus Witt. B. *ante comas.* Quod adsumpsit Scaliger e suo libro. Male.

32. *Qui prior Eleo est*] Voss. 1. 3. *prius.* Haec etiam permutantur apud Terentium Ad. IV. 5. 32. *qui cum ea consuevit* prior. Eun. Prol. 6. *quia laesit* prior. Conf. I. 7. 53. p. 208. — *est* non comparet in Voss. 2. et Monac. idque abesse malit cum Heynio Wunderlich. „sine ratione iusta." Vide supra El. 1. 34.

33. *Vidi ego iam iuvenem — quum serior*] *Ego* abest a cod. Lips. et Edd. ante Broukh. quod sciam, omnibus. At ille: „Primus cod. Archiep. Eborac. et secundus Witt. ac Perreii Excerptt. habebant, *Vidi* ego *iam iuvenem*, non sine iucunda energia provocabuli: quo modo ipse noster Eleg. 5. 47." (2. 89.) *Vidi* ego *qui iuvenum* —. *Iam* quorsum referendum sit, quo sensu positum, dis-

putant viri docti. Vulpius coniungens *iam iuvenem*, explicat, qui *olim* iuvenis fuerat, nec iuvenili aetate usus fuerat. Sed nemo umquam *iam* pro *modo* vel *antea* usurpavit. Nec *senes* moerere solent, sed gloriari de iuventa caste peracta. Ergo coniungunt *Vidi ego iam* Vossius et Wunderlich. sed frustra. Nam, quod hic scribit, *si iam iuvenis* iungatur, tum necesse esse *iuvenis* sit appositio. Latinum est: vidi Caesarem iam iuvenem, non vero, *vidi iam iuvenem* — falsum est, ut fere semper falluntur philologi, ubi hac coniecturali, quam philosophicam vocant, interpretatione locum difficilem expedire conantur. Adeunda est Consuetudo. Et haec docet, *iam iuvenem* etiam extra appositionem dici pro, qui iam ad juventutem, (quam vulgo *virilem aetatem* vocant) pervenit. Plinius V. Epistt. 6. 6. *Hinc senes multos videas, avos proavosque* iam iuvenum; *audias fabulas veteres, sermonesque maiorum: quumque veneris illo, putes alio te saeculo natum. — premeret quum.* Witt. A. *quom.* Corvin. *quem.* Pro *serior* in Eborac. tertio est *segnior:* in Paris. et duobus Palatt. *senior.*

34. *Moerentem stultos*] Ed. min. 1472. *morientem.* Excerptt. Perr. et Edd. Venett. 1491. 93. *tardos.* Cyllenius ipse *stultos.*

36. *non ullam*] Cod. Lips. et Edd. saeculi XV. *illam.* Uterque Witt. Dresd. Zwic. 1. Aldd. Muret. Scaligg. *non ullam.*

37. *aeterna est Phoebo Bacchoque iuventas*] Vicent. *aeterno est bac chopheboque iuuentas.* Reg. Lep. *Solis est aeterno baccho phoeboque iuuenta.* Etiam Cod. Lips. *baccho phoeboque iuventas.* Receptam structuram habent Ed. min. 1472. Venett. cum comment. Cyllenii, Aldd. etc. Sic III. 4. 44.

Phoebusque et Bacchus Pieridesque favent.

39. *tentare libebit*] Cod. Paris. *temtare.* Ed. min. 1472. Brix. Venett. *licebit.*

40. *Cedas*] Ed. min. 1472. Ald. 1502. *Credas.* Ita etiam cod. Lips.

42. *arenti torreat — siti*] Hamb. *aestiva — siti.* Scaligeri liber et Witt. B. *torqueat.*

43. *praetexens picea ferrugine*] Sequor lectionem, quam Heinsius invenit in quatuor vetustis libris, et manifesto exhibet editio princeps anni 1472. VULP. Recte. Habet praeclaram hanc lectionem Ed. min. 1472. eaque sola. Reliquae *picta.* Codd. Bern. Zwicc. Vindob. *picea.* Statius II. Theb. 527.

Coeperat humenti Phoebum subtexere palla
Nox et coeruleam terris infuderat umbram.

44. *admittat imbrifer*] Cod. Lips. *amiciat umbrifer. Amiciat* erat etiam in veteri libro Sfortiae, Witt. B. uno Gebhard. idque Statius corruptum putabat ex *annuntiet*, quod in uno ipse libro repererat, Broukh. in Witt. A. et in uno Anglic. Gebhard. item in uno Palat. ego in Ed. min. a. 1472. nisi quod haec habet *anuntiat.* Sed utrumque ortum videtur ex *admittat*, vel, ut legitur in duobus Anglicc. *ammittat.* Quam lectionem satis tuentur libri scripti et Edd. veteres. Statius malebat *alliciat.* Edd. Vicent. Reg. Lep. Venett. *hymbrifer.* Ed. Basil. 1569. *hymbrifer Arcas.*

45. *Vel si — volet*] Nescio, an in nullo libro scripto nisi in Zwic. 2. legatur, quod edidit Calphurnius in Vicent,

Vel si ceruleas pupi uelit ire per undas,

Et sic Propertius scribit II. 26. 29.

Seu mare per longum *mea* cogitet ire *puella.*

Sed hanc lectionem arripuisse videtur corrector e v. 49.

Nec velit insidiis altas si claudere valles:

non attendens animum ad v. 51. ubi recte legitur et more usitato:

Si volet *arma*, *levi* tentabis *ludere dextra.*

Propertius II. 30. 19.

Num iam, *dure*, *paras Phrygias nunc* ire per undas?

47. *duros subiisse labores*] Unus e tot libris scriptis, sed recentior Broukhusii:

Nec te poeniteat duro subiisse labori.

Hoc, quod miror, Muretus, non monito lectore, primum in contextum intulit, expresserunt postea Plantin. 1569. Gryph. 1573. Dous. Graevius, adeo ut *vulgo* legi adfirmet Gebhardus, *duro subiisse labori.* Igitur, quod scribit Broukhusius, in Thesauro Basilii Fabri male secuti sunt novi architecti editiones non optimas, quo evincerent, verbum *subire* apud Tibullum iungi cum tertio casu. — Haec lectio prorsus delenda est. Nec origo eius dubia. Scriptum fuit alicubi *duro subiisse labores.* Ergo exortus est, qui substantivum accommodaret adiectivo, scriberetque *duro — labori.* E contrario in Palat. uno legitur *duros* obiisse *labores.* Forma *subiisse*, *adiisse* (apud Virgilium II. Aen. 25.) reiectanea videtur Heinrichio ad Cicer. Fragmentt. p. 9. et in Ind. v. *Acquisiisse.* Nos supra etiam v. 34. legimus *praeteriisse.*

48. *opere insuetas atteruisse manus*] Lectionem *operi*, quam non nisi duo libri exhibent, Dresd. et Guelf. 1. Edd. contra multae, ut mai. 1472. Rom. Reg. Lep. Venett. cum comment. Cylle-

nii, Aldd. etc. recte delevit Broukhusius, substituta altera, quam Calphurnius iam probavit, *opere*, confirmata uno Gebhard. Guelf. 3. Zwicc. Goth. Nam *opere* absolute ponitur de *opere rustico*. Tacitus Germ. 25. *Verberare servum ac vinculis et* opere *coercere*, *rarum*. Tibullus I. 9. 8.

Et durum terrae rusticus urget opus.

Excerptt. Perr. cum aliis *opera* — *attenuasse*. Lips. *opera* — *attenuisse*. Vicent. ni fallor, Ald. 1515. etc. *atteruisse*. Ed. min. 1472.

Aut opera *insuetas* atteruisse manus.

Propertius IV. 3. 24.

Num gravis imbelles atterit *hasta* manus.

53. *Tunc tibi — rapias tunc cara*] Cod. Lips. *Tunc mihi — cum*. Ed. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. *Tunc — tunc*. Aldd. Muret. Scalig. Edd. prima et secunda *Tunc — tum*. Ed. min. a. 1472. *Tum — tum*. Pro *rapias* recte mihi adhuc videor posuisse *capias* et *rara* pro *cara*. Ita bene sequitur v. 55. *Rapta dabit primo*, nec legendum cum Guarn. quod malit Wunderlich. *Rapta* dabis *primo*, nec cum Santenio v. 54. *sed* male rapta *dabit*. Ovidius Epist. XIII. 120.

Multa tamen capies oscula, *multa dabis*.

Alii *rapies*. Idem Epist. XXI. 195.

Et minus audacter blanditur, *et* oscula rara
Accipit, *et timido me vocat ore suam*.

55. *Rapta dabit — mox offeret ipse roganti*] Notabilis est lectio Zwic. 2. *Rapta ferit*, a manu recentiore mutata in *feret*. Nam hanc ipsam lectionem expressit Calphurnius in Ed. Vicent.

Rapta feret *primo* post *afferet ipse roganti*.

Haec igitur Editio non habet, quod, praeeunte Heynio, scripsi, *mox adferet*, sed, ut Venet. 1475. Rom. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. Aldd. utroque loco cum cod. Lips. habet, *post — Post*. Muretus et Scaliger: *post offeret ipse volenti Post*. Ed. min. 1472.

Rapta dabit primo, mox *afferet ipse roganti*.

Recte *mox* praecedente *primo*, sequente *Post*, quae se eodem modo excipiunt infra III. 2. 19 — 21. Et hoc probavit Scaliger in Commentario, scribens: Noster: *mox offeret ipse roganti*, quod melius est. *Offeret* pro *Afferet* habent Ed. Rom. Venett. 1491. 93. Aldd. — Eaedem, ut Edd. priores, *volenti*. Reg. Lep. *ipsa volenti*, Cod. Lips. *post afferet ipse roganti*. Scheffer. *auferet*.

56. *volet*] Cod. Lips. cum aliis *velit.* Recepit Vossius.

57. *artes miseras — tractant*) Ed. Venet. 1475. teste Broukhusio, *artes missas — damnant.* Sed subest error. Heinsius Ald. 1515. qua usus est Broukhusius, adscripsit *missas* D. *damnant* D. Haec littera apud Heinsium designat cod. Datianum, apud Broukhusium, ubi non notatur lineola praeducta, Venet. 1475. Nunc ille omisit lineolam. Vulpius *artes miseras* intelligit vel nihil proficientes vel ad quas miseri amatores confugiunt pecunia destituti. Ridicule.

59. *At tibi*] Cod. Lips. Ed. min. 1472. Reg. Lep. Venet. 1491. 93. Aldd. Muret. *Iam tu.* Vicent. Scaligg. *Iam tua.*

62. *nec superent*] Lips. *ne.* Hamb. *ne vincant.*

63. *purpurea est Nysi*] Abest *est* a Codd. Lips. et Dat. — Ed. min. 1472.

Carmine purpurea nysi est coma.

65. *Quem referent — vivet*] Vindob. *vivat.* Paris. et Ed. min. 1472. *vivent.* Horatius I. 1. 35.

Quodsi me lyricis vatibus inseres,
Sublimi feriam *sidera vertice.*

Sic rectius legitur, quam *inseris,* de iudicio viri doctissimi in Anall. Litt. T. I. P. II. p. 265.

69. *tercentenas — expleat urbes*] Commelin. Zwic. 1. et Ed. Rom. *tercentenis.* Ed. min. 1472. et Brix. cum Excerptt. Perr. *impleat.* Venet. 1475. et Reg. Lep. *urbis.*

72. *fletibus*] Cod. Lips. Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. Venett. — Scalig. Ed. a. 1600. *flentibus.*

73. *quae canerem*] Scaligeri Edd. prima et secunda *quae caverem.* Ed. a. 1600. *quae canerem.* Ed. Lugd. a. 1607. substituit *qui canerem.* Scaliger ipse in omni Editione defendit perperam *caverem.*

81. *Heu, heu quam lento Marathus*] *Eheu* pro *Heu, heu* primum expressum est in Aldd. Editiones saeculi XV. omnes habent *Heu heu,* ut cod. Lips. Eaedem cum eodem codice, *quam Marathus lento.* At una omnium praestantissima Ed. min. a. 1472.

Heu heu quam lento *Marathus me torquet amore.*

Non obstat observationi meae, sed eam potius confirmat Catullus Com. Beren. 23. ex emendatione Bentleii; de qua vide ad II. 5. 83. Similiter ib. v. 108.

Heu, heu, quam multis *ars dedit illa malum.*

83. *turpis fabula*] Sic iam editum video in Vicent. et in Reg. Lep. Heyn. Atqui Reg. Lep. habet *turbis*, ut Edd. a. 1472. At Vicent. et Venett. cum comment. Cyllenii *turpis*, idque expressum reperit Vossius etiam in Colin. 1529. et Gryph. 1561. Habet cod. Paris.

ELEGIA V.

1. *Asper — discidium*] Cod. Lips. *Semper — dessidium*. In margine: *Asper*. Ed. min. 1472. *desidium*. Reliquae *dissidium* vel, ut Vicent. *disidium*. Ald. 1502. *diseidium*.

2. *nunc — abest*] Lips. *non*. Dat. *habest*, notante Heinsio ad Ald. 1515. Hinc ortum, quod Broukh. secundus offert, expressit Ed. Rom. *habet*.

3. *Namque — turben*] Edd. veteres *Nanque*. Duo libri *Iamque*. *Turben* post Scaligerum admiserunt Dousa, Iansson. Gabbema, Vulpius a. 1710. alii.

5. *Ure ferum — libeat ne*] Ed. min. 1472. *ferrum*, ut Hamb. Eadem *libeat ne*, ut Aldd. cum codd. Paris. et Lips.— Vicent. et Venett. *liceat nec*. Reg. Lep. *lieeat ne*. Pulmanno praeivit Muretus, qui nostram et lectionem et interpunctionem exhibuit, probante Scaligero.

6. *posthac*] Sic Ed. min. 1472. discrepans a reliquis saeculi XV. Edd. omnibus, quae *post haec* habent cum cod. Lips. aliisque multis, praeter Falcob. et, nisi fallit Gebhardus, Palatinos omnes. Ita Ald. 1515. Muret. Scaliger. Vide IV. 5. 6.

7. *Parce tamen, per te*] Codd. Paris. et Lips. Edd. saeculi XV. *Parce tamen parce*. Ed. Venet. 1520, teste Heynio, *te per:* quod idem minus accurate legi narrat in Aldd. quae *Parce tamen, te per* habent, ut recte legitur in nonnullis libris, v. c. Witt. B. et Ursin.

11. *Ipseque ter — lustravi*] Cod. Lips. *Ipseque te eireum lustiabis*. Margo *lustravi*. Heynius ait, in Ed. Rom. legi *te sustulit*. Florent. Statii, *Ipse ego te eircum*. Omnes Edd. veteres *te* praeter Venetas cum comment. Cyllenii, quae *ter* habent cum Cod. Paris. et aliis. Scaliger reposuit *te*. Propertius IV. 8. 86.

Terque *meum tetigit sulfuris igne caput*.

12. *praecinuisset*] In veteri Sfortiae libro erat *procubuisset*, quod probare se potuit Scaligero: in Vaticano *pertimuisset*, quod

nunc etiam reperio in Lipsiensi; in alio quodam apud Statium *praetimuisset*, quod proxime abest a *praecinuisset*, ut legitur in Paris. Ed. min. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. etc.

13—14. *saeva — Somnia — sancta*] Codd. Lips. Guelf. 1. 4. et Excerptt. Perr. e V. C. *Semina*. Habent hoc etiam Edd. Brix. et Venett. 1491. 93. Margo Guelf. 2. *omina* e III. 4. 9. *omina noctis*. *Somnia* legendum esse iam apud Perreium notatum. Ea hoc quoque loco *scaeva* fecerunt librarii nonnulli, Heinsius (nisi fallor) ad Ald. 1515. *laeva*. Vide II. 6. 37. Ab initio iterum in Florent. Stat. legitur *Ipse ego curavi*. V. 14. in Ald. sec. est *salsa* pro *sancta*. Interpunctionem huius distichi praecepit Wunderlich.

16. *Vota novem Triviae — dedi*] Nescio, quomodo acciderit, ut librarii adeo aberrare potuerint a nomine *Triviae*, ut alii ponerent *Creme*, alii *circum* (Witt. B. et Bern.), alii *Veneri*, quod habent Edd. saeculi XV. omnes, praeter unam Ed. min. a. 1472. quae dudum ante Scaligerum expresserat:

Vota nouem triuiae *nocte silente dedi*.

Ab hac lectione proxime abest scriptura Vindob. *Truviis*. At nonnulli bonae notae libri, ut Witt. B. Dresd. alii, nomen ipsum habent *Triviae*. Cod. Lips.

Vota nouem tota *nocte silente dedi*.

Notanda est locutio *vota dedi*, quam Heynius explicat *persolvi*, etiam Vulpius, qui tamen addit: „Enimvero proxime sequitur, *Omnia persolvi*.“ Ergo fieri potest, ut idem dicere voluerit Tibullus, quod v. c. Cicero dicit, *vota nuncupare*; Philipp. III. 4. *ante lucem* vota ea, quae numquam solveret, nuncupavit. Statius in Commentario posuit *tuli* pro *dedi*. Non probo.

17. *fruitur nunc*] Idem liber *finitur tam* alter, pro *tamen* alter.

19. *fuisses*] Idem *fuisset*.

22. *dum — sole calente teret*] Voss. 3. Corvin. Ed. Basil. 1569. *cadente*. Cod. Lips. *candente*. Unus apud Broukh. *terit*. Male post *colam* et *aderit*. Confer v. c. I. 4. 65. II. 4. 43. E contrario II. 3. 8. recte legitur:

Dum subigunt *steriles arva serenda boves*.

28. *Pro segete spicas — dapem*] Edd. vett. praeter Venett. 1491. 93. *et spicas*. Ed. min. 1472.

Pro segete et *spicas pro grege ferre* dapes.

30. *Et iuvet*] Sic primum editum video in Venett. cum comment. Cyllenii. Edd. priores, nescio an omnes, cum cod. Lips. *Adiuvet*. Voss. duo *Ac iuvet*.

32. *detrahet*] Satis haec lectio firmatur cum aliis libris, tum Cod. Paris. Ed. min. 1472. Vicent. Ald. 1515. etc. Altera Editionum classis inde a principe 1472. (Venet. 1475. Brix. Reg. Lep. Venett. Ald. 1502.) cum cod. Lips. *detrahat*.

33. *virum hunc sedula*] Ed. min. 1472. et Lips. apud Heyn. cum Zwic. 1. *virumque hunc*. Guelph. 2. in contextu *hunc et*, in margine habet *hunc asseeula*. Ita Pontanus emendasse fertur in Excerptt. Perrei. Voluit, nisi fallor, *ancillula*.

35. *Eurusque Notusque*] Sic Cod. Lips. Ed. min. 1472. Venet. 1475. Vic. Reg. Lep. At Rom. Venett. 1491. 93. Aldd. Scaligg. *caurusque*. Brix. *Chaurusque*.

41. *Tunc — devotum descendens*] Omnes nostri *Tunc*. Cod. Lips. Ed. min. 1472. Vicent. Venett. 1491. 93. Aldd. etc. *discedens*. Venet. 1475. et Reg. Lep. ut alibi, ita hoc etiam loco cum Ed. mai. 1472. conspirant, exhibentes *descendens*. Bern. *deseendens devotum*.

42. *Et pudet et narrat*] Tempus erat, ut haec lectio Tibullo restitueretur, quam nec illi ceperunt, qui ante Scaligerum substituerunt, *Et dominae narrat*, nec Scaliger ipse, qui inde formavit *Et, pudet* heu, *narrat*. Ovidius XIV. Metam. 279.

Et pudet, et referam, *setis horrescere coepi.*

Idem IV. ex Pont. 15. 29.

Et pudet, et metuo, *semperque eademque precari.*

Similiter idem Ep. XVI. 283.

An pudet, et metuis, *Venerem temerare maritam?*

Male alii *an metuis*. Ib. v. 323.

Si pudet, et metuis, *ne me videare secuta.*

I. Tristt. 2. 95.

Et iubet, et merui: *nec, quae damnaverat ille,*
Crimina defendi fasve piumve puto.

Ubi fortasse legendum, *Et* pudet, *et merui*. Martialis VI. 59. 1.

Et dolet, et queritur, *sibi non contingere frigus.*

Recte igitur Edd. veterum lectionem, quam confirmant libri scripti

omnes, reposuerunt Dousa, Pulmann. Gryph. Gebhard. Graevius, male eam obliteraruut, duce Scaligero, Broukhus. Vulpius, Heynius, Voss. et Wunderlich.

43. *verbis—tenerisque*] Nulla est in nostris varietas. Ed. Vicent. *Non faciet hoc verbis.*

45. *Talis ad Haemonium Nereïs Pelea quondam*] Cod. Lips. *ad emonium uenerisq̧ pelea cōdam.* Margo, *Nereis.* Etiam editores veteres, decepti prava nominis *Nereïs* prounntiatione, post hoc nomen inculcarunt *quae*, Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. cum comment. Cyllenii. At Ed. min. a. 1472.

Talis ad hemonium nereis Pelea *quondam.*

55. *Currat — nudis — urbes*] Cod. Palat. *Quaerat.* Lips. *uinclis* pro *nudis.* Hamb. *umbras* pro *urbes.*

56. *Post agat e triviis*] Pauci cum cod. Lips. *Post agat a triuiis*, quod e suo libro reposuit Scaliger. Ed. min. 1472. cum duobus Voss. duobus item Palatt. *Post agat* et *triviis.* Edd. Rom. Brix. Venett. 1491. 93. Aldd. Muret. Basil. 1569. *Post agat* hanc *triviis.* Consentiunt in *e triviis* cum Ed. principe Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Codd. Paris. Dresd. Zwicc. alii. Broukhusius addit Cyllen. quod falsum. Conf. Horat. Ep. V. 57. Mirum in modum argutatur ad hunc versum Wunderlichius, cui ne illud quidem concedo, *Post* h. l. sumendum esse pro *pone*, *a tergo.* Nihil aliud est, quam *postmodo*, *tandem*, ut supra I. 4. 56. et apud Propertium II. 3. 48.

Post *venit adsueto mollis ad arva iugo.*

57. *Evenient*] Paris. habet *Et uenient.* Lips. cum Ed. min. 1472. Vicent. Reg. Lep. Aldd. Muret. etc. *Eveniet.*

60. *Desere: nam*] Cod. Lips. *Degere.* Similis sententia est apud Pindarum Nem. IX. 79.

αἰδὼς γὰρ ὑπόκρυφα κέρδει κλέπτεται.

62. *in tenero — latere*] Excerptt. Scalig.

in duro limine fixus erit.

65. *ad occultos — deducit amicos*] Sic Edd. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Brix. Paullulum aberrant Edd. Rom. et Venett. 1491. 93. quae habent, *Pauper et occultos;* longius cod. Lips. *Pauper ad* hoc *cultos — amicos.* Et hi quidem libri omnes exhibent *deducit*, etiam Ed. min. 1472. quae tamen v. 64. habet *detrahet.* Utroque loco futurum tempus inferunt Paris. Hamb. Zwic. 2. duo tresve libri apud Vossium, Ald. 1515. Muret. Basil.

1569. Dous. Plant. Gryph. In Corvin. binis Anglicc. tribus Voss. est *amictus* pro *amicos*. Goth. *deludit*.

67. *fatiscit*] Lips. *uita patesit*. Paris. *patescit*. Et hoc habent Edd. ante Broukh. omnes. Nam quod addidi, *post Gebhardum*, Heynio imputabis. Certe Gebhardi Ed. 1621. habet *patescit*. At probat hic in Animadverss. *fatiscit*, ut est in libro Sfort. duobus Heinss. Thuan. Zwicc. Guarn.

69. *qui potior nunc es — fata timeto*] Hamb. *potitor vincis*. Goth. *vinces* pro *nunc es*. Iam pro *fata* omnes saeculi XV. Editiones habent *furta*, etiam cod. Lips. quasi de insidiis suis ipsius rivalem praemonere voluerit Tibullus. Hoc alienum. Nec dubium, quin recte Muretus, sine dubio e libro aliquo, reposuerit *fata*, quod ultro confirmant Monac. Vindob. Askew. admiserunt Plantin. 1569. Gryph. 1573. Dous. Graev. Scaliger reposuerat lectionem Venett. 1491. 93. et Aldd. *mea furta caveto*, pro quo Edd. a. 1472. maior et minor, Vicent. Reg. Lep. habent *timeto*, sicut legitur in Lips. Zwicc. Guarn. Corvin. aliis. Broukhusius etiam (e pluribus, ait, libris) *mea furta timeto*. Illud huc translatum e loco simili I. 2. 87.

At tu, qui *laetus rides* mala nostra, caveto.

Plautus Mostell. V. 2. 24.

Fac, ego ne metuam igitur, et ut tu meam timeas vicem.

70. *Fors — orbe rotae*] Lips. cum paucis *sors*. Excerptt. Scalig. *orbe cito*, quod ille recepit. Vicent. et Venett. 1491. 93. orbe *rota*. Reg. Lep. *orbe rotae*.

72. *ac crebro — ac refugit*] Tres libri apud Voss. fortasse etiam Ed. Vicent. *et crebro*. Excerptt. Perr. Ed. Brix. *atque fugit*.

74. *usque*] Cod. Lips. *ipse*.

76. *nat tibi linter*] Witt. B. Dat. Dresd. Anglic. unus, alii *nam*. Edd. cum cod. Lips. *nat*. Ed. Rom. *navis* pro *linter*.

ELEGIA VI.

1. *offers*] Cod. Lips. *afers*. Ed. min. 1472. *affers*. Cum Theocrito convenit Horatius III. 27. 66.

aderat querenti
Perfidum ridens Venus *et remisso*
Filius arcu.

5. *Quid tibi, saeve puer*] Iidem libri cum Edd. Vic. Reg. Lep. Ald. 1502. Scaligg.

Quid tibi saevitiae mecum est? an gloria magna est.

Lectionem, *saeve puer*, non habent, nisi Guarn. duo libri Voss. 1. et 4. editus ante Broukhusium nullus. *Est* post *magna* omittunt Venett. 1491. 93. Ald. 1515. Basil. Dous. Plant. Gryph. Scaliger non eiecit, quamvis affirmet Wunderlich.

5. *Iam mihi*] Ita non inde ab Ald. sec. legitur, quod Heynius ait, sed iam inde a Vicent. estque ea lectio etiam in Venett. 1491. 93. sicut in codd. Dresd. Guelf. 3. aliis. *Nam mihi* Edd. a. 1472. Venet. 1475. et Reg. Lep. cum libris multis. Cod. Lips. *Non mihi.*

8. *pernegat usque*] Ed. min. 1472. *perneget usque.* Voss. 3. *pernegat illa*, quod habet Statius.

9. *quo posset ludere pacto*] Witt. A. *posset quo.* Sed alteram structuram recte tuetur Wunderlichius; quamquam exempla nihil ad rem, praeter unum Tibulli III. 1. 5. (Nec huc pertinet locus Horatii I. Serm. 4. 55. quem ego supra citavi.) Nulla per se vis inest pronomini relativo, ut eodem iure scribere potuerit Tibullus I. 7. 3.

Hunc fore, Aquitanas posset qui *fundere gentes:*

quo scripsit III. 2. 3.

Durus et ille fuit, qui tantum *ferre dolorem* —

Immo hic similesque poetae naturalem verborum ordinem raro perturbant, nisi forte metri ratio, cui plurimum tribuendum est, obstet; nec dubito, quin scripserit Tibullus I. 9. 51.

Tu procul hinc absis, cui formam *vendere cura est:*

et II. 3. 33.

At tu, quisquis is es, cui tristi *fronte Cupido;*

pro *formam cui*, *tristi cui*, sicut utroque loco reposuit Vossius, similis hac in re Cuningamio, qui tales traiectiones ubique obtrusit Horatio, v. c. II. Epist. 1. 153.

Poenaque lata, 'malo quae nollet *carmine quemquam* —

Ubi ille, invitis, quod sciam, libris omnibus, reposuit *nollet quae*, notatus a Fea. Conf. Tibull. II. 5. 55. Nunc agitur de pronomine praepositivo, cui primus convenit sententiae locus non solum in formula *quo pacto*, sed etiam in similibus.

11. *tunc—cur*] Ed. 1472. Ald. 1502. *nunc — cur.* Cod. Lips. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. *nunc — ut.* Paris. Ed. Rom. Brix.

Venett. *tunc — ut.* Scaliger, *nunc—quur.* Quam obsoletam scripturam exprimere postea non dubitarunt Ianss. Gabb. Broukhusius. Praestat lectio Ald. 1515. *tunc — cur.* Hanc recte propagavit Muretus.

12. *fores*] Excerptt. Perr. et Ed. Vicent. *forem*, sicut Ed. mai. a. 1472.

13—14. *Tum succos*] Hoc distichon abest ab Ed. Vicent. *Tum* primus intulit Scaliger. Lips. *Tunc sucos.* Thuan. quo *livor abiret.*

20. *et mensae ducat*] Quaerit Wunderlichius, unde Broukhusius acceperit, librum Scaligeri *ut* pro *in* praebere. Nempe legit hoc in margine Ed. Ald. 1515. notatum ab Heinsio. Excerpta Scaligeri duabus ibi litteris V. et A. designantur. „Scaliger, ait Heinsius, duobus Tibulli scriptis exemplaribus videtur usus. *V.* est codex recens, ut ipse passim fatetur. *A.* excerpta passim vocat vetustissima: quo codice ipse non videtur usus. *CC.* Codex Cuiacii, qui libro III. El. 4. v. 65. incipiebat.“ *Ut* legebatur in V. id est, in codice recenti, sed perperam.

21. *time*] Cod. Lips. *tume.* Vide Pricaeum ad Appuleii IX. p. 186.

23. *ad aras*] Liber Sfort. apud Statium, Witt. B. Laud. Anglic. unus, Edd. Scalig. *ad aram.* Sed vide Broukhusium. Heinsius versum ita interpungit ad Ald.

At mihi si credas illam: sequar unus ad aras.

25. *gemmas eius signumve*] Cod. Lips. *gemma saeuius signumque.* Omnes ante Broukhus. Edd. *signumque. Signumve* habent Codd. Zwicc. alii.

30. *Quis ferat*] Cod. Lips. *Quid.* Ed. min. 1472. *feret.* Ovidius I. ex Pont. 1. 26.

Saeva deos contra non tamen arma tuli.

37—38. *recuso Verbera, detrecto*] Cod. Lips. *recusso Verberat et trecto.* Margo, *detrecto.* Ed. Reg. Lep. *detracto.* Hinc firmatur lectio *nego* pro *negem* II. 3. 78.

Non ego me vinclis verberibusque nego.

39. *Tunc — colit*] Haec librorum est nostrorum lectio. Voss. 2. et unus Heins. *Tum.* Nescio, quid acciderit Wunderlichio, ut scriberet, me ad I. 3. 21. probasse lectionem *colis*, quam ipse reposuit.

40. *Effluit — toga laxa*] Ed. Rom. *Et fluit.* Cod. Lips. Ed. min. 1472. Aldd. Muret. *lapsa.* Paris. *lassa.*

41. *ne possit crimen*] Sic Codd. Paris. et Lips. — Edd. Venet. 1475. et Reg. Lep. *ne crimen posset.* Ed. min. 1472. Vicent. Brix. Venett. *ne crimen possit.*

42. *Stet procul, aut alia stet procul ante via*] Ita legitur in nostris omnibus. Statius: In veteri libro pro, *Aut alia*, esse adfirmant *Atque alia.* quod omnino rectius; egoque eam iam ante coniecturam feceram, idemque legendum suspicabar pro *Ante, Inde.* Voluit igitur legere:

Stet procul atque *alio stet procul* inde *via.*

Deinde proponit *ante — ante.* Mihi locus ita corrigendus videtur:

Stet procul inde *alia, stet procul* inde, *via.*

Ovidius III. Am. 14. 18.

Deliciis imple: stet procul inde *pudor.*

Virgilius VIII. 642.

Haud procul inde *citae Metum in diversa quadrigae*
Distulerant.

Livius VIII. 22. *Palaepolis fuit* haud procul inde, *ubi nunc Neapolis sita est.*

43. *ipse Deus*] Cod. Lips. *ipse Venus* pro *ipsa Venus.*

46. *non amens*] Cod. Lips. Excerptt. Perr. Edd. Brix. Venett. 1491. 93. Ald. 1502. *non et amans.* Venet. 1475. et Reg. Lep. *non et amens.* Vicent. *monet amans.* Margo *nec non amens.* Ed. min. 1472.

non et amans uerbere *torta timet.*

47. *suos — violenta*] Witt. A. *sua.* Edd. veteres cum cod. Lips. *violata.* Una Ed. min. 1472. habet *violenta*, expressum postea in Ald. 1515. Vide IV. 1. 76.

53. *Attigeris*] Cod. Lips. et Edd. veteres *Attigerit.* Primus Dousa edidit, *Attigeris*, quod confirmant Monac. Bern. Voss. 5.

56. *sit, precor, illa levis*] Plane ita de puella infra I. 9. 40. scribit:

Sit, precor, *exemplo* sit levis illa *tuo.*

59. *Haec mihi te adducit*] Hanc lectionem confirmant Cod. Lips. et Ed. min. 1472. Sed in illo hoc distichon postpositum est sequenti. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Brix. Venett. 1491. 93.

Ald. 1502. *Haec me deducit.* Postea ad priorem lectionem redierunt editores. Recte.

62. *strepitus — pedum*] Cum Homericis locis, in Annotatione citatis, comparandus est Lucretius II. 328.

Aere renidescit tellus, subterque *virum vi*
Excitur pedibus sonitus.

Cum Pindari loco Ol. I. 14. Statius IV. Silv. 4. 26.

inde sonus *geminas* mihi circuit *aures.*

Gellius N. A. X. 3. animum hercle meum, *quum illa M. Ciceronis lego*, *imago quaedam et* sonus *verberum et vocum et eiulationum* complectitur.

64. *Sit — fas — contribuisse*] Dresd. Guarn. Goth. S*i modo fas.* Voss. 2. 4. *conteruisse.*

66. *Quidquid agit*, *sanguis — illa tuus*] Edd. veteres *Quicquid agit.* Cod. Lips. *Quidquid agit.* Liber Sfort. Thuan. Colbert. Witt. B. *agat.* Vide Heusinger. Praef. Ciceronis de Off. p. LV. Cod. Lips. Witt. A. Colb. Anglic. unus, *ille.* Pindarus Nem. III. 114. τεὸν γὰρ αἷμα. Ovidius VI. Fastt. 488.

ut sanguis *ille* sororis *erat.*

69—70. *sint — Possim ego*] Cod. Lips. *sint — Possem ego.* Ed. min. 1472. sicut Vicent. Ald. 1502. et Basil. 1569. *sint—Possum ego.* Reliquae Edd. saeculi XV. consentiunt cum principe. Pronomen *ego* nulla omisit. Abest ab Ald. 1515. Muret. Dous. Plant. Gryph. etiam a Voss. Scaliger nostram habet lectionem, non interpunctionem. Perperam enim coniunctivos *sint — Possim* repetit ab adverbio *quamvis* v. 67. omnia haec una serie continuans. Locum accurate tractavit Wunderlich.

71. *puter*, *ducarque*] Cod. Lips. *putat*, *ducarque.* Ed. min. 1472. *putat ducatque.* Quod scripsi in annotatione: „Edd. veteres, ut Venetae 1491 —*putor:*“ falsum est. Omnes enim habent, etiam Venett. 1491. 93. Aldd. Basil. *putat ducorque.* Muret. *putor*, *ducorque.* Dousa *putor*, *ducatque.* Witt. A. Laud. tres Anglicc. *putem.* Nonnulli *putet.* Vindob. et Voss. *ducterque.* Excerptt. Perr. e V. C.

Et si quid peccasse puter, ducarque *capillis*
Immerito, *pronas proripiarque vias.*

72. *pronas proripiarque vias*] Cod. Lips.

Immerito propriis pro *uias.*

Omisit librarius vocem mendosam, qualem exhibet v. c. Ed. Vicent.

proripias propriarque uias.

vel Reg. Lep.

proprias propriarque uias.

Quam vitiosam syllabarum traiectionem facili negotio iam emendaverat Editor a. 1472. *proprias proripiarque uias.* Hoc habent etiam Venett. 1491. 93. At Ed. min. 1472. ut v. 71. exhibet *ducatque*, ita h. l. *proripiatque.* Nonnulli libri *properans*, et *properas*, quod edidit Scaliger. Terentius Ad. III. 2. 18.

Sublimem medium arriperem et capite pronum *in terram statuerem,*
Ut cerebro dispergat viam —
Sed cesso heram hoc malo inpertiri propere*?*

73. *iste*] Cod. Lips. alii *ipse.*

75. *Nec — sed*] Hamb. *Non.* Dat. *si* pro *sed.* Scaliger, legens *Ne*, hunc versum cum superiore coniungit hoc sensu: Nolim te manu verberare, *ne* coacta et invita continearis in officio. Male. Nec melius versum 75. interpunxit Wunderlich. separans verba *sed mente fideli* a v. 76. Locum Plutarchi ita edidit Wyttenbachius T. I. P. II. p. 824. *διὰ τὸν νόμον, ὥσπερ ὑπὸ πληγῆς κύνες, ἢ γαλεοὶ ψόφῳ τῶν ἡδονῶν ἀποτρεπόμενοι, καὶ πρὸς τὸ δεινὸν ἀποβλέποντες.* Cui lectioni non respondet interpretatio: *tanquam* canis morsu aut felis metu *a voluptatibus deterriti et ad periculum respicientes.* Magis placebit Gatakeri traiectio *ὑπὸ πληγῆς ψόφῳ* et emendatio nostra *πρὸς τὸ δέον ἀποβλέποντες.* Sic alibi scribit Plutarchus *ὑπὸ μάστιγι*, Tom. II. P. II. p. 919. ed. Wyttenb. Gellius X. 5. *animum hercle meum — imago quaedam* et sonus verberum *et vocum et eiulationum circumplectitur.* Iam apud Livium I. 21. in verbis, *proximo legum ac poenarum metu*, quae item corrupta visa sunt viris doctis, nihil mutandum censeo, nec *proximum metum* intelligo *metum* legum ac poenarum *sub Romulo*, quae Walchii est interpretatio Emendatt. p. 166., sed *reverentiam legum*, quae eandem vim in animis Romanorum *tum* habebant, quam *metus poenarum.* Livius XXII. 3. *Consul ferox ab consulatu priore et* non modo legum *ac Patrum maiestatis*, sed ne Deorum quidem *satis* metuens *erat.* De *metu legum* dixi supra ad I. 3. 18. de *metu deorum* ib. v. 51.

77. *At quae fida fuit nulli*] Codd. Lips. et Hamb. *Atque*, id est, *At quae*. Edd. Rom. et Venett. cum comment. Cyll. 1491 — 93. *Ast*. Reg. Lep. ut princeps:

At quae fida fuit: nulli potest *uicta senecta.*

Ald. 1515. Basil. 1569. *Nam*. Tibullus ipse II. 4. 45.

At *bona* quae *nec avara* fuit.

78. *stamina*] Vicent. *stamula*. Reg. Lep. *stamnia*. Cod. Hamb. *stamina longa*, ex I. 3. 86. Dat. *stamina certa*.

80. *ducta putat*] Sic Codd. Paris. et Lips. Ed. min. 1472. Venet. 1475. Brix. — Excerptt. Perr. Edd. Plant. et Gryph. 1573. *dente parat*.

81. *iuvenumque catervae*] Unus apud Broukh. *iuvenesque catervae*. Lips. *iuvenumque catenis*. Dele comma post *vident*.

83. *flentem*] Idem liber Lips. *frendens*. Margo *flentem*.

84. *infidis quam sit acerba*] Excerptt. Perr. Edd. Rom. Venett. 1487. 91. 93. 1500 et 1520. *infoelix quod*. *Quod sit* est etiam in cod. Lips. Ed. min. 1472. Aldd. Basil. 1569. Scaligg. Gebh. Sola Brix. habet *quam*. Reliquae huius saeculi Edd. *quae*. Basil. in marg. *cur*.

86. *stemus*] Ita Excerptt. Perr. Edd. Rom. et Brix. pro *simus*, quod legitur in aliis, etiam in Cod. Lips. Revocavit illud Broukhusius.

ELEGIA VII.

1. *Hunc — diem*] Venet. 1475. Reg. Lep. et Lips. apud Heynium *Hanc — diem*. Ita Paris. et Zwic. 1. Iidem tamen libri v. 3. habent *Hunc*. E contrario Cod. Lips. v. 1. exhibet *Hunc*, v. 3.

Hanc *fore equitenas posset* q uincere *gentes.*

3. *Hunc fore*] Ed. min. 1472. *Nunc fore* cum Guelf. 5. et Hamb.

8. *Portabat niveis*] Cod. Lips. Edd. Brix. Venett. 1491. 93. Ald. 1502. *Portabat nitidis*. Reliquae *Portabit*. Ald. 1515. et Muretus *Portabat niveis*. Scaliger constanter edidit *Portabat nitidis*. Ed. 1607. mera est repetitio Ed. 1600. Virgilius Cul. 126.

At, *quibus* insigni curru *proiectus equorum*
Ambustus Phaethon luctu mutaverat artus —

9. *honos. Tarbella Pyrene*] Cod. Lips. *onos tua bella priene*. Ed. min. 1472. *Pyrhene*. Scaligeri emendatio firmatur Monac. et Voss. 1. 3.

12. *Carnuti et flavi*] Omnes *Carnoti*, praeter Edd. Brix. Venett. 1491. 93. Aldd. Muret. quibus inest *Carmoti*. Scaliger edidit de coniectura *fluvii*. Perperam.

13. *An te*] Vulgo *At te*. Illud e libris scriptis reposuit Broukhusius. Cod. Lips. versum prorsus mendosum exhibet, ut *unguis* pro *undis*, quod in margine habet.

16. *alat*] Ita Edd. Muret. Plantin. Cryph. 1573. Dous. etc. Vulgo *arat*.

21. *quum findit*] Cod. Lips. *comfundit*. Dresd. *confundit*. Guarn. *cum fundit*. Ed. mai. 1472. *confindit*. Minor cum reliquis *cum findit*. Vide III. 3. 12.

Arvaque si findant *pinguia mille boves*.

22. *abundet*] Cod. Lips. cum Ed. min. 1472. *abundat*.

23. *quanam possum*] Sic iidem libri scriptus et editus, Aldd. Muret. Scaligg. — Reg. Lep. *posim*. Cod. Vindob. *possem*. Bern. *te possim*.

27—28. *Osirim — plangere — Memphiten*] Hanc scripturam exhibent ex meis Edd. a. 1472. Venett. 1491. 93. Aldd. Scaligg. Omnes *Osirim* vel *Osyrim*. Venet. 1475. nisi fallor, certe Vicent. et Reg. Lep. *Memphitem* cum Cod. Lips. et aliis. Excerptt. Perr. *plaudere* V. C. pro *plangere*. Ita Edd. Brix. et Venett. 1491. 93. cum Excerptt. Pocch. et Lipsii, et Anglic. uno.

35. *iucundos — sapores*] Edd. veteres *iocundos*. Cod. Lips. Dresd. et Askew. *sopores*.

36. *incultis — pedibus*] Potest hoc simpliciter sumi pro *nudis* pedibus. Certe apud Ovidium *incultae genae* videntur esse *inornatae*. Tibullus I. 8. 15.

Ipsa placet, quamvis inculto *venerit* ore.

42. *compede pulsa*] Omnes Edd. veteres habent *cuspide*, praeter unam Ed. min. a. 1472. quae prima et sola veram lectionem *compede* praeivit, revocatam ab Aldo, nec derelictam postea, nisi a Broukhusio, qui versum ita emendando corrupit:

Crura licet dura cuspide inulta *sonent*.

Sane, si hoc est emendare, ego nescio, quid sit corrumpere. Invenerat ille in uno et altero libro *multa* pro *pulsa*, unde facili

sed inani negotio formabat *inulta.* At *cuspide* tamen libri propemodum omnes habent. Recte. Sed orta est lectio e scriptura *cūpide.* U enim pro O scribere tum solebant, ut *Rutundus*, *Epistula.* Vide Koppii Tachygr. Vett. T. I. p. 269. Hinc Ed. Rom. *cuzpede*, alii *cuspide* fecerunt, quod prorsus abiiciendum. Habent *compede* duo Anglicc. Askew. et Monac. — Excerptt. Pocch. et Perr. cum aliis *pressa* pro *pulsa.* Dat. *vincta.* Hoc translatum huc est ex II. 6. 25.

Spes etiam valida solatur compede vinctum;
Crura sonant *ferro*, *sed canit inter opus.*

43. *nec luctus*] Sfortiae liber et Voss. 3. *nec vultus.* Reposuit Broukhusius. Sed vide Heynium.

44. *Sed chorus et cantus*] Tres libri *torus.* Vindob. in marg. *locus* pro *iocus.* Ed. min. 1472. *Sed chorus et quantus.* Ed. Rom. et Venett. 1491. 93. Brix. et Ald. 1502. *leuis et aptus amor.* Quod Muret. Basil. 1569. Plant. Gryph. et Dous. mutarunt in *lenis, et aptus amor.* Atqui *aptus* non ad *amorem* pertinet, sed ad Osirim, *cui apti sunt* et chorus et cantus et levis amor. *Cod. Lips. artus.*

45. *varii — corymbis*] Idem liber, *vacui — corībis.* Ed. min. 1472. omisso apice *coribis.*

46. *Fusa sed*] Edd. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. et Lips. apud Heyn. *Fusa quoque.* Ita Palat. unus et Zwicc.

47. *dulcis tibia*] Edd. Venet. 1475. Reg. Lep. et Lips. *dulcia.*

50. *Concelebra et — funde*] Ed. min. 1472. absque copula, *Concelebra: multo*, ut est in Dat. Guyetus *tunde*, ut *mero quassa tempora* apud Ovidium Rem. Am. 146. Cod. Lips. *fonde.*

51. *Illius e — capillo*] Ita Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Atque ita etiam apud Cyllenium legi Broukhusius narrat, fortasse in Venet. 1487. quod vix crediderim. Certe Venett. 1491. 93. simpliciter exhibent *Illius nitido.* Locum ipsum non attigit Cyllenius in Commentario. Ergo Ed. min. 1472. sola ex antiquioribus dedit *Illius et*, quod propagarunt Aldd. Scaligg. Illud habent Basil. Muret. Plant. Gryph. etc. Cod. Lips. *Illius et — onguento capilli.*

53. *Sic venias hodierne — dem*] Plane ita legitur in Codd. Lips. Paris. et Ed. min. 1472. nisi quod Lips. habet *odierne.* Vicent. *Sic venies — dem.* Reg. Lep. *dum.* Rom. et Venett. 1491. 93. *Sic*

veniut — dum. Mendosam Aldd. lectionem *hodierna — dum* iam Statius *e veteribus* emendavit ita, ut hodie legitur, idemque e suo libro reposuit Scaliger.

54. *Liba et Mopsopio — melle*] *Libaque* Broukhusius ex uno et altero libro, quibus accedit Voss. 3. *Liba et messopio — mella,* Ed. min. 1472.

56. *stet veneranda*] Liber Sfort. cum tribus recentioribus *venerata*, quod, praeeunte Statio, in textum intulerunt Broukhusius et Vulpius, recte abiecit Heynius, observans, frequentem esse horum participiorum confusionem in libris, sicut statim v. 63. rursus in libro Sfortiae est *celebrate* pro *celebrande*, in alio *celebrata*. Quo magis mihi fit probabilis emendatio *medicate* pro *medicande* III. 6. 3.

Aufer et ipse meum pariter medicate *dolorem.*

57 — 58. *Nec taceat — quem — Candida quem*] Ed. min. 1472. *Nec taceat — quae.* Venet. 1475. Vicent. et Reg. Lep. *quem*, etiam, ni fallor, Venett. 1491. 93. quibus inest q̄. Cod. Lips. Aldd. Muret. Basil. Plautin. Gryph. Gebh. *Non taceam — quae.* Scaliger et Dousa, *Nec taceant — quae.* Sine dubio verum est *quem*, quod idem recte repetivit Broukhusius v. 58. ubi vulgo legitur *Candidaque*, in Lips. *Gaudia quę.* Ovidius III. Fastt. 533.

Invenies illic, qui *Nestoris ebibat annos,*
Quae *sit per calices facta Sibylla suos.*

59. *glarea*] Abest a Cod. Lips.

61. *Te canet — e*] Idem liber cum Edd. a. 1472. Venet. 1475. Vicent. et Reg. Lep. *Te* canit *agricola magna*, omissa praepositione, quam habent Venett. 1491. 93. Aldd. Muret. Basil. Scalig. etc.

64. *Candidior — veni*] Monac. *Splendidior.* Sfort. liber *redi.*

ELEGIA VIII.

1. *Non ego celari possim — amantis*] Cod. Lips. Edd. a. 1472. Vicent. *celare possum.* Venet. 1475. 1491. 93. Reg. Lep. Muret. Dous. Plant. Gryph. *celari possum.* Lectionem Aldd. quam supra adscripsi, ita corrige: Ald. 1502. *caelarim, possit.* Ald. 1515. *caelari possum.* Pro *amantis* Venet. 1475. et Reg. Lep. *amoris.* Vide I. 9. 1.

5. *fibra deorum*] Ed. min. 1472. sola habet, quod legitur in Goth. et Voss. 4. *turba deorum.*

6. *verberibus*] Falso Heinsius Ald. 1515. adscripsit, quod repetitum ab Heynio, Ed, Reg. Lep. habere *vulneribus*. Habet enim *verberibus*. Illud est in Witt. B.

11. *fuco — genas ornasse*] Cod. Lips. *suco — comas cremare.* Ed. min. 1472. *fucco — comas ornare.* Et *comas ornare* etiam Scaligeri Edd. habent, qui non nisi in Castigatt. proposuit *genas onerasse*, postquam Muretus ediderat *genas ornasse.* Ita Pocch. et Colot. Excerptt.

14. *colligit arta*] Ed. min. a. 1472. *colligat arcta.* Maior, Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. *colligit arcta.* Rom. et Venett. 1491. 93. *alligat*, non *adligat. Colligit* reposuit Broukhusius e libris. Cod. Lips. *colliga.*

15. *Ipsa placet*] Idem liber, Ed. min. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. Ald. 1515. Muret. Basil. *Illa placet.* Recte Scaliger post Ald. 1502. revocavit *Ipsa.*

16. *comserit*] Scribe *compserit* cum Edd. vett.

17. *pollentibus*] Etiam Cod. Lips. et Ed. min. 1472. *pallentibus.* Brix. *pellentibus.*

18. *Devovit*] Brix. *Devovitat.*

19. *agris*] Cod. Lips. *argis*, credo, pro *arvis*, ut est in Witt. A.

21. *e curru Lunam deducere*] Dresd. *a.* Unus Palat. *e cursu.* Eadem varietas est apud Ovidium Epist. VI. 85.

Illa reluctantem curru deducere Lunam
Nititur et tenebris abdere Solis equos.

Edd. Rom. et Brix. *e coelo.* Excerptt. Perr. ex V. C.

Cantus et e coelo deducere lumina *tentat.*

Hoc legitur in duobus Anglicc. Guelf. 1. Edd. Venett. 1487 — 1520.

22. *repulsa sonent*] Excerptt. Perr. „*recurva* Veronensis." Etiam Cyllenius in Commentario. Ed. Reg. Lep. *sonet.*

28. *Persequitur poenis*] Anglic. unus, Dresd. et Witt. A. (pro diversa lectione) Edd. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. *Prosequitur*, e compendiosa scriptura. Cod. Lips. *pseqtur penis.* Hinc in Ald. 1502. *Persequitur pennis.*

51. *laevia*] Excerptt. Perr. *mollia* V. C. Sic Askew. Sfort. Ed. Rom. cum Venett. 1491 — Brix.

51. *aspera*] Iidem libri *hispida*.

55. *inveniet — succumbere*] Nostri omnes *invenit concumbere*. Unus Broukh. *concurrere*.

57. *anhelanti*] Reg. Lep. *anhelātim*.

59. *Non lapis hanc — quae*] Vindob.

Hanc *lapis* hanc *gemmaeque iuvent*, *quae* —

Quo probabilior fit traiectio, Quam *lapides* — *iuvant*, *haec*. Conf. Horatium IV. 13. 13. qui etiam *frigidas noctes* tribuit amatori, absente puella, III. 7. 6.

40. *Dormiat et*] Ed. min. a. 1472.

Dormiat: nulli sic cupienda uiro.

41. *cana senecta*] Excerptt. Perr. *curva* V.C. Habet etiam Ed. Brix.

42. *Tum studium formae*] Cod. Lips. *Tum studium forme ē coma mutatur.* *Est* habent Edd. ante Broukhus. omnes. Omittunt Sfort. Colb. — Ed. Reg. Lep. *Tum studio forme est*.

44. *Dissimulet — tincta*] Etiam Venet. 1475. et Reg. Lep. *Dissimilet — cincta*.

45. *tunc — albos*] Sic Paris. Ed. mai. 1472. Vicent. Venett. 1491. 93. Aliae *nunc*. Ed. min.

Tollere tunc cura est canos *a stirpe capillos.*

46. *demta pelle*] Corrige *dempta*, ut habent Edd. veteres.

49. *Neu — torque — victo*] Cod. Lips. Venet. 1475. Viceut. Reg. Lep. *Heu marathum torquet*. Ed. min. 1472.

Heu *Marathum* torques, *puero quae gloria victo* est?

Venett. 1491. 93. *Seu.* Omnes in fine habent *est*, quod primus omisit Broukhusius, et abest, nisi fallor, a nonnullis libris apud Voss.

51. *sontica caussa est*] Ed. min. 1472. *scutica causa est*, sicut legitur in uno Stat. duobus Broukh. Nonnulli *rustica*, *sentica* cura *est*. Unus modo Voss. 2. omisit *est*. I. 9. 51.

Tu procul hinc absis, *cui formam vendere* cura est.

De confusione vocum *caussa* et *cura* vide III. 2. 27—28.

52. *luto — tinguit*] Primus Muretus (Ed. Lugd. 1559.) edidit *luto*, quam scripturam confirmant Codd. Lips. Askew. Voss. 2.

Antea legèbatur *lutheo* vel *luteo*, *lucteo*, ut est in Ed. 1472. Vicentina:

Sed nimius luteo corpora tingit timor.

55. *Quid — spernit — vinci*] Witt. B. Dat. et Askew. *Cur* pro *Quid*. *Spernit* confirmant Codd. Lips. Askew. Statt. et Voss. Vulgo *spernis* ante Broukhusium. Pro *vinci* Voss. 5. Ald. 1515. Muret. Basil. Plantin. Gryph.

59. *Et possim*] Cod. Lips. Ed. min. 1472. Venett. 1491. 93. *Et possum*.

61. *Quid prosunt — si spernit*] *Prosunt* habet Ed. min. 1472. et Ald. 1515. Venett. 1491. 93. *psunt*. Reliquae cum cod. Lips. *possunt*. Edd. a. 1472. *si spernis*. Similiter infra IV. 11. 5.

Nam mihi quid prosit *morbos evincere*, *si tu —*

64. *multis — modis*] Sic Cod. Lips. Edd. Aldd. Basil. Scaligg. Vulgo *malis*.

66. *pedem*] Ita reposuit Scaliger e libro suo, cui accedunt Voss. duo, Askew. et Goth. Vulgo *pedes*.

69. *moneo*, *fastidia Divi*] Vicent. *fastigia*. Ed. Lips. apud Heynium, *moveo fastidia Divis*.

70. *sanctis — focis*] Ed. min. 1472. *factis — focis*.

72. *deum*] Eadem Ed. *suum*.

73. *Saepe etiam — dolentis*] Cod. Lips. *Et iam nunc — dolentes*. Unus Broukh. Guelf. 1. 4. Edd. Rom. Brix. Venett. 1491. 93. Ald. 1515. Muret. Basil. Plant. Gryph. Gebhard. *lacrymis* vel *lachrymis*.

76. *adposita est — dura*] Cod. Lips. et Edd. vett. *opposita est*. Ald. 1515. Basil. Gebhard. *firma* pro *dura*. Vide I. 2. 6. Vix attinet monere, nullum librum nec scriptum nec editum omisisse *est*, quod quo tandem modo omitti possit in hoc versu? Guyetus in extremam versus regionem relegavit. Sed vide I. 1. 34.

77. *ni desinis*] Sic Edd. veteres cum Codd. Lips. et Paris. In Venett. 1491. 93. Aldd. etc. est *nisi*.

78. *hunc — diem*] Nullus liber *hanc* habet.

ELEGIA IX.

1. *teneros — amores*] Codd. Lips. et Paris. Ed. min. a. 1472. Reg. Lep. Ald. 1515. Muret. Basil. Plantin. Gryph. Gebh. *miseros*

— *amores*. Ald. 1502. Scaligg. *miseros* — *amantes*. Recte Vossius reposuit *teneros* — *amores* (non *miseros*), quod et libri scripti confirmant et Edd. Vicent. Brix. et Venett. 1491. 93.

2. *Foedera — clam*] Hamb. *Oscula*. Cod. Lips. *iam*, quod ex suo libro reposuit Scaliger. Zwic. 1. et Ed. Lips. apud Heyn. *non violanda*.

9. *petituras freta per parentia*] Sic Paris. et Ald. 1515. Lips. et Ald. 1502. *petiturus per freta patentia*. Ed. min. 1472. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. Muret. Scalig. *petituras*. Vicent. et Basil. *petituros*.

12. *et liquidas — vertat aquas*] Turnebus Adversarr. XVI. c. 4. legit *rapidas*, quod infra v. 49. melius flammae tribuitur.

13. *perselvet*] Ita Ed. min. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. *persolves* Cod. Lips. Ald. 1502. Scalig.

23. *Nec tibi celandi spes sit*] Cod. Lips. Ed. min. a. 1472. etc. *celanti fas sit*. Complures libri *celandi*. Colb. *fors*. Zwicc. 1. 2. *spes*.

24. *Est deus — qui vetat*] Cod. Lips. Ed. min. 1472. Venet. 1475. Reg. Lep. Muret. Basil. Dous. Plant. Gryph. *Sit deus — qui vetet*. Ed. mai. 1472. Vicent. Venett. Ald. 1502. *Sit — qui vetat*. Horatius II. Epistt. 2. 182.

Sunt qui non habeant; est qui *non* curat *habere*.

25. *lena*] Ed. min. 1472. et Vicent. *lene*. Cod. Lips. *leue*. Reg. Lep. *leua*, ut Ed. Rom. Primus *lena* in contextum intulit Heynius.

26. *Ederet*] Cod. Lips. cum uno Broukh. *Et decet*.

30. *Nunc pudet*] Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Lips. apud Heynium *Non*, ut legitur in Voss. quart. Goth. Zwicc.

31. *Tunc — te*] Cod. Lips. *Tunc — tibi*. Edd. veteres *Tu — tibi*. Conf. v. 45. Nonnulli libri, *nullius divitis auri*.

32. *vendere — fidem*] Sic Cod. Lips. et Ed. min. a. 1472. Supra I. 4. 59. *Venerem vendere*. Infra v. 51. *formam vendere*.

36. *fulminis*] Cod. Lips. *fluminis*. Ed. min. 1472. *flumis*. Reliquae *fulminis*. Ante omnes *coeli*.

39. *Quid faceres*] Edd. Venet. 1475. Reg. Lep. Brix. Venett. 1491. 93. Ald. 1515. Basil. Gebhard. *Quid facerem*. Ed. min. 1472. Muret. Scalig. Plant. Gryph. *Quid faceres*. Ita Cod. Paris. — Dousa *Quid facias*, ut Cod. Lips.

40. *Sit — sit levis*] Cod. Lips. Ed. min. 1472. Aldd. Scalig. *Sit — sed.* Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Venett. 1491. 93. *Sed — sit.*

44. *Et latuit — post — fores*] Omnes nostri *Sed.* Excerptt. Perr. *Et*, ut in quibusdam Stat. et Heins. Horatius I. Serm. 8. 36.

post *magna* latere *sepulcra.*

45. *Tum — confisus amari*] Ed. Vicent. *Tu*, omisso apice, ut v. 31. Codd. Lips. et Dat. *confixus.* Unus Anglic. et Corvin. *amori.* Zwicc. *amanti.* Usus eram hoc loco ad emendandum Propertii locum I. 20. 52. quam emendationem occupavit Lachmannus, vir doctissimus:

Formosum Nymphis credere fisus *Hylan.*

48. *At me*] Muretus primus, ut videtur, edidit non *Ut me*, sed *At me*, ut est in Askew. et Vindob. Vulgo *Et.*

49. *rapida — flamma*] Unus *rabida.* Rapidam flammam dicit, ut *πῦρ ἄγριον* Theocritus Id. II. 54.

ὤ 'γὼ νῦν τίλλοισα κατ' ἀγρίῳ ἐν πυρὶ βάλλω.

Minime enim cum Hemsterhusio legendum *κατ' ἀγρίω*, *adversus hunc agrestem amatorem.* Sic idem Id. XXIV. 89.

καῖε δὲ τώδ' ἀγρίαισιν ἐπὶ σχίζαισι δράκοντε.

51. *Tu procul hinc absis, cui formam — cura est*] Cod. Lips. *Tunc.* Voss. 4 et 5. *Sic procul hinc absis.* Tertius habet Scaligeri lectionem: *Sit procul a nobis, formam cui.* Est haec manifesta interpolatio, expressa etiam a Broukhusio. Edd. veteres Dous. Plant. Gryph. *cui formam.* Vide supra I. 6. 9. Ald. 1515. et Basil. 1569. *curae est.* Duo Codd. Broukh. *curae* absque verbo *est*, quod h. l. intactum reliquit Vossius, qui dedit *cura est.* Idem eiecit supra I. 8. (9) 51. *Non illi sontica caussa* est.

55. *lassaverit*] Ed. min. 1472. cum Cod. Lips. et aliis apud Broukhusium *laxaverit.*

57. *Semper sint externa*] Ita clare legitur in Codd. Paris. et Lips. Ed. min. 1472. et Vicent. (etiam in Reg. Lep. et Venet. 1475. quae tamen *extrema* habent.) Muret. Dous. Plant. Gryph. — Scaligg. cum Venett. *Sint externa tuo semper.* Ed. Rom. *Sint hesterna tuo — vestigia.*

59 — 60. *Nec — vel*] Cod. Lips. *Ne.* Ab eodem abest *vel*, quod habet Ed. min. 1472. Aliae *quam.* Muret. Plant. Gryph. *quam plures* haec *meruisse viros.* Nescio, cur Muretus discesserit

a lectione Aldd. *Nec* — *vel*, quam recte Scaliger retinuit, sequente Dous. Broukhusius, *Nec* — *nec*, ex uno Scaligeri libro.

62. *rota Luciferi provocet*] Ed. Rom.

Dum rota Luciferum provocat *ortu diem.*

63. *Illa nulla queat*] Sic Codd. Lips. Paris. alii. Edd. veteres cum libris multis *Illa queat nullam.* Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. *Illa querat nullam.* Recte Scaliger e suo libro reposuit *Illa nulla queat.*

64. *Aut operum* — *vices*] Nullum adhuc commemoratum vidi librum scriptum, qui exhiberet *Atque* pro *Aut*, quod habent Edd. ante Aldd. omnes, etiam Muret. Plant. Gryph. Dous. Scaliger *Atque*, quod miro acumine tuetur Wunderlich. Ursini liber *vias* pro *vices*, ex interpolatione librarii, cui in memoria haerebat locus ad speciem similis, re vera dissimillimus, II. 3. 54.

auratas disposuitque vias,

Ubi vicissim corrigebant viri docti, Heinsius ad Ald. 1515. Marklandus ad Statium p. 278. et Burmannus apud Vossium *vices.* Marklandus, cuius librum nunc in manibus habeo, ita: „Eleganter *auratas vices* appellat Tibullus virgas et strias aureas telis intertextas et *vicibus* interpositas. Hoc eruditis evincet sola vox *disposuit.*" Sed vide annotationem nostram.

66. *corpus* — *movet*] Dat. *thait.* Askew. *trahit.*

67. *Tunc putas illam* — *disponere crines*] Duo Statt. cum aliis, Ed. min. 1472. Brix. Venett. 1491. 93. *putes.* Caeterum libri scripti editique omnes habent *disponere crines*, praeter unum Paris. qui habet *disponere corpus.* Haec lectio si vera est, omnis tollitur dubitatio de particula *Aut* v. 68. cui Broukhusius e Florentino Statii substituit *Et*, probante Vossio. Plato Phaed. p. 116. ed. Heind. *Τοιγάρτοι τούτοις μὲν ἅπασιν, ἔφη, ὦ Κέβης, ἐκεῖνοι οἷς τι μέλει τῆς αὑτῶν ψυχῆς, ἀλλὰ μὴ σώματα πλάττοντες ζῶσι, χαίρειν εἰπόντες οὐ κατὰ ταὐτὰ πορεύονται αὐτοῖς* — Ad quem locum Heindorfius: „Me quidem quum pluralis *σώματα*, tum magis etiam offendit verbum *πλάττειν*, *artificiose fingere* et *formare*, quum h. l. vocabulum potius requiratur *colendi et fovendi* vi praeditum." Atqui hoc est *πλάττειν σῶμα*, docente Wyttenbachio p. 219. Similiter scribitur *componere, fingere* corpus, *vultum.* Ovidius IV. Metam. 317.

Nec tamen ante adiit, etsi properabat adire,
Quam se composuit, *quam circumspexit amictus,*
Et finxit vultum *et meruit formosa videri.*

Nec tamen intercedam, si quis vocem *corpus* e superiore versu a librario per errorem repetitam statuat, et reponendum censeat v. 68. *Et*, quod fecit etiam Wunderlichius. Supra I. 8. 9.

Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos?
Saepeque mutatas disposuisse comas?

68. *Aut — pectere dente*] Gebhard. Ed. a. 1621. *At*. Ed. Reg. Lep. et Ald. 1515. cum uno Voss. et Goth. *pectore*. Alio modo aberrant Venett. 1491. 93.

Aut tenues denso pectine *dente comas*.

Quod Cyllenius apte per periphrasin cum *denso dente* coniungi putat. Witt. B. *pectine nocte*. Unus Broukh. *nectere dente*.

69. *Ista haec*] Ed. min. 1472. Venett. 1491. 93. Ald. 1502. *Illa haec*.

73. *Nec — vitio*] Eaedem Edd. et Scalig. *Non*. Cod. Lips. *Nec facit hoc* lucro.

77. *Blanditiasne*] Hamb. *Deliciasne*.

79. *Tunc — vinctum*] Cod. Lips. *Tunc — victum*. Edd. Vicent. et Venett. 1491. 93. *Tum*. Reg. Lep. *Tu*.

80. *Et geret in gremio*] Codd. Lips. et Sfort. Ed. min. 1472. *in regno regna*. Lips. etiam *reget*.

ELEGIA X.

Excerptt. Perr. Principium II libri de Amoribus Nemesis V. C.

3 — 4. *Tunc*] Cod. Lips. *Tum — tum — Tum*. Paris. *Tunc — tum — Tum*. Ed. min. 1472. *Tum — tunc — Tunc*. Mihi vera videtur scriptura *Tunc caedes* — At plane, inquit, dissonus est concursus litterae *c*. Num etiam in *Huncce*, *Siccine*, *Sicco*, *Occo* et infinitis aliis? Immo hic legitimus est concursus. Posito autem semel *Tunc caedes*, quid impulisse credam Tibullum, ut litteram mugientem M praeferret ante *proelia*, et *brevior?* Nisi forte hoc dicere voluerit, *Postquam* caedes hominum generi nata est, *tum* proelia nata, *tum* brevior mortis via aperta est. Quod ridiculum. Vide I. 1. 21. et II. 1. 43.

5. *At*] Eadem Ed. *An*.

8. *adstabat quum*] Eadem *dum*.

10. *varias — inter oves*] Broukhusius e coniectura Heinsii edidit *saturas*. „Est enim vitium lanae, si *varia* sit." Cyllenius

aliter vocem sumebat scribens: „aut *varias*, quoniam earum quaedam candidae sunt, aliae nigrae: aut *diversi generis animalia* sub ovis vocabulo comprehendit: fuisse enim casam et pecori et pastori communem.“ Haec forent *συμμιγῆ βοσκήματα*, Sophocl. Trach. 762. Sed ego intelligere malim *mixtos* variorum *greges*, qui, dum dormiunt pastores, commisceri solent. Homerus Il. β. 474.

τοὺς δ', ὥστ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν αἰπόλοι ἄνδρες
ῥεῖα διακρινέωσιν, ἐπεί κε νομῷ μιγέωσιν —

11. *vulgi nec tristia nossem arma*] Ed. Vicent. *nec tristia* mihi *nossem*, omisso loco suo pronomine. Muret. *non* pro *nec*, cum Codd. Dresd. et Voss. 2. Pro *nossem* Cod. Paris. et Ed. min. 1472. *noscem*. *Vulgus* de militibus gregariis dici, scio, ubi scilicet ducibus opponuntur. Sed *vulgi arma* de re militari universe poni, nec fando audivi, nec legendo cognovi. *Tunc* hoc loco ne unus quidem librarius vel editor ante Vossium mutavit in *Tum*.

12. *nec audissem corde micante tubam*] Eadem Editio *audirem*. Bona lectio. Pro *micante*, quod cum aliis habent Codd. Paris. et Lips., *tremente* praefert Ald. 1515. idque adsumpserunt Muret. Basil. 1569. Plant. Gryph. et quas praeterea recenset Klindworthus. Est haec etiam lectio ducta e libris scriptis, nec tamen probata Editoribus Saeculi XV. nec Scaligero. Mendosa scriptura, *comam* pro *tubam*, exstat etiam in Venet. 1475. (notante Heinsio ad Ald.) et Reg. Lep. eamque unus habet Zwic. At Ed. min. 1472. et Vicent. etc. *tubam*.

15. *iidem*] Haec est scriptura in Ed. mai. 1472. Vicent. Reg. Lep. Aldd. Muret. Scaligg. Alteram scripturam *idem* habent Codd. Paris. Lips. Dresd. alii, Ed. min. 1472. Venett. 1487—1500. Hanc praeferebat Statius, repertam, ut ait, in veteribus monumentis et in Sfortiae libro. Nihilominus *iidem*, geminato *i*, monente Broukhusio, plus semel etiam in lapidibus literatis reperitur. Priscianus p. 737. docet, vetustissimos pro una longa duas *i* posuisse, *ii*, *iis*, ab *iis*: at in compositione, *idem* et *isdem* per unam *i* pro *iidem* et *iisdem*, quia in his nulla fit confusio significationis, quae locum habet, si *i* et *is* scribitur.

16. *Cursarem — quum*] Nescio, an in Cod. Paris. sit *Cursabam*. Nam ad hanc Vossii lectionem, ut nunc video, nullam diversitatem notavit eruditissima Bardili. Ed. Vicent. *qcum*.

17. *esse e stipite*] Codd. Lips. et Hamb. Ed. Vicent. *ex stipite*.

18. *Sic veteris sedes*] Edd. saeculi XV. cum libris multis *Sic veteres sedes*, quod etiam Muretus expressit. Edd. saeculi XVI. complures, ut Ald. 1502. et Scalig., ex aliis libris *Sic veteres aedes*. At receptam lectionem confirmant Collatt. Colot. Askew. Hamb. quatuor Voss. Ed. Ald. 1515. Basil. 1569. Plant. Gryph. Dous. Gebh. etc. Cod. Lips. Scio *veteres edes*.

19. *Tunc*] Nostri libri omnes *Tunc*, etiam Edd. Venett. cum commentario Cyllenii, qui ipse habet *Tū*. Vaticanus Stat. *Sic*.

23. *liba ipse*] Codd. Paris. Lips. Edd. veteres *ipsa*. Vicent. et Muret. *ipse*, ut Vatican. et complures libri Voss.

26. *Hostia erit — rustica*] Codd. Paris. et Lips. *Hostiaque e plena rustica*. Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. et Venett. 1491. 93. eodem modo, sed *mystica*. Ed. min. 1472.

Hostiaque est *plena* rustica *porcus hara*.

Sic Voss. quart. certe *Hostiaque est*. *Rustica* propagavit Aldus, nec sprevit Scaliger: *mystica* Muretus: nexum orationis restituit Broukhusius, ope Excerptt. Perr. quae habent *Hostia* erit *plena* — Eadem Excerptt. habent interpolationem Pontani, adscripto *eius* nomine, sed v. 3.

Neu gladio celer instet eques, prosit mihi et haris —

27. *Hanc*] Nullus liber scriptus habet *Hunc*, omnis Editio vetus *Hanc*, cui illud primum substitutum video in Aldd. propagatum deinceps a Mureto, Scaligero, Dousa, Plantin. Gryph. 1573. At Basil. 1569. et Gebhard. *Hanc*.

28. *myrto vinctus*] Cod. Lips. *mixto victus*. Ed. min. 1472. *merito vinctus*.

30. *adversos*] Cod. Paris. *adverso*.

31. *potanti*] Nonnulli libri *pacanti*. Unus Palat. *pachanti*. Cod. Lips. *bacchanti*, sicut corrigebat Gebhardus. Conf. Propertii III. 17. 2.

33. *arcessere*] Sic Ed. min. 1472. Reliquae Edd. veteres, etiam eiusdem anni maior, non *accessere*, sed *accersere* cum Cod. Paris.

36. *navita turpis*] Ita unus Vatic. Excerptt. Colot. Monac. et Voss. 4. Recepit post Muretum Broukhusius. Vulgo *puppis*. Ed. min. 1472. *stiagae nauita pupis*.

37. *percussisque genis ustoque capillo*] Cod. Lips. *p tusisq gemens*: fortasse pro *pertusisque*, ut emendabat Livineius. Liber scriptus Scaligeri, teste etiam Heinsio ad Ald. *percissisque*. Hinc

ille in Edd. a. 1577 et 1582. admisit ex emendatione sua *percisisque.* At in Castigatt. ad Ed. 1600. scribit Scaliger: Liber scriptus *perscissisque:* quod in hanc Editionem intulit. Exstat etiam in Ed. Lugd. 1607. caeterisque, quae Scaligeranam per omnia expresserunt. At Edd. veteres cunctae habent *percussisque.* Florentinus Statii solus *ruptoque capillo.* Ed. min. 1472. cum Anglic. uno:

Illic percussisque genis uastoque *capillo.*

39. *laudandus hic est*] Cod. Lips. *laudandus* et hic *est.* Ed. min. 1472. *et hic, quem.*

43. *caput candescere canis*] Eadem Ed. *caput albescere ramis.* Guelf. 2. *canescere.* Conf. Propertium II. 18. 5.

46. *Duxit araturos sub iuga curva boves*] *Aratores* habent duo Vaticani cod. Lipsii et Excerptt. Pocch. Editio ante Broukh. nulla. At Ed. min. a. 1472. *iuga panda*, cum Florent. Statii, uno Broukh. Paris. et Excerptt. Lipsii.

49. *Pace bidens vomerque vigent*] Cod. Paris. cum Cuarner. convenit in mendosa scriptura, *Pace nitens vomer viderit.* In illo tamen secunda syllaba vocis *Pace* in litura est, addita a manu recentiore. *Nitent*, quod admiserunt Broukh. et Vulpius, probatur etiam Heynio in Observatt. non mihi.

51. *e lucoque vehit — ipse*] Cod. Lips. *elucoque — ipso.* Edd. min. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. Aldd. *e lutoque — ipso.* Venett. 1491. 93. (errat enim Klindworth.) Muret. Basil. Dous. Scalig. etc. *e lucoque — ipso. Ipse* Broukhusius reposuit. Praeiverat Ed. mai. 1472. quae habet, *e lutoque vehit — ipse.*

55. *Flet teneras subtusa genas*] Ed. min. 1472. *Flet* tenebris suffusa *genas.* In quam lectionem coniectura incidit Ioann. Columbus, secutus vestigia mendosae scripturae in libro Scheffer. *tenebras suffusa.*

57. *rixae mala verba*] Herodoti locus descriptus est ad II. 5. 101. *Ingeret — maledicta.*

58. *Inter et iratum lentus*] Cod. Lips. *iratas letus.* Gebhardi Ed. a. 1621. item *lentus* habet, non *laetus*, quod legitur in Laud. et Anglic. uno.

59. *ferrumque*] Ed. min. 1472. *fretumque.*

60. *e coelo deripit*] Eadem Editio, *et coelo dirripit.* Cod. Lips. *et celo diripit.* Est etiam *et* in Dresd. Vatic. et Sfort. Witt. A. Colbert. tribus Anglicc. quatuor Voss. Editores tamen omnes, ante Vossium, hanc lectionem abiecerunt. Merito. Cicero Philipp.

II. 42. *Collegom quidem* de coelo detraxisti. *Diripit* in *deripit* primus mutavit Scaliger.

61. *rescindere*] Cod. Lips. *persindere* pro *perscindere*, ut est etiam in Ed. min. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. Aldd. etc. At Venett. cum commentario Cyllenii 1487 — 1500. *praescindere*, ut legitur in Palat. uno, Monac. Passerat. et Guelf. 1. Broukhusius *rescindere*.

62. *ornatas — comas*] Sic Cod. Lips. Palatini 4. Zwicc. et Edd. veteres. Ed. min. 1472. *ornatus — comas*. Quatuor Statt. Anglicc. unus Gebhard. *ornatus — comae*. In aliis Stat. et Palat. primo *ornatus — comis*.

64. *Cui*] Edd. veteres cum Cod. Lips. *Quo*. Dresd. et Ed. Lips. apud Heyn. *Quod*. Voss. quatuor, Askew. Vindob. Monac. *Quoi*.

68. *Perfluat*] Hanc lectionem e libris editis primus eiecit Scaliger, substituens in Ed. 1600. *Praefluat*, unde mansit in Edd. 1607. (Parisiensem apud Iac. Stoer, et Lugdunensem apud Anthon. de Harsy) Ianss. 1630 et 1640. alias. Legitur ita in Vaticano et quibusdam aliis libris apud Statium. Primus Broukhusius reposuit *Perpluat*, repertum nunc in Bern. et Voss. 4. 5. Solus edidit Vossius *Profluat*, quod legitur in Excerptt. Perr. Florentino ac nonnullis aliis apud Stat. et Guelf. 2. At Cod. Lips *pfluat*, id est, nisi fallor, *perfluat*, quae lectio libris plurimis, editis quidem ante Scaligerum omnibus confirmatur. Hanc eadem confidentia retinendam puto, qua lectionem *voluptatibus perfluens* apud Ciceronem, probatam etiam Goerenzio nostro apud Wunderlichium; pro qua locutione *voluptatibus permadescere* scribit Seneca de Provid. c. IV. *Fugite delicias: fugite enervatam felicitatem*, qua animi permadescunt, *nisi aliquid intervenit, quod humanae sortis admoneat*, velut perpetua ebrietate sopiti. Ubi vide Lipsium. Ib. Epist. XX. *Quod eo magis faciendum est*, quod deliciis permaduimus, *et omnia dura ac difficilia iudicamus*.

LIBER II. ELEGIA I.

21. *Tunc — confisus rusticus agris*] Cod. Dat. *Tum*. Scaliger emendationem suam *areis* pro *agris* in contextum intulit. Hoc idem adscriptum reperio in Excerptt. Perr. antiqua manu. Hein-

sius eum, Guyeto *horreis.* Scaligerum nunc, quod miror, secutus est Dousa, . Sed satis certa est recepta lectio.

27. *Nunc mihi fumosos — Falernos*] Adhuc incompertum habeo, quisnam auctor sit lectionis:

Nunc mihi nunc fumo *veteris proferte Falernum* —

Versum ita constitutum annotationi suae praefixit simpliciter Gebhardus. Barthius adeo Ed. Reg. Lep. adscripsit: *Vulgo*, *Nunc mihi* nunc fumo — Credibile igitur est, ita legi in nonnullis exemplaribus saeculi XVI. sive Colinaeis sive Gryphianis. Ego hanc lectionem nunc ipsum reperio in Ed. Dous. a. 1592. cum notatione in Marg. *fumosos Falernos.* De qua Edd. veterum librorumque scriptorum lectione Scaliger in Ed. a. 1582. scribit: „Hoc ὑποϑεύει. Sed nos legimus: *Nunc mihi nunc* fumos — Falernos, hoc est, vina quae fumum bibere sunt instituta, ut loquitur Horatius (III. 8. 11.). Unde recte ea vina *fumos* vocabant." Atque ita tum edidit. An etiam in Ed. a. 1577. ignoro. Postea recipiscens haec adiecit: „Sed Martialis fumos Massilitanos dixit in deteriorem partem. (III. 82. 23.) quod non potest dici de Falernis vinis. Ea non opus habebant bibere fumum. Infodiebantur enim, ut vetustate gratiam acquirerent. Quare assentior iis, qui *fumosum Falernum* legunt." Quid audio? Vinum Falernum infodiebatur, *nec fumum bibebat*, et tamen *fumosum* dicebatur? Ita certe edidit sibi ipse repugnans Scaliger a. 1600. idemque habent Edd. repetitae a. 1607. aliae.

52. *Nomen — verba sonent*] Lucanus IX. 215. *Vocibus his maior, quam si Romana sonarent Rostra* ducis laudes, *generosam venit ad urbem.*

54. *intonsis gloria — avis*] Hanc lectionem intulit Scaliger de coniectura, quae confirmatur libris Monac. Vindob. (Goth.) Excerptt. Perr. Vulgo *ades* pro *avis.*

40. *fronde operire domum*] *Domum* etiam Edd. Rom. Vicent. Brix. Venett. 1491. 93. Aldd. etc. agnoscunt. Excerptt. Perr. Pocch. et Lipsii cum uno Gebh. et Voss. secundo *casam.*

43 — 44. *Tunc victus abiere feri*, tunc consita pomus, *Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas*] Sic legitur in omnibus omnium libris, non *Tum — tunc — Tum*, neque vero *tunc insita pomus*, quod Excerptt. Lipsii sola habent, sed procul dubio ex interpolatione. Dele numeros „43—46." extremae annotationi ad hos versus frustra adpositos, iisque substitue: Tacitus Germ. „23 — 26."

Quibus locis plene confirmatur lectio, *consita pomus.* Nam postquam Tacitus retulit de Germanis c. 23. *Cibi simplices:* agrestia poma, *recens fera, aut lac concretum;* addit deinceps c. 26. *nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt*, ut pomaria conserant, *et prata separent*, et hortos rigent. *sola terrae seges imperatur.* Caeterum ne unus quidem liber habet *tum* ante *consita.* Vide I. 10. 3.

46. *Mixtaque securo est — mero*] *Est* non nisi Voss. 1. 2. in versus finem reiiciunt, abest non nisi a Voss. 3 et 5. Editiones autem non modo veteres, sed omnino omnes, quae factae sunt ante Broukhusium, verbum *est* habent *in penthemimeri.* (De hac huius vocis forma nuper in transcursu egit vir doctus in Ephemerid. Ien. a. 1817. n. 223. taxans cum alios tum Porsonum, scribentem in Praef. Hecubae p. XXVI. ed. Lips. *penthemimerim* et *hephthemimerim.* Scaliger adeo *penthemimerida* appellat illam carminis portionem, *ex* quinque semipedibus constantem, ad Ausonium; Ausonius ipse *penthemimerin*, Epist. IV. 86.

Qui Penthemimerin *habent priorem:*

sicut alibi *penthemimeris* scribit, v. c. in Epistola, Centoni Nuptiali praeposita, invito tamen Elio Vineto, qui *penthemimeres* et *penthemimeren* reponere malebat.) De structura huius pentametri egimus supra in Anall. ad I. 1. 34. Statius in Commentario omisit *est*, nullum commemorans librum, idem verbum omittentem.

51. *Agricola — satiatus aratro*] Scaliger, Lego *lassatus.* Intulit in Edd. 1577 et 1582. Postea reposuit *satiatus.*

66. *applauso tela sonat latere*] Cyllenius, ait Broukhusius, *a pulso.* Nescio, unde hoc hauserit. Habet enim in Commentario *appulso*, sicut Edd. Venett. 1491. 93. in contextu, cum Ed. Rom. et haud dubie etiam Venet. 1487. certe Venet. 1475. Vicent. Aldd. Basil. 1569. — Muretus, Dousa, Plantin. Gryph. 1573. *a pulso.* Scaligeri Edd. prima et secunda *adpluso — sonant.* Ed. 1600. *adpulso — sonant.*

89. *fuscis circumdatus alis Somnus*] Virgilius VII. 408.

Protenus hinc fuscis *tristis dea tollitur* alis.

VIII. 369.

Nox *ruit et* fuscis *tellurem amplectitur* alis.

ELEGIA III.

3. *iam nunc migravit in agros*] *Iam nunc* vel *nunc iam* more Graecorum. Aristophanes Nubb. 325.

ἤδη νῦν καὶ μόλις ἀθρῶ.

Reponit statim Socrates v. 326.

νῦν γέ τοι ἤδη καθορᾷς αὐτὰς, εἰ μὴ λημᾷς κολοκύνταις.

15 — 16. *Ipse deus solitus*] Ad versum 16. qui est etiam in Aldd.

Et potum pastas ducere fluminibus:

scribit Perreius in Excerptt. Versus iste supposititius. Vacant enim hoc loco Veteres codices, nec quae (nec haec) secum satis cohaerent, et apparet, plures desiderari versus. Pontanus tamen hunc locum supposuit versibus, inferiori in pagina hic positis:

Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas
In nemora, et pastas inde referre domum,
Ipse et spumanti fertur multralia succo
Implesse expressis primus ab uberibus
Et miscere n.

Adscriptum est his versibus PON. cui tamen nec primus nec postremus tribuitur, sed, qui his interpositi sunt, reliqui tres.

75. *Ah pereant artes — colendi*] Huic versui, quem habet Ald. 1515. adscripsit Perreius: „Hoc in loco vacat vetus Codex. Omnes enim versus positi sunt supposititii. Placet correptio (*correctio* an *corruptio?*) Pontani." Idem vacuo in Ald. 1515. post versum, *Ah pereant* — loco inscripsit pentametrum,

Abditur in solis si qua puella locis.

Iam de hexametro, qui sequitur post lacunam in Ald. 1515. (prior omisit)

O utinam veteri peragrantes more puellae:

haec ibidem, alia, nisi fallor, manu scripta, reperio: „*O utinam*, in quodam veteri codice vacat cum superiore *Ah pereant.* Pro iis autem est,

Mos precor ille redi, patiantur rursus ut olim
Horrida —

Pro illis etiam in Pont. Codice legitur,

O valeant cultus et tinctae murice lanae."

Hic versus Pontano ipsi adscribitur in Ed. Vicent. cui ob oculos

Aaa 2

versabantur versus Tibulli II. 4. 28. III. 3. 18. vel Horatii II. Epistt. 2. 181. *vestes Gaetulo murice tinctas;* sicut interpolatori illi, qui substituit hexametrum:

Detur ut accedam domina prouelle loquarque,

obversabatur Ovidius X. Metam. 343.

Ut praesens spectem Cinyram, tangamque loquarque,
Osculaque admoveam, si nil conceditur *ultra.*

79. *Non ego me vinclis verberibusque* nego] Male alii *negem.* Tibullus I. 6. 37.

At mihi servandam credas, non *saeva* recuso
Verbera, *detrecto* non ego vincla *pedum.*

ELEGIA IV.

39. *At tibi, quae — excludis amantes*] Edd. Rom. Brix. Venett. cum commentario Cyllenii, (ut a. 1491. 93.) *abducis.* Sic unus Gebbard. et Guelf. 1. ex confusione huius versus cum II. 3. 61.

At tibi, *dura Ceres, Nemesin* quae abducis *ab urbe.*

40. *Diripiant partas — opes*] Iidem libri *Eripiant positas.* Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. *Eripiant partas.* Nonnulli libri, quos habuit Broukhusius, *Diripiant.* Ita Corvin. et Guelf. 3. in marg. Unus Gebh. et Guelf. 1. *positas*, probante Guyeto, qui intelligit *reconditas.* Perperam.

43. *neque erit, qui*] Vulgo *nec erit.* Praeivit quidem Muretus Pulmanno, qui dedit *neque erit.* Sed Muretus ipse secutus est Aldd. 1515. sicut Basil. 1569. Douss, alii. Conf. Tibull. I. 2. 23.

56. *gerit*] Excerptt. Perr. „*dedit* V. C." cum aliis. Scaliger *genit* in commentario proposuit, non intulit in contextum.

ELEGIA V.

27. *suberat Pan ilicis umbrae*] Cod. Lips. cum Excerptt. Perr. Ed. min. 1472. Rom. Brix. Venett. (cum comment. Cyllenii)

Ald. Muret. *umbram*. Nonnulli libri *umbra*. Praestat *umbrae*, ut est in Ed. mai. 1472. Venet. 1475. Vicent. Reg. Lep. et libris compluribus.

49. *castrum murusque Lavini est*] Excerptt. Perr. et Poceh. *castris murisque Latini est*. Perreius addidit: ita in V. C. Verbum *est* omittitur in Witt. A. Goth. Hamb. et Voss. secundo.'

68. *grataque quod monuit*] Ita Cod. Lips. cum aliis. Paris. duo Bronkhuss. complures apud Voss. *grata quod admonuit*. Hoc primum expressum in Ald. 1515. repetitum postea est a Mureto, Plant. Scalig. Dous. — Broukh. Vulp. Voss. Heyn. a. 1752. qui deinde reposuit Edd. veterum, etiam Venett. 1475. 91. 93. et Brix. lectionem *grataque quod monuit*.

72. *Multus ut — deplueretque lapis*] Non satis accurate Edd. veteres ad hunc locum recensuit Heynius, scribens, *ut* pro *et* emendationem esse Mureti. Legitur ita iam in Venett. 1491. 93. et sine dubio in reliquis cum comment. Cyllenii, qui ipse *ut* legit, sicut est in Guelf. 3. 4. At Cod. Paris. Edd. a. 1472. Vicent. Reg. Lep. *et — deplueritque*. Cod. Lips. *Multis — depuleritque*.

73. *Atque tubas atque arma*] Silius Ital. I. 93.

> *Hic, crine effuso*, atque *Hennaeae numina divae*,
> Atque *Acheronta* vocat *Stygia cum veste sacerdos*.

Qui locus docet, quo modo explicandus sit Virgilius Ed. V. 22 — 23. Errat enim Lachmannus ad Propertium p. 39. Silii interpretes laudant Gronovium ad Gellii N. A. VII. 3.

79. *Haec fuerint olim. Sed tu iam, mitis Apollo*] Ita hunc versum interpungendum esse, demonstravi ad IV. 4. 3. Accedit, quod hoc loco sibi opponuntur *olim* et *iam*, sicut I. 1. 25. *modo — iam*, alibi *modo — nunc*. Atque ita hunc versum primus interpunxit Scaliger. Alii aliter. Witt. A. duo Anglicc. Hamb. *iam tu*. Non probo. Sed adhuc dubitant viri docti, scripseritne Tibullus *Haec fuerint olim*, sicut Broukhusius primum de coniectura edidit, an *fuerunt*, quae Scaligeri est lectio, confirmata non nisi a Dat. et Voss. quart. Nam quod Edd. ante Scalig. omnes habent cum Codd. Paris. Lips. caeteris, *fuerant*, hoc hodie nemini probatur. Illud igitur decidam testimonio Manilii, qui Tibulli locum sine dubio ob oculos habuit I. 890 — 920.

Talia significant gaudentes clade cometae:
Quin et bella canunt *ignes*, *subitosque tumultus*,
Et clandestinis surgentia fraudibus arma —
Sed satis hoc fatis fuerit: iam *bella* quiescant.

Habet quidem hic etiam MS. Paris. *fuerat — quiescunt*. Sed sequitur continuo:

Atque *adamanteis discordia vincta catenis*
Aeternos habeat *frenos in carcere clausa*.

LIBER III. ELEGIA II.

15. *Praefataeque meos Manes, animamque precatae*] Quod scripsi ad hunc locum: Quorsum *praefatae ante*, quum *praefari* per se sit *ante fari*, vel *affari?* hoc non ita accipiendum est, quasi putaverim, adverbium *ante* non posse coniungi cum verbo *praefari*, quia huic iam inest adverbii illius notio. Satis mihi videor hanc Latinitatis proprietatem aliis locis comprobasse, v. c. I. 10. 60. Cicero Philipp. VI. 3. *testificor, denuntio*, ante praedico, *nihil M. Antonium eorum, quae sunt legatis mandata, facturum*. Plinius X. Epistt. 15. *praesertim quum epistolae Lycormae, quas detinere*, ut ante praedixi, *nolui, aliquot diebus hunc legatum antecessurae viderentur*. Verum quum reiteratio particulae *ante* tantulo intervallo prorsus sit inficeta, nec tamen eo loco, ubi offensioni est, necessaria, praetuli ego emendationem, qua oratio longe fit elegantior, *Praefataeque meos Manes*. Nec dubito, quin vera sit lectio, *animamque precatae*, confirmata Excerptt. Pocch. et Perr. aliisque libris apud Broukhus. in contextum illata iam a Mureto, nec repudiata nisi ab asseclis Scaligeri, qui de coniectura substituit, quod ridiculum est, *rigatae*. *Animam precari* idem fere est hoc loco, quod *deorum* vel *Manium preces expetere* in epistola Corneliae ad filium apud Cornel. Nepotem Fragm. c. XII. *Ubi mortua ero, parentabis mihi* et invocabis deum parentem. *In eo tempore non pudet te, eorum* deûm preces expetere, *quos vivos atque praesentes relictos atque desertos habueris?* Quo loco frustra, credo, *deos prece* corrigit Santenius ad Catulli Eleg. ad Manl. 65. de aura secunda:

Iam prece *Pollucis*, *iam Castoris* implorata,

non *imploratâ*. Plautus Rud. I. 5. 1.

Qui sunt, *qui a patrona* preces *mea* expetessunt?

Illum autem Corneliae locum mirifice illustrat Plutarchus Quaestt. Rom. T. II. P. I. p. 92. Wyttenb. *Cur parentes efferunt filii velatis capitibus*, *filiae* nudis capitibus, *sparsisque crinibus?* ὅτι τιμᾶσθαι μὲν ὑπὸ τῶν ἀῤῥένων δεῖ τοὺς πατέρας ὡς θεοὺς — καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν τάφων, ὥς φησι Βάῤῥων, περιστρέφονται, καθάπερ θεῶν ἱερὰ τιμῶντες τὰ τῶν πατέρων μνήματα· ταῖς δὲ γυναιξὶν οὐδὲν ὅλως ἐξῆν ἐπικαλύπτεσθαι τὴν κεφαλήν. Quem locum supra attigi in Anall. ad I. 1. 70.

ELEGIA III.

9. *Tunc quum permensae defunctus tempore lucis*] Ita est etiam in Venett. 1487. 1500. et in commentario Cyllenii. Eandem lectionem, certe *permensae*, habent porro, teste Klindwortho, Lugdd. Gryph. 1537. 1542. 1561. Paris. Colin. 1543. Basil. per Nicol. Brylinger. 1546. Basil. 1569. et 1592. Venet. Scot. 1549. quae tamen, ut Voss. *Tum* exhibet pro *Tunc*. Ergo hae Editiones non expressae sunt ad Aldd. nec Broukhusius, qui intulit *praemensae*, Edd. veteres secutus est, quod adfirmat Heynius. Habent hoc Lugd. Gryph. 1534. Basil. 1539. Colinn. 1529. 1554. At Corvin. *permenso*, (non *permensae*, ut est v. c. in Zwicc.) Edd. Plantin. 1560. 1569. Dous. 1592. Gryph. 1573. Appuleius XI. p. 242. *quum* spatium saeculi tui permensus *ad Inferos demearis*, *ibi quoque — me — tibi propitiam frequens adorabis.*

21 — 22. *Non opibus* mentes hominum curaeque levantur; *Nam Fortuna sua* tempora lege regit] Satis haec lectio firmatur imitatione Manilii IV. 12.

Solvite, *mortales*, animos curasque levate,
Totque supervacuis vitam deplete querelis.
Fata regunt orbem, certa *stant omnia* lege
Longaque per certos signantur tempora *cursus.*

Bentleius:

Singula *per* proprios *signantur tempora* casus.

— Caeterum Sol et Luna apud Lucretium V. 1437.

Perdocuere homines, annorum tempora verti
Et certa ratione geri rem, *atque ordine certo.*

ELEGIA IV.

18. *caeruleo laverat amne rotas*] Tres Anglicc. Laud. (etiam Guelf. 3. in marg.) *Lethaeo.* Hoc oscitationi librariorum sine dubio acceptum referendum est. Sed oblitus sum commemorare lectionem *caeruleas — rotas*, quam tacite Scaliger e libro recente invexit, sequente Broukhusio. Rursus eiecit Heynius idonea de caussa, „ut *amnis* habeat aliquid adiunctum, quod *Oceani* notionem propius adducat." *Caeruleas* item habet Voss. secundus.

59. *Diversasque suas — curas*] Noltenius in Lexico Antibarbaro agnoscit, tamquam latinam locutionem, *diem suum obire supremum.* Sed exemplum non protulit. Scribit sane Cicero *ipse supremo suo die efferri* Philipp. IX. 7. Sed hoc loco pronomen omitti non poterat sine ambiguitate. Suetonius Vespas. 24. *Consulatu suo nono.* Ibi Ernest. *suo* delendum putat. „nec solet ab elegantibus scriptoribus addi, *ubi sponte intelligitur:* nec in tirone feram." Sed Suetonius ita alibi etiam scribit, monente Wolfio. Conf. Virgil. XII. 487.

Diversae*que vocant animam in contraria* curae.

65. *docuit validos tentare labores*] Virgil. Cir. 135. item de Amore:

ille etiam Poenos domitare leones
Et validas docuit *vires mansuescere tigris.*

Tibullus I. 4. 17.

Longa dies homini docuit *parere* leones.

84. *Nec tantum crimen pectore inesse tuo*] Nullam Editionem, Scaligeranis antiquiorem, habere *pectori*, satis constat. Nec ea hodieque admittenda erat lectio. Late patet haec verborum cum praepositione *in* compositorum, quoniam ipsa regit duplicem casum, duplex constructio. Plautus Mostell. I. 2. 1.

Recordatus multum et diu cogitavi
Argumentaque in pectus *multa* institui.

Terentius Ad. I. 1. 13.

vah, quemquamne hominem in animo instituere, *aut*
Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?

Quidni *in animum?* quod complures habent Edd. Grammaticus apud Gell. I. 7. de simili locutione Ciceronis: „*Neque soloecismum esse aiebat*, in potestatem fuisse, *ut vulgus semidoctum putat, sed ratione dictum certa et proba contendebat*, qua et Graeci ita uterentur: *et Plautus verborum latinorum elegantissimus in Amphitryone dixit*, Numero (Non vero) mihi in mentem fuit." Idem Bacch. I. 2. 53. ecquid in mentem est tibi, *Patrem tibi esse?* Poterat igitur Ovidius etiam II. Fastt. 119. quem locum supra citavi, optare, ut *sonus* Homeri *fortis*, de quo egi ad Domit. Marsi epigramma, *pectus inesset* suum. Sed is potius optat, ut sibi insit pectus Homeri:

φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

ELEGIA V.

7—8. *nulli temeranda piorum — sacra docere*] Lysis Pythagorica apud Iamblichum c. 17. *οὐ θέμις ὀρέγειν τοῖς ἀπαντῶσι τὰ μετὰ τοσούτων ἀγώνων πορισθέντα, οὐδὲ γὰρ βεβάλοις τὰ ταῖν Ἐλευσινίαιν Θεαῖν μυστήρια διηγεῖσθαι· κατ' ἰσότητα δὲ ἄδικοι καὶ ἀσεβεῖς ἀμφότεροι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες.* Quem locum a Meursio correctum laudat Pricaeus ad Apuleium XI. p. 256. *dicerem, si dicere liceret: cognosceres, si liceret audire.* Sed parem noxam contraherent aures et lingua *temerariae curiositatis*, (vel *curiosae temeritatis*).

11. *sacrilegos — admovimus ignes*] In hac lectione cum Ed. min. 1472. convenit Vicent.

ELEGIA VI.

45. *Nec vos aut capiant*] Scaligeri Ed. a. 1600. *Non vos decipiant.*

46. *Aut fallat blanda — prece*] Eiusdem Edd. 1577 et 1582, *Nec capiat blanda — prece.* Ovidius Ep. XV. 55.

Neu vos decipiant blandae mendacia linguae.

LIBER IV. CARMEN I.

1. *Te, Messala, canam*] Non conveniunt inter se de huius nominis scriptura libri veteres. Paris. Edd. a. 1472. et Vicent. ubique *Messala* et *Messalinus* habent. Ed. Venet. 1475. cum tribus Broukhusii libris I. 3. 1. *Messalla.* Ed. Bartoliniana in titulo huius Carminis, teste Morelliò, praefert *Ad Messallam*: an aliis etiam locis, ignoro. Certe Cod. Lips. sibi non constat. Nam ut hoc loco, ita I. 3. 1. et alibi *Messala* habet, at II. 5. 17. et 115. *Messallinum*, v. 119. *Messalla.* Eadem scripturae varietas est in Ed. Reg. Lep. At Edd. Venett. cum commentario Cyllenii numquam non *Messalla* exhibent, quod imitatus est post Statium Muretus. Nihil definiunt Numi, quorum alii hoc, alii illud offerunt, graeci quidem, quos commemorat Raschius, omnes *MECCAΛΑC.* Lapis vetustissimus apud Vulpium de Vita Tibulli p. LXVI. ed. Heyn. a. 1798. M. VALERIUS. M. F. M. N. MESSALA. A. DCCXXVI. CORVINUS. PRO. COS. EX. GALLIA. VII. K. OCT. Non igitur reprehendendi sunt, qui hanc scripturam intulerunt, constantiores praesertim, quam Suetonii editores, qui modo hanc, modo illam formam adsumpserunt. Taciti editores ubique *Messalla.* — Seneca de Brevit. Vit. c. XIII. *Sane et hoc ad rem pertineat, quod* Valerius Corvinus *primus Messanam vicit et primus ex familia Valeriorum, urbis captae in se translato nomine*, Messana *appellatus est paullatimque, vulgo permutante litteras*, Messalla *dictus est.* Ubi Lipsius Senecam erroris coarguit, quod M. Valerio cognomen dederit *Corvini*, quum debuerit *Maximi.* Fasti Capitolini: *M. Valerius* M. F. M. N. Maximus, *qui in hoc honore* Messalla *appellatus est.* Fortasse ad hoc M. Valerii cognomen respexit auctor carminis ad Messalam v. 176. ibique scripsit:

Solus utroque idem diceris Maximus *orbe.*

Habent *maximus* septem libri apud Broukhusium, Dresd. Guelf. 3.

Voss. 3. 4. 5. Monac. et Ed. Rom. 1475. Vulgo *magnus in orbe.*

73. *suo consumpsit more Charybdis*] Statius III. Silv. 2. 87.

Quos *tibi* currenti *praeceps ferat Adria* mores.

Ibi Gevartius *mores Adriae* explicat naturam et affectiones eius maris, ut Graecis ἤθη dicuntur, addens: Ita Tibullus *morem Charybdis* etc. — Aliter Gronovius Diatr. p. 182. Caeterum Statius *currenti* simpliciter posuit pro *currenti undas.*

113. *revocaverit*] Editor Lipsiensis hic, ut alibi, expressit Ed. Wunderl. a. 1808. qui addidit: „Broukhusii lectionem *renovaverit* invito Heynio impressam fuisse, eius observationes docent." Nihil amplius.

205. *Seu matura dies* celerem *properat mihi mortem*] Adhuc mihi vera videtur lectio *dies fati.* Propertius III. 21. 34.

Atque erit illa mihi mortis *honesta* dies,

Idem II. 28. 25.

Quodsi forte tibi properarint fata *quietem.*

209. *Sive ego per liquidum volucris vehar aëra* penna] Lege *pennis,* quod reponere oblitus sum. Habent enim libri omnes cum Edd. *volucris — pennis,* praeter Voss. 1. et, nisi fallor, Guarn. qui soli, ut videtur, exhibent *volucri — penna.* At cod. Hamb. *revolutus in aëre pennis.* Hanc dixi interpolationem sensu cassam. Nec sententiam muto. Quamquam postea reperi hanc eandem locutionem apud Manilium I. 226. de Luna:

Ultima ad Hesperios infectis volveris alis.

Sed decipi se non passus est Bentleius ab interpolatore, scribens: „*Volveris alis;* nihil stultius. Certe si alas habet, non volvitur, sed volat." Ergo versum obelo confodit. Spanhemius in Commentario ad Aristophanis Nub. 336. Tibulli versum per errorem Lucretio adscripsit.

CARMEN VIII.

4. *Atque* Reatino *frigidus annus agro*] Vulgo *Aretino*. Non infrequens est haec confusio. Varro de R. R. I. 7. 7. *arundines in* Reatino. Ubi duo libri habent *Aretino*. Sallustius Catil. c. 36. *Sed ipse paucos dies commoratus apud C. Flaminium Flammam* in Agro Aretino, *dum vicinitatem antea sollicitatam armis exornat, cum fascibus atque aliis imperii insignibus in castra ad Manlium contendit.* Ibi plurimis inest libris scriptis et editis *in agro Reatino*. Sed Cortius iisdem fere de caussis Sallustio reddidit *Arretino*, quibus ego adductus sum, ut Tibullo redderem *Reatino*. Et haec est certa emendatio. Suetonius Vespas. c. 24. *Consulatu suo nono, tentatus in Campania motiunculis levibus ac protinus urbe repetita, Cutilias ac* Reatina rura, *ubi aestivare quotannis solebat*, petiit.

INDEX VERBORUM

IN

TIBULLUM.

INDEX VERBORUM

IN

TIBULLUM.*)

*) Est index Heynianus, passim emendatus et Editioni nostrae accommodatus.

B.

C.

E.

F.

G.

H.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

S.

T.

EPISTOLAE

DE

EDITIONE TIBULLI BARTOLINIANA.

I.

Epistola editoris ad Nobilissimum Antonium Comitem Bartolini, Commendatar. S. O. Hierosolym.

Permultum sane bonarum litterarum interest, palam aliquando fieri, quae dotes sint peculiares Editionis rarissimae, cuius tu, Vir Nobilissime, possessor unicus es, quam descripsit quidem accurate Morellius in Epistola ad te a. 1798. data, nec tamen ita, ut plene intelligatur, quantum ea differat ab aliis Saeculi XV. exemplis. Equidem putaveram, huius Editionis collationem integram exstare apud Morellium, sed, postquam certior factus sum a viro praestantissimo, se non enotasse nisi lectiones, indicatas in laudata Epistola, nunc ad te ipsum me converto, Vir Nobilissime, teque ea, qua decet, observantia rogo, ut mihi, editionem Tibulli paranti, quae proximo anno Lipsiae prodibit, collationem exemplaris tui (si fieri possit, cum Ald. a. 1502) conficiendam cures a viro docto, cui tale negotium recte demandari potest. Huic ego pro labore illo optima fide solvere polliceor, quidquid tibi aequum ac iustum videbitur. Quodsi res universa intra breve temporis spatium absolvi non possit, saltem hoc precibus meis concedas velim, ut de eorum locorum lectione aliquid certius ad me cito perferatur, quae in schedula separata proposui. Quorum locorum Variantes si duobus circiter mensibus ad me curabuntur, magnum inde ornamentum accedet editioni meae, cuius exemplum ut ad te aliquando perveniat, operam dabit, me demandante, librarius Lipsiensis. Vale, Vir Nobilissime, studiisque meis fave. Scrib. Rostochii d. 19. Decembr. a. 1818.

II.

Antonii Comitis Bartolini, Commendatar. S. O. Hierosolym. Epistola ad editorem.

Perelegantes litterae tuae, Vir praeclarissime, ad me Rostochio datae die 19. elapsi Decembris, quas 12. Ianuarii decurrentis accepi, incredibilem mihi prorsus voluptatem attulerunt. Quid enim gratius, quid mihi iucundius accidere poterat, quam ex iis intelligere, meam Tibulli editionem, a Morellio nostro clarissimo Bartolinianae appellatione donatam, extremis etiam Baltici oris innotuisse, indeque Variantes ex ea Lectiones a me postulari, quae novae Lipsiensi editioni, quam adornare studes, prodesse queant? Hanc igitur occasionem alacriter arripiam, honestissimaeque tuae voluntati lubentissime satisfaciam. Novi enim veterum editionum laudem in hoc potissimum sitam esse, ut recentioribus quam accuratissime elaborandis adiumento sint. Haec autem mea, unico constans exemplari (veluti unico MS. Codice), non aliunde quam a me ipso potest obtineri, cum ea viginti ab hinc annis, nescio quo bono omine, in meam venerit potestatem.

Habeto itaque sine mora Variantes omnes, easque non leves, quas mihi tua in schedula exhibuisti. Ex his interim cognosces, quid ab integra huius meae Editionis collatione cum Aldina anni 1502. quam avidissime expectas, sperandum praeterea sit. Verum, cum hanc quoque Aldinam ipse teneam, nulli certe opus, quod desideras, demandabo, neque alium huiusmodi gloriae socium patiar existere. Meis ipse oculis, meaque manu quam citissime rem perficiam, tibique omnia opportune transmittam, hac laboris mercede cumulate contentus, ut aequi bonique facias quod rei litterariae iuvandae caussa, tuisque studiis favendi, tibi ex animo offeram. Exemplar vero novae tuae Lipsiensis editionis, quod comiter liberaliterque promittebas, et lubenter accipiam, et diligentissime perlegam.

Haud ignoti nobis sunt Germaniae tuae Classicorum Editores atque Illustratores eximii — Spalding

Heyne, Baumgarten, aliique non pauci, qui et maximo litterariam rempublicam beneficio affecerunt, et praestantissimarum Bataviae Editionum cum notis Variorum fere gloriam obscurantes, immortalem ipsi famam sunt consecuti. His, vehementer gratulor, te quoque nunc nova Tibulli illustratione accedere; nisi forte aliis in alios prisci latinarum litterarum aevi Scriptores lucubrationibus iam pridem accesseris, quae mihi compertae non sint, quarumque certiorem me fieri quam maxime cupio.

Litteris meis cito rescribas velim, ut intelligam, eas ad te feliciter pervenisse. Tum libentius tibi caetera mittam, quae spopondi, et ad quae paranda protinus accedo. Perge interim, Vir praeclarissime, de liberalibus disciplinis bene mereri, meque tui aestimatorem studiosissimum scias. Vale. Utini die 20. Ianuarii 1819.

P. S. Addo hic primum Tibulli librum editionis Aldinae 1502. cum mea comparatum. Caetera quamprimum. Praeterea, quod oblitus eram, monitum te volo, me omnia, prout in mea editione extant, cum mendis etiam orthographicis, fideliter exscripsisse.

III.

Epistola editoris ad Nobilissimum Antonium Comitem Bartolini, Commendatar. S. O. Hierosolym.

Perlata est omni spe citius e longinquis Italiae tuae oris in extremam hanc Germaniae regionem illa humanitatis, elegantiae, doctrinae plenissima Epistola, data Utino d. 20. Ianuarii; perlata, inquam, ad me est cum Editionis Tibulli rarissimae, immo unicae, Collatione, qua, moriar, si quid umquam vidi in hoc genere vel pulchrius vel absolutius. Hunc praestantissimum libellum, a te ipso perscriptum, una

cum altero, cuius ille certissimus est internuntius, perpetuo in Museo meo repositum servabo, tamquam eximium benevolentiae erga me tuae κειμήλιον et ἄγαλμα. Haec formulis typographi propediem exprimenda Collatio singulari semper erit editioni meae ornamento. Haec iusta erit operis prope iam finiti coronis. Sed veniamus in rem praesentem.

Tria sunt, quae mihi videbantur explicatu difficilia in accuratissima illa Collatione, heri ad me delata. At primum quidem omnium scire velim, qui fieri potuerit, ut in Libri I. Eleg. II. a

v. 23.

T. Ald. *Nec decet hoc omnes*
Ed. Bar. Nec docet hoc omnis

usque ad v. 39. versuum, qui interpositi sunt, numeri non convenirent Aldinae 1502. Nam proximae notationi tuae:

Ed. Bar. Si quis et imprudens aspexerit

praepositus est numerus 37. qui in Aldina est 39. Ex quo colligere mihi posse videor, ab antiquissimo tuo exemplo abesse distichon, quod inculcavit Aldus cum aliis:

25 — 26.

En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe,
Securum in tenebris me facit ipsa Venus.

De hac re, etiam atque etiam te rogo, Vir Nobilissime, ut certiorem me facias. Est enim res magni momenti cum ad hunc locum, tum ad II. 3. 15 — 16. *Ipse deus solitus* etc. ibid. v. 75. *Ah pereant artes* etc.

Alterum, quod me suspensum ac paene sollicitum habet, hoc est. Tribus Collationis tuae locis lectiones citantur ex Ald. 1502. quae in trinis huius Editionis exemplaribus, quae ego ipse possideo, non reperiuntur:

I. 3. 15.

T. Ald. *Ipse ego solutor*

I. 4. 49.

T. Ald. *Nec velim insidiis*

I. 6. 66.

T. Ald. *Quicquid agit sanguis est tamen ille* tuo.

Quibus locis exemplaria mea habent, *solator*; Nec, *uelit*; ille *tuus*. In tanta accuratione, qua perscripta est Collatio, paene adducor, ut credam, exemplum Aldinum, quo usus es, unum esse ex adulterinis, quae iam Aldi Manutii aetate facta sunt, monente te ipso in Opere egregio: *Saggio Epistolare* p. 76.

Venio ad scrupulum tertium. Nempe unum Tibulli locum sic ais legi in Editione tua:

I. 6. 30.

Ed. Bar. Iussit amor. Contra quis feret arma Deos

adposito puncto voci *amor*, cui subiungitur littera maiuscula C in voce *Contra*. Atqui Morellius in Epist. p. VI. adfirmat, nullum aliud interpunctionis signum exemplo tuo inesse, nisi litteram minusculam x, adhibitam modo pro maiore *στιγμῇ*, modo pro minore.

Hos scrupulos si mihi eximere et huc addere haud dedignaberis, quae Editionis tuae speciem externam magis repraesentent, beneficium tuum cumulo augebis maximo. Et quoniam successus ad plus audendum invitat, hoc ad extremum abs te peto vehementer, Vir Nobilissime, ut simul duo carmina latina *Thomae Senecae Camertis*, si forte edita sint in Opere splendido: *Carmina illustr. poetarum Ital.* Florent. 1721. Tom. IX. p. 39. — describenda et ad me mittenda cures. Habeo in manibus codicem Tibulli Lipsiensem, cui adiuncta sunt carmina illa Senecae, sed ita scripta, ut nonnulla extricare nullo modo possim. Alterius initium hoc est:

Aeneas primis atauisque ingentibus orte:

Alterum incipit sic:

Parce puer cuiquam nimium te credere passim —

Sed vereor iam, ne impudentiae nomine suspectus fiam, qui plura extorquere audeam Viro, a quo im-

petraverim maxima. Quocirca haec arbitrio tuo permittens nihil amplius oro, quam ut me porro benevolentia tua, quod sane summum est, complecti velis. Vale, Vir Nobilissime, Eruditorum Humanissime. Scrib. Rostochii d. 15. Februar. 1819.

IV.

Antonii Comitis Bartolini, Commendat. S. O. Hierosolym. Epistola ad editorem.

Primum Tibulli Librum cum Aldina diligentissime collatum, quem vicesima elabentis Ianuarii die iam ad te misi, ecce tres nunc fratres alii celeriter insequuntur. Eos si abs te Rostochium incolumes intellexero pervenisse, nihil poterit mihi esse iucundius. Tu ad latinarum litterarum decus promovendum *illis* utere, atque in Elegiographorum Principe illustrando elegantissimorum Germaniae Editorum industriam et laudem feliciter aemulare. De rebus gentis tuae litterariis, quas maximi duco, aliquid ad me scribas velim. Quod si praesertim de novis Scriptorum veterum editionibus, quibus vehementissime delector, me certiorem efficies, tibi plurimum debebo, faciamque studio et opera, ut intelligas, neminem in Italia esse, qui te plus colat et diligat. Precor, ut optime valeas, utque Superi coepta tua suo numine fortunent. Utini die 29. Ianuarii 1819.

V.

Epistola editoris ad Nobilissimum Antonium Comitem Bartolini etc.

Nunc tandem insigni tua opera et singulari erga me benevolentia contigit mihi esse tam felici, ut histo-

riam editionum Tibulli criticam, qualem animo informaveram, absolvere possim, postquam perlata ad me est libelli praestantissimi pars altera, qua Collationem exempli tui rarissimi cum Ald. a. 1502. eadem accuratione, qua suscepta fuit, finitam esse non sine summa animi laetitia cognovi. Huic exemplo tuo magna intercedit similitudo cum eo, quod primus omnium accurate descripsit Audiffredi in Catal. historico - crit. Edd. Rom. Saeculi XV. p. 440. nec tamen unius est eiusdemque editionis. Convenit utrique, ut paucis locis defungar, in hac valde memorabili lectionum diversitate:

I. 2. 51.

Sola tenere malas Medeae dicitur *artes*

I. 3. 29.

Ut mea votivas persolvat Delia *poenas*

Ibid. 76.

Assiduas atro *sanguine* pascit aves.

III. 1. 14.

Sic et + n + comptum mittere oportet opus

IV. 1. 71.

Cum canibus rapidas inter freta *curreret* undas

Alibi longe inter se discrepant haec duo exempla, habetque editio tua lectiones peculiares, in nullo alio libro vel scripto vel edito adhuc repertas, v. c.

I. 2. 93.

Stare nec ante *domum* puduit

III. 2. 27.

Sed tristem mortis *designet* littera causam

Iam quum omnes illas Variantes tu mihi ipse, Vir Nobilissime, tamquam in tabula depictas vel aeri incisas, ante oculos posueris, quibusnam tandem verbis tibi gratias agam? Hic mihi velim aeque propitiae essent Musae atque olim fuerunt Tibullo nostro, cui

Epistolas, proprio quodam lepore iucundas, non solum dictarunt, sed eas etiam ipsae pertulerunt ad — omnem posteritatem. Quod quum sperare nefas sit, impetrabo tamen a Musis, ut nomen tuum illustre porro cum nomine Tibulli, Equitis splendidissimi, coniungant

Et nati natorum et qui nascentur ab illis.

Caeterum longi sermonis initium pepulisti, omni doctrina Vir politissime, dum a me exigis, ut de novis Scriptorum veterum editionibus rebusque nostris litterariis ad te scribam accuratius. Est haec materies complurium epistolarum, quas me daturum esse tibi recipio. Nunc non audeo, praesertim occupatus adhuc in Tibullo absolvendo, evehi in immensum hunc litteraturae Germanorum Oceanum — Tantum addo, me ad primam Epistolam tuam rescripsisse die 15. Februarii, idemque promitto, si quid forte in scriptis meis reperiatur, quod persona tua haud indignum existimem, missurum id esse una cum Tibullo. Vale, Vir Nobilissime, studiisque meis porro fave. Scrib. Rostochii d. 4. Martii 1819.

VI.

Antonii Comitis Bartolini, Commendat. S. O. Hierosolym. Epistola ad editorem.

Litteris tuis longe elegantissimis, quibus Tibullianae Editionis meae Collationem et incolumem ad te perlatam esse, et gratissimam tibi fuisse significabas, ita suaviter affectus sum, ut me vidisses incredibili prorsus laetitia exsilire. Quid enim mihi optabilius, aut quem meis e studiis largiorem fructum capere possim, quam si ea ad litterarum cultum dignitatemque provehendam litteratissimis viris prodesse atque opitulari intellexero? Sed venio ad scrupulos eruditos, qui

aliquam tibi in Collatione mea obscuritatem offundere merito videbantur.

Itaque ad primum quod attinet, me turpiter deceptum esse fateor, atque ubi versum 37. citavi, in eius locum numerus 39. subrogandus est.

Veniamus ad alterum. De triplici errato, in quod lapsus sum, oculorum meorum infirmitas abs te veniam postulat. Horum enim acies, quae diu vividissima fuit, diuturno labore fatigata ita coepit caligare, ut *solator* pro *solator*, *velim* pro *velit*, *ille tuo* pro *ille tuus* in exemplari Aldino, quod minime adulterinum est, hallucinatus legerim. Quamquam ardentissima quoque operis urgendi sollicitudo me fortasse in errorem pertraxit.

Ad postremum. In Editione mea l. I. el. 6. v. 30. ita legitur:

Iussit amor‡ contra quis feret arma Deos

Ne autem opineris in posterum, Editionem hanc meam mancam esse ac imperfectam, ea subiicio quae meo in exemplo desiderari suspicabaris: Lib. II. el. 3. v. 15—16.

Ipse Deus solitus stabulis expellere vacas
Et potum fessas ducere fluminibus

Ibid. v. 75—76. (79—80.)

Ah pereant artes ⪤ et mollia iura colendi
Horrida villosa corpora veste tegant

His addo Variantem, quam in Aldina iterum percurrenda sensi me antea inconsiderate omisisse: L. I. el. 2. v. 26.

T. Ald. *Securum in tenebris me facit* ipsa *Venus*
Ed. Bar. — — — — me facit *esse* venus

En habes omnia, quae tibi et declarare et mittere poteram. Dolet etiam atque etiam, quod in cae-

teris, quae vehementer expetebas, voluntati tuae nequeam satisfacere. Nam duo Carmina latina *Thomae Senecae Camertis* ut invenirem, publicas et privatas bibliothecas diligentissime, sed incassum scrutatus sum. Quapropter nihil superest, nisi ut orem te atque obsecrem, cum desideratissimum, quod coepisti, opus absolveris, ut statim geminum ad me exemplar mittere velis. Etenim volo, ut alterum sit perpetuum ac splendidum apud me benevolentiae et liberalitatis tuae testimonium, alterum amicorum, qui nostra haec studia colunt, honestissimum oblectamentum. Vale, praestantissime Professor . . . . patriae Universitatis, cuius fama haec quoque Adriatici littora personat, valde totius Germaniae . . . . . Utini die 11. Martii 1819.

COLLATIO

EDITIONIS TIBULLI BARTOLINIANAE

CUM ALDINA

A.

M.DII.

COLLATIO
EDITIONIS TIBULLI BARTOLINIANAE
CUM ALDINA
A.
M. DII.

Lib. I. Eleg. I. ver. 19.

Textus Aldinus 1502. *Vos quoque felicis*
Editio Bartoliniana. Vos quoque felices

Ibidem v. 34.

T. Ald. *Parcite de magno est proeda petenda grege*)*
Ed. Bar. Parcite de magno proeda petenda grege est

Ibidem v. 71.

T. Ald. *Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit*
Ed. Bar. Iam subrepet iners aetas, nec amare licebit

Ibid. v. 72.

T. Ald. *Dicere nec cano blanditias capiti*
Ed. Bar. Dicere nec cano blanditias capite

*) V. 34. In Aldinae exemplis est *praeda.* H.

Ibid. Eleg. II. v. 17.

T. Ald. *Illa favet, seu quis iuvenis nova limina tentat*
Ed. Bar. Illa favet seu quis iuvenis nova limina tentet

Ibid. v. 18.

T. Ald. *Seu referat fixo dente puella fores*)*
Ed. Bar. Seu referet fixo dente puella fores

Ibid. v. 25.

T. Ald. *Nec decet hoc omnes*
Ed. Bar. Nec docet hoc omnis

Ibid. v. 26.

T. Ald. *Securum in tenebris me facit ipsa Venus*
Ed. Bar. — — — — — — — esse venus

Ibid. v. 39.

T. Ald. *Si quis et imprudens spexerit*
Ed. Bar. Si quis et imprudens aspexerit

Ibid. v. 42.

T. Ald. *Is Venerem e rapido sentiat*
Ed. Bar. Is Venerem e rapido sentiet

Ibid. v. 46.

T. Ald. *Fulminis haec rapidi*
Ed. Bar. Fluminis haec rapidi

Ibid. v. 53.

T. Ald. *Sola tenere malas Medeae dicitur herbas*
Ed. Bar. Sola tenere malas Medeae dicitur artes

Ibid. v. 54.

T. Ald. *Sola ferox Hecattes**)*
Ed. Bar. Sola ferox hecate

Ibid. v. 58.

T. Ald. *Non sibi, si in molli viderit ipse toro*
Ed. Bar. Non sibi si in molli viderit esse thoro

Ibid. v. 60.

T. Ald. *Omnia, de me uno sentiet esse nihil*
Ed. Bar. Omnia de me uno sentiet ipse nihil

*) V. 18. In meis est *reserat*. In Ed. min. a. 1472. *reseret*. H.

**) V. 54. Mea exemplaria habent *ferox Hecatés*. H.

Ibid. v. 61.

T. Ald. *Quid credam? nempe haec eadem se dixit amores*
Ed. Bar. Quid credam? nempe hec eadem sibi dixit amores

Ibid. v. 67.

T. Ald. *Ferreus ille fuit, qui te cum possit habere*
Ed. Bar. Ferreus ille fuit qui te cum posset habere

Ibid. v. 75.

T. Ald. *Ipse boves, mea si tecum modo Delia possim*
Ed. Bar. Ipse boves mea si tecum modo delia possem

Ibid. v. 76.

T. Ald. *Mollis et inculta sit mihi somnus humo*
Ed. Bar. Mollis et incultus sit mihi somnus humo

Ibid. v. 82.

T. Ald. *Et mea nunc poenas impia lingua luit*
Ed. Bar. Et mea nunc penas impia lingua luet

Ibid. v. 90.

T. Ald. *Mox tibi non vanus saeviet usque deus*
Ed. Bar. Mox tibi non unus saeviet usque deus

Ibid. v. 95.

T. Ald. *Stare nec ante fores*
Ed. Bar. Stare nec ante domum

Ibid. v. 97.

T. Ald. *Hunc puer, hunc juvenis turba circumstetit arcta*
Ed. Bar. Hunc puer hunc juvenis turba circumvenit arcta

Ibid. Eleg. III. v. 4.

T. Ald. *Abstineas avida mors violenta manus*
Ed. Bar. Abstineas avidas mors mō nigra manus

Ibid. v. 9.

T. Ald. *Delia non usquam, quae*
Ed. Bar. Delia non usquam est quae

Ibid. v. 12.

T. Ald. *Rettulit e triviis omnia*
Ed. Bar. Retulit e trivijs omina

Hhh

Ibid. v. 21.

T. Ald. *Audeat invito nequis discedat amore*
Ed. Bar. Audeat invito neu quis discedere amore

Ibid. v. 29.

T. Ald. *Ut mea votivas persolvens Delia voces*
Ed. Bar. Ut mea votivas persolvat delia poenas

Ibid. v. 33.

T. Ald. *At mihi contingat* — — — —
Ed. Bar. Ut mihi contingat — — — —

Ibid. v. 50.

T. Ald. *Nunc mare, nunc leti mille repente viae*
Ed. Bar. Nunc mare nunc leti mille reperte vie

Ibid. v. 54.

T. Ald. *Fac lapis inscriptis*
Ed. Bar. Fac lapis inscriptus*)

Ibid. v. 71.

T. Ald. *Tum niger in turba*
Ed. Bar. Tunc niger in porta

Ibid. v. 74.

T. Ald. *Versatur celeri noxia membra rota*
Ed. Bar. Versantur celeri noxia membra tota

Ibid. v. 76.

T. Ald. *Assiduas atro viscere pascit aves*
Ed. Bar. Assiduas atro sanguine pascit aves

Ibid. Eleg. IV. v. 7.

T. Ald. *Sic ego tum Bacchi respondet*
Ed. Bar. Sic ego tum Bacchi respondit

Ibid. v. 39.

T. Ald. *Tu puero quodcunque tuo tentare libebit*
Ed. Bar. Tu pucro quodcunque tuo tentare licebit

*) V. 54. *inscriptus.* Sic etiam Ed. min. a. 1472. Nam mire erravi, quum scriberem in Analectis, hanc editionem habere *his scriptus*, quae est lectio Codd. Lipsii et Falcoburg. recepta a Broukh. Vulp. Heynio. H.

Ibid. v. 43.

T. Ald. *Quamvis praetexens picta*
Ed. Bar. Quamvis pretexens picea*)

Ibid. v. 44.

T. Ald. *Venturam admittat*
Ed. Bar. Venturam annunciet

Ibid. v. 48.

T. Ald. *Aut operi insuetas attenuasse manus*
Ed. Bar. Aut opera insuetas atteruisse manus

Ibid. v. 49.

T. Ald. *Nec, velit insidiis altos si claudere valles*
Ed. Bar. Nec vellim insidiis altas si claudere valles

Ibid. v. 50

T. Ald. *Dum placeas, humeri retia ferre negent*
Ed. Bar. Dum placeas humeri retia ferre neges

Ibid. v. 55.

T. Ald. *Rapta dabit primo, post offeret ipse volenti*
Ed. Bar. Rapta dabit primo mox afferet ipse roganti

Ibid. v. 81.

T. Ald. *Eheu quam Marathus lento me torquet amore*
Ed. Bar. Heu heu quam lento Marathus me torquet amore **)

Ibid. Eleg. V. v. 2.

T. Ald. *At mihi nunc longae*
Ed. Bar. At mihi nunc longe

*) V. 43. Ergo duae praestantissimae Edd. Bartoliniana et Ed. min. a. 1472. confirmant lectionem *picea*, a Vulpio demum revocatam. H.

**) V. 81. Non igitur antiquiores omnes habent, quod scripsi in Commentario ad hunc locum, *quam Marathus lento*, nec sola ed. min. a. 1472. sed etiam Bartoliniana habet, *quam lento Marathus*, ut est monente Broukhusio, in editione Statii, *Canteri*, Douzarum. Sed Canteri editionem equidem ignoro. Vocari ita credo Plantin. 1569. quacum coniunctus est Propertius Canteri. In hac legitur: *Eheu quam lento Marathus*. H.

Ibid. v. 6.

T. Ald. *Magnificum post haec*
Ed. Bar. Magnificum posthac

Ibid. v. 7.

T. Ald. *Parce tamen per te furtivi foedera lecti* *)
Ed. Bar. Parce tamen parce furtivi sidaera lecti

Ibid. v. 11.

T. Ald. *Ipseque ter circum*
Ed. Bar. Ipseque te circum

Ibid. v. 16.

T. Ald. *Vota novem Veneri*
Ed. Bar. Vota novem triviae **)

Ibid. v. 25.

T. Ald. *Consuesset numerare pecus, consuesset amantis*
Ed. Bar. Consuescet numerare pecus consuescet amantis

Ibid. v. 28.

T. Ald. *Pro segete et spicas, pro grege ferre dapem*
Ed. Bar. Pro segete spicas pro grege fere dapes

Ibid. v. 32.

T. Ald. *Delia selectis detrahat* — — —
Ed. Bar. Delia selectis detrahet — — —

Ibid. v. 33.

T. Ald. *Et tantum venerata virum huc sedula curet*
Ed. Bar. Et tantum venerata virumque hunc

Ibid. v. 35.

T. Ald. *Haec mihi fingebam quae nunc caurusque notusque*
Ed. Bar. Haec mihi fingebam quae nunc eurusque notusque

Ibid. v. 69.

T. Ald. *At tu qui potior nunc es mea furta caveto*
Ed. Bar. At tu qui potior nunc es mea furta timeto

Ibid. Eleg. VI. v. 1.

T. Ald. *Semper ut inducar, blandos offers mihi vultus*
Ed. Bar. Semper ut inducar blandos affers mihi vultus

*) V. 7. Recte. Est in Aldinis *per te*, non *te per*, quod posui in Analectis. H.

**) V. 16. Rursus notabis consensum Editionis min. a. 1472. ut hoc loco in *triviae*, ita infra v. 32. in *detrahet*. H.

Ibid. v. 11.

T. Ald. *Fingere nunc didicit causas, cur sola cubaret*
Ed. Bar. Fingere nunc didicit causas ut sola cubaret

Ibid. v. 18.

T. Ald. *Neve cubet lasso*
Ed. Bar. Neve cubet laxo*)

Ibid. v. 30.

T. Ald. *Iussit amor. Contra quis ferat arma Deos*
Ed. Bar. Iussit amor‡ contra quis feret arma Deos**)

Ibid. v. 38.

T. Ald. *Verbera, detrecto — — —*
Ed. Bar. Verbera detracto — — —

Ibid. v. 47.

T. Ald. *Ipsa bipenne suos caedit violata lacertos*
Ed. Bar. Ipsa bipenne suos cedit violenta lacertos

Ibid. v. 59.

T. Ald. *Haec me deducit tenebris — — —*
Ed. Bar. Haec mihi te adducit tenebris — — —***)

Ibid. v. 66.

T. Ald. *Quicquid agit sanguis est tamen ille tuus*
Ed. Bar. Quicquid agit sanguis est tamen illa tuo

Ibid. vv. 71–72.

T. Ald. *Et si quid peccasse putat, ducorque capillis*
Immerito, proprias proripiorque vias
Ed. Bar. Et si quid peccasse putat ducatque capillis
Immerito proprias proripiatque vias

Ibid. v. 80.

T. Ald. *Tractaque de niveo vellere fila parat.*
Ed. Bar. Tractaque de niveo vellere ducta putat

---

*) V. 18. Ed. min. a. 1472. item habet *laxo*. H.

**) V. 30. Conf. Epist. VI. et Carmen ad Messalam v. 142. H.

***) V. 59. Valde laetor, lectionem exquisitam, *Haec mihi te adducit tenebris*, quae est etiam in Ed. min. a. 1472. confirmari Bartoliniana. H.

Ibid. Eleg. VII. v. 7.

T. Ald. *Hunc forte aquitanas*
Ed. Bar. Hunc fore aquitanas

Ibid. v. 4.

T. Ald. *Quem tremeret forti milite victus Atax*
Ed. Bar. Quem tremeret forti milite victus Aiax

Ibid. v. 6.

T. Ald. *Vidit, et evinctos brachia rapta duces*
Ed. Bar. — — — — — — capta duces

Ibid. v. 12.

T. Ald. *Carmoti et flavi*
Ed. Bar. Carnoti et flavi

Ibid. v. 14.

T. Ald. *Caeruleus placitis* — — — —
Ed. Bar. Ceruleus placidis — — — —

Ibid. v. 20.

T. Ald. *Prima ratem ventis credere docta tyros*
Ed. Bar. — — — — — — tyrus*)

Ibid. v. 22.

T. Ald. *Fertilis aestiva nilus abundat aqua***)
Ed. Bar. — — — — — abundet aqua

Ibid. Eleg. VIII. v. 1.

T. Ald. *Non ego caelarim, possit* — — —
Ed. Bar. Non ego celare possum — — —

Ibid. v. 3.

T. Ald. *Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra Deorum*
Ed. Bar. Neç mihi sunt sortes nec conscia turba Deorum

Ibid. v. 14.

T. Ald. *Arctaque constrictos cogit aluta pedes*
Ed. Bar. Ansaque compressos colligat arcta pedes

*) V. 20. Ed. min. a. 1472. *tirus*. H.

**) V. 22. E contrario in meis Aldinae exemplis est *abundet*; in Ed. min. a. 1472. *abundat*. H.

Ibid. v. 28.

T. Ald. *Persequitur pennis*
Ed. Bar. Persequitur poenis

Ibid. v. 49.

T. Ald. *Heu Marathum*
Ed. Bar. Seu Marathum

Ibid. v. 64.

T. Ald. *Est mihi nox multis evigilanda modis*
Ed. Bar. — — — — — malis

Ibid. v. 72.

T. Ald. *Nescius ultorem post caput esse deum*
Ed. Bar. — — — — suum

Ibid. v. 76.

T. Ald. *Quaecumque opposita est ianua dura sera*
Ed. Bar. — — — — — firma sera

Ibid. Eleg. IX. v. 1.

T. Ald. *Quid mihi, si fueras miseros laesurus amantes*
Ed. Bar. — — — — — — amores

Ibid. v. 9.

T. Ald. *Lucra petiturus*
Ed. Bar. Lucra petituras

Ibid. v. 15.

T. Ald. *Iam mihi persolves*
Ed. Bar. Iam mihi persolvet

Ibid. v. 25.

T. Ald. *Ipse Deus tacito permisit lene ministro*
Ed. Bar. — — — — leva ministro

Ibid. v. 39.

T. Ald. *Quid faciam? nisi*
Ed. Bar. Quid faceres? nisi

Ibid. v. 40.

T. Ald. *Sit precor* — — — —
Ed. Bar. Sed precor — — — —

Ibid. v. 80.

T. Ald. *Et geret in gremio regna superba tuo*
Ed. Bar. Et geret in regno regna superba tuo

Ibid. Eleg. X. v. 18.

T. Ald. *Sic veteres aedes*
Ed. Bar. Sic veteres sedes

Ibid. v. 26.

T. Ald. *Hostiaque e plena*
Ed. Bar. Hostiaque est plena

Ibid. v. 27.

T. Ald. *Hunc pura cum veste*
Ed. Bar. Hanc pura cum veste

Ibid. v. 28.

T. Ald. *Vincta geram myrto*
Ed. Bar. Vincta geram merito

Ibid. v. 31.

T. Ald. *Vt mihi potanti possit*
Ed. Bar. Vt mihi potenti possit

Ibid. v. 32.

T. Ald. *Miles, et in mensa*
Ed. Bar. Miles et inmensa

Ibid. v. 37.

T. Ald. *Illic percussisque genis, ustoque capillo*
Ed. Bar. — — — — vastoque capillo

Ibid. v. 43.

T. Ald. *Sic ego sim, liceatque caput candescere canis*
Ed. Bar. — — — — — — albescere ramis

Ibid. v. 46.

T. Ald. *Duxit araturos sub iuga curva boves*
Ed. Bar. — — — — panda boves

Ibid. v. 55.

T. Ald. *Flet teneras subtusa genas*
Ed. Bar. Flet tenebris suffusa genas

Lib. II. Eleg. I. v. 58.

T. Ald. *Destituat querna*
Ed. Bar. Desuevit querna

Ibid. v. 41.

T. Ald. *Illi etiam tauros primum domuisse feruntur*
Ed. Bar. Illi etiam tauros primum docuisse feruntur

Ibid. v. 56.

T. Ald. *Primus inexperta duxit ab urbe choros*
Ed. Bar. Primus incxperta duxit ab arte choros

Ibid. v. 59.

T. Ald. *Rure puer verno primum*
Ed. Bar. Rure puer verno primus

Ibid. v. 65.

T. Ald. *Atque aliqua assidue textrix operata Minervam*
Ed. Bar. Atque alique assiduae textrix operata Minervae

Ibid. v. 88.

T. Ald. *Martis lascivo*
Ed. Bar. Matris lascivo

Ibid. Eleg. II. v. 6.

T. Ald. *Cui decorent sanctas florea serta comas*
Ed. Bar. Cui decorent sanctas mollia serta comas

Ibid. v. 7.

T. Ald. *Illius e puro distillent tempora nardo*
Ed. Bar. Illius puro — — — —

Ibid. v. 9.

T. Ald. *Annuat et Cherinthe tibi quodcunque rogabis*
Ed. Bar. Annuat et Cornute tibi — — — —

Ibid. v. 17.

T. Ald. *Vota cadunt, utinam strepitantibus advolet alis*
Ed. Bar. Vota cadunt utinam trepidantibus advolet alis

Ibid. Eleg. III. v. 1.

T. Ald. *Rura tenent Cornute meam, villaeque puellam*
Ed. Bar. Rura meam Cornute tenent villaeque puellam

Ibid. v. 5.

T. Ald. *O ego cum dominam aspirem, quam fortiter illic*
Ed. Bar. O ego cum aspicerem dominam quam fortiter illic

Ibid. v. 10.

T. Ald. *Laederet et teneras postula rupta manus*
Ed. Bar. Laederet et teneras pustula rupta manus

Ibid. v. 12.

T. Ald. *Nec cithara, intonsae profuerantve comae*
Ed. Bar. Nec cithara, intonsae profueruntve comae

Ibid. v. 16.

T. Ald. *Et potum pastas ducere fluminibus*
Ed. Bar. Et potum fessas ducere fluminibus

Ibid. v. 23.

T. Ald. *Ah quoties ausae caneret dum valle sub alta*
Ed. Bar. O quoties ausae caneret cum valle sub alta

Ibid. v. 35.

T. Ald. *Fabula nunc ille est, sed cui sua cura puella*
Ed. Bar. Fabula nunc ille est, sed cui sua cura puella est

Ibid. v. 46.

T. Ald. *Ut multo innumeram jungere pascat ovem*
Ed. Bar. Ut multam in nostro jugere pascat ovem

Ibid. v. 48.

T. Ald. *Portatur validis multa columna jugis*
Ed. Bar. Portatur validis mille columna jugis

Ibid. v. 79.

T. Ald. *Ah pereant artes, et mollia jura colendi*
Ed. Bar. Ah pereant artes‡ et mollia rura colendi

Ibid. v. 80.

T. Ald. *Horrida villosa corpora veste tegant*
Ed. Bar. Abditur in solis si qua puella locis*)

Ibid. v. 81. 82.

T. Ald. — — — — — —
— — — — — —
Ed. Bar. O utinam veteri peragrantes more puellae
Horrida villosa corpora veste tegant

Ibid. v. 86.

T. Ald. *Non ego me vinclis, verberibusque nego*
Ed. Bar. Non ego me vinclis, verberibusque negem

Ibid. Eleg. IV. v. 2.

T. Ald. *Iam mihi libertas illa paterna vale*
Ed. Bar. Iam mihi libertas illa paterna veni

Ibid. v. 4.

T. Ald. *Et nunquam misero vincla remittit amor*
Ed. Bar. Et nunquam misero vincla remittet amor

Ibid. v. 5.

T. Ald. *Et seu quid merui, seu quid peccavimus, uror*
Ed. Bar. Et seu quid merui seu quid peccavimus urit

Ibid. v. 17.

T. Ald. *Nec refero solisque vias, et qualis ut orbem*
Ed. Bar. Nec refero solisque vias et qualis ubi orbem

Ibid. v. 24.

T. Ald. *Sed Venus ante alios est violanda mihi*
Ed. Bar. Sed Venus ante alias est violanda mihi

Ibid. Eleg. V. v. 8.

T. Ald. *Depositam* — — —
Ed. Bar. Sepositam — — —

*) V. 80. Conf. Epist. VI. Editio Bartoliniana hoc loco prorsus convenire videtur cum Ed. min. a. 1472. H.

Ibid. v. 35.

T. Ald. *Illa saepe gregis ditis placitura magistro*
Ed. Bar. Illa saepe gregis ditis placitura magistris

Ibid. Eleg. VI. v. 2.

T. Ald. *Troica qui profugis sacra vehis ratibus*
Ed. Bar. Troia qui profugis sacra vehis ratibus

Ibid. v. 10.

T. Ald. *Iam tibi praedico barbere Turne necem*
Ed. Bar. — — — barbare turne necem

Ibid. v. 15.

T. Ald. *Concubitusque tuos furtim, victasque iacentes*
Ed. Bar. Concubitusque tuos furtim vittasque iacentes

Ibid. v. 25.

T. Ald. *Vera cano, sic usque sacras innoxia lauros*
Ed. Bar. Vera cano sic usque sacras innoxia laurus

Ibid. v. 31.

T. Ald. *Quasque albana sacras tyburs per flumina sortes*
Ed. Bar. Quasque albana sacras tiberis per flumina sortes

Ibid. v. 35.

T. Ald. *Atque tubas, atque arma ferunt strepitantia coelo*
Ed. Bar. Atque tubas atque arma ferunt crepitantia caelo

Ibid. v. 39.

T. Ald. *Et simulacra Deum lachrymas fudisse repentes*
Ed. Bar. Et simulacra deum lacrymas fudisse tepentes

Ibid. v. 44.

T. Ald. *Omine quo felix, et sacer annus eat*
Ed. Bar. Omine quo felix et sacer annus erit

Ibid. v. 45.

T. Ald. *At laurus bona signa dedit*
Ed. Bar. Laurus ubi bona signa dedit

Ibid. v. 47.

T. Ald. *Oblitus et musto feriat*
Ed. Bar. Oblitus et musto feriet

Ibid. v. 48.

T. Ald. *Dolia dum magni deficiuntque lacus*
Ed. Bar. Dolia dum magni deficiantque lacus

Ibid. v. 49.

T. Ald. *At madidus Baccho sua festa parilia pastor*
Ed. Bar. Ac madidus Baccho sua festa palilia pastor

Ibid. v. 52.

T. Ald. *Accendet, flammas transiletque sacras*
Ed. Bar. Accendet flammas transilietque sacras

Ibid. v. 58.

T. Ald. *Arboris antiquae qua levis umbra cadet*
Ed. Bar. Arboris antiquae qua levis umbra cadit

Ibid. v. 84.

T. Ald. *Sic tua perpetua sit tibi casta soror*
Ed. Bar. Sic tua perpetuo sit tibi casta soror

Ibid. Eleg. VII. v. 8.

T. Ald. *Ipse, levem galea qui sibi potet aquam*
Ed. Bar. Ipse levem galea qui sibi portet aquam

Ibid. v. 20.

T. Ald. *Spes fovet, et melius cras fore semper ait*
Ed. Bar. Spes fovet et semper cras fore ait melius

Ibid. v. 21.

T. Ald. *Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratris*
Ed. Bar. Spes alit agricolas spes sulcis credit aratis

Ibid. v. 47.

T. Ald. *Saepe ego cum dominae dulces a limine diro*
Ed. Bar. Saepe ego cum dominae dulces a limine duro

Ibid. v. 51.

T. Ald. *Tunc morior curis, tunc mens mea perdita fingit*
Ed. Bar. Tunc morior curis tunc mens mihi perdita — fingit*)

*) V. 51. *mens* mihi *perdita*. Sic etiam est in Ed. min. a. 1472. H.

Liber III. Eleg. I. v. 14.

T. Ald.	*Sic etiam comptum mittere oportet opus*
Ed. Bar.	Sic et ┼n┼ comptum mittere oportet opus

Ibid. v. 19.

T. Ald.	*Illa mihi refert, si nostri mutua cura est*
Ed. Bar.	Illa mihi referet — — —

Ibid. Eleg. II. v. 7.

T. Ald.	*Haec mihi verba loqui pudor est, vitaeque fateri*
Ed. Bar.	Nec mihi vera loqui pudor est vitaque fateri

Ibid. v. 8.

T. Ald.	*Tot mala perpessae tot superesse meae*
Ed. Bar.	— — — taedia nata meae

Ibid. v. 9.

T. Ald.	*Ergo ego cum tenuem* — — — —
Ed. Bar.	Ergo cum tenuem — — — —

Ibid. v. 12.

T. Ald.	*Et fleat ante meum moesta Neaera rogum*
Ed. Bar.	— — — — — casta Neaera rogum

Ibid. v. 13.

T. Ald.	*Sed veniet* — — — —
Ed. Bar.	Sed veniat — — — —

Ibid. v. 19.

T. Ald.	*Et primum annoso spargent collecta lyaeo*
Ed. Bar.	— — — — perfusa lyeo

Ibid. v. 25.

T. Ald. *Et nostri memores lachrymae fundantur eodem*
Ed. Bar. — — — — — — — fundentur eodem

Ibid. v. 27.

T. Ald. *Sed tristem mortis demonstret littera causam*
Ed. Bar. Sed tristem mortis designet littera causam

Ibid. Eleg III. v. 7.

T. Ald. *Sed tecum ut longae sociarent gaudia vitae*
Ed. Bar. — — — — — sociarem gaudia vitae

Ibid. v. 9.

T. Ald. *Tunc cum praemensae defunctus tempora lucis*
Ed. Bar. Tunc cum permensae defunctus tempore lucis

Ibid. v. 21.

T. Ald. *Non opibus mentes homini* — — — — *)
Ed. Bar. Non opibus mentes hominum — — —

Ibid. v. 27.

T. Ald. *At si pro dulci reditu quaecunque foventur*
Ed. Bar. — — — — — quaecunque voventur

Ibid. Eleg. IV. v. 9.

T. Ald. *Et vanum metuens hominum genus omnia noctis*
Ed. Bar. Et natum in curas hominum genus omina noctis

Ibid. v. 17.

T. Ald. *Iam nox aethereum nigris emersa quadrigis*
Ed. Bar. Iam nox aethereum nigris emensa quadrigis

Ibid. v. 18.

T. Ald. *Mundum caeruleo laverat amne rotas*
Ed. Bar. Nundum — — — — —

*) V. 21. Hic me non satis attendentem haud dubie in errorem coniecit Gregorius, qui versui huic adposuit lectionem *homini curaeque*, tamquam variantem Ed. min. a. 1472. Atqui haec est lectio Aldinae, quam adponere non erat opus. Ergo ipse per errorem scripsit *homini* pro *hominum*. H.

Ibid. v. 22.

T. Ald. *Pressit languentis lumina sera quies*
Ed. Bar. — — — — — — fessa quies

Ibid. v. 55.

T. Ald. *Ut cum contexunt amaranthis alba puellae*
Ed. Bar. Et cum contexunt amaracis alba puellae

Ibid. v. 59.

T. Ald. *Diversasque suas agitat mens anxia curas*
Ed. Bar. — — — — impia curas

Ibid. v. 63.

T. Ald. *Sed flecti poterit, mens est mutabilis illi*
Ed. Bar. — — — — — illis

Ibid. v. 78.

T. Ald. *Haec illi nostro nomina dicta refer*
Ed. Bar. Haec illi nostro nomine — —

Ibid. v. 81.

T. Ald. *Dixit et ignavus defluxit pectore somnus*
Ed. Bar. — — — — corpore somnus

Ibid. v. 82.

T. Ald. *Ah ego non possum tanta videre mala*
Ed. Bar. Ah ego ne possim — — —

Ibid. v. 89.

T. Ald. *Scyllaque virgineam canibus submixta figuram*
Ed. Bar. — — — — succincta figuram

Ibid. v. 92.

T. Ald. *Sed culta, et diris* — — —
Ed. Bar. Sed culta et duris — — —

Ibid. v. 93.

T. Ald. *Et longe ante alios omnes* — —
Ed. Bar. Et longe a te alias omnes — —

Ibid. Eleg. V. v. 13.

T. Ald. *Nec nos insanae meditantis iurgia linguae*
Ed. Bar. Nec nos insanae meditantes — — —

Ibid. v. 27.

T. Ald. *Atque utinam vano nequicquam terrear aestu*
Ed. Bar. — — — — — torr ar aestu

Ibid. v. 28.

T. Ald. *Languent ter quinos sed mea membra dies*
Ed. Bar. Languent ter quinos iam — — —

Ibid. v. 29.

T. Ald. *Atque mihi thuscae celebrantur* — — —
Ed. Bar. Et nobis tuscae celebrentur — — —

Ibid. Eleg. VI. v. 11.

T. Ald. *Aut si quis vini certamen mite recuset*
Ed. Bar. — — — — — recusat

Ibid. v. 19.

T. Ald. *Convenit ex aequo, nec torvus liber in illos*
Ed. Bar. — — — — — in illis

Ibid. v. 21.

T. Ald. *Iam venit iratus nimium, nimiumque severus*
Ed. Bar. Non venit iratus nimium — — — —

Ibid. v. 24.

T. Ald. *Quales his poenas Deus hic, quantasque minetur*
Ed. Bar. — — — — quantusque minetur

Ibid. Eleg. VII. v. 57. (25.)

T. Ald. *Naida Bacchus amat, cessas o laetae minister*
Ed. Bar. Naiada Bacchus amat cessas o lente minister

Ibid. v. 58. (26.)

T. Ald. *Temperet annosum martia lympha merum*
Ed. Bar. Temperat — — — —

Ibid. v. 66. (34.)

T. Ald. *Vt video paucos ante fuisse dies*
Ed. Bar. Vt videor — — —

Liber IV. Carmen I. v. 9.

T. Ald. *Cres tulit, et cunctis Baccho jucundior hospes*
Ed. Bar. Detulit — — — — —

Ibid. v. 11.

T. Ald. *Erigoneque canisque neget ne longior aetas*
Ed. Bar. — — neget iam longior aetas

Ibid. v. 20.

T. Ald. *Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem*
Ed. Bar. — — — — defluxerit orbem

Ibid. v. 22.

T. Ald. *Huic et contextus* — — —
Ed. Bar. Hinc et contextus — — —

Ibid. v. 27.

T. Ald. *Hoc tibi, nec tanto careat mihi nomine carta*
Ed. Bar. Hoc tibi ne — — —

Ibid. v. 30.

T. Ald. *Nec quaeris quid qua iudex sub imagine dicat*
Ed. Bar. Nec quaeris quidnam iudex — — —

Ibid. v. 33.

T. Ald. *At tua non titulis capiet sub nomine facta*
Ed. Bar. At tua non titulus — — —

Ibid. v. 36.

T. Ald. *Undique, quique canent vincto pede, quique soluto*
Ed. Bar. Undique quique canent iuncto — — —

Ibid. v. 40.

T. Ald. *Nec tamen hinc tibi laus* — — —
Ed. Bar. Nec tamen hic aut hic tibi laus — — —

Ibid. v. 64.

T. Ald. *Cimerion etiam obscuras accessit ad oras*
Ed. Bar. — — — — — ad arces

Ibid. v. 67.

T. Ald. *Vidit ut inferno* — — —
Ed. Bar. Vidit et inferno — — —

Ibid. vv. 70—72.

T. Ald. *Illum tergeminae nantem confinia mortis.*
Nec scyllae saevo conterruit impetus orbe,
Cum canibus rapidas inter freta serperet undas

Ed. Bar. Illum tergemine nantem confinia mortis
Nec Scylle saevo conterruit impetus orbe
Cum canibus rapidas inter freta curreret undas

Ibid. v. 82.

T. Ald. *Nam te non alius belli tenet aptius arces*
Ed. Bar. — — — — — artes

Ibid. v. 86.

T. Ald. *Fontibus ut dulces erumpat terra liquores*
Ed. Bar. Fontibus ut dulces educat *) — — —

Ibid. v. 95.

T. Ald. *Parma seu quos dextra velit, seu leva tueri*
Ed. Bar. Quis parma seu dextra velit — — — **)

*) V. 86. Lectionem *educat* ex editis praeter Bartol. nullus, e scriptis habent Marcelli liber apud Statium et Goth. apud Vossium. H.

**) V. 95. Ex omnibus Saeculi XV. quas noverim, Edd. una Bartoliniana hanc hodieque comprobatam habet lectionem. Nam Venett. 1472 et 1475. cum Reg. Lep. exhibent *Peruia seu quis;* Ed. min. 1472. *Peruia seu quos* (non *quis*). Venett. 1487 et

Ibid. v. 98.

T. Ald. *Iam simul audacis veniunt certamina martis*
Ed. *Bar.* Iam simul audacis venient — — —

Ibid. v. 99.

T. Ald. *Adversisque parant* — — — —
Ed. Bar. Adversisque parent — — — —

Ibid. v. 101.

T. Ald. *Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen*
Ed. Bar. — — — consistere in agmen*)

Ibid. v. 110.

T. Ald. *Testis arupinus, et pauper natus in armis*
Ed. Bar. Testis et arpinis et pauper natus in arvis

Ibid. v. 113.

In Editione Aldina deest sequens versus:

Ed. Bar. Namque senex longae peragit dum saecula vitae
Centum foecundos Titan etc.

Ibid. v. 134.

T. Ald. *Cunctaque veraci capite annuit additus aris*
Ed. Bar. — — — — abditus aris

Ibid. v. 135.

T. Ald. *Laetior eluxit* — — —
Ed. Bar. Purior eluxit — — —

1491. ***Parma seu quis.*** At Venet. 1493. ***Parua s. quis.*** Cum Bartolin. fere consentit Rom. quae habere fertur, *Quis* parmam *seu.* Longius aberrant Aldd. Muret. Stat. Plantt. Gryph. et Gebhard. Plaue consentit Scaliger. Verum Broukhusius, ut in libello Variantium multa turbavit, ita in contextu omnia corrupit, probata hac Heinsii scriptura:

Quid, *parma seu dextra velis, seu laeva tueri,*
(*Sive hac, sive illac veniat gravis impetus hastae*)
An prior, *aut signata cita loca tangere funda?*

Aldin. 1515. et, quae ab hac pendent, Edd. v. 97. habent *Amplius* pro *Amplior.* H.

*) V. 10. Ergo re vera legitur in praestantissima Ed. Bartol. quod ego coniectura assecutus eram, scribi etiam potuisse, *consistere in agmen.* H.

Ibid. v. 140.

T. Ald. *Nec fera rhetaeo tellus obsessa colono*
Ed. Bar. Nec fera te tyrio*) — — —

Ibid. v. 142.

T. Ald. *Profluit, aut rapidus Cyri dementia Gindes*
Ed. Bar. Profluit‡ aut rapidus cirri dementia Cydnus

Ibid. v. 144.

T. Ald. *Nec qua regna vago Tomiris finivit Araxe*
Ed. Bar. Nec qua regna vago thamiris — — —

Ibid. v. 157.

T. Ald. *Quippe ibi nonunquam titan super ingerit ortus*
Ed. Bar. Quippe ubi non unquam titan superegerit ortus

Ibid. v. 160.

T. Ald. *Seu celer hybernas properat* — —
Ed. Bar. Seu celer hibernas properet — —

Ibid. v. 164.

T. Ald. *Nulla nec exustas habitant animalia partes*;
Ed. Bar. Ulla nec exustas — — — —

Ibid. v. 165.

T. Ald. *Fertilis hanc interposita est, interque rigentes*
Ed. Bar. Fertilis hanc inter posita est interque rigentem

Ibid. v. 169.

T. Ald. *Hinc placidus nobis per tempora labitur annus*
Ed. Bar. — — — — vertitur annus

Ibid. v. 170.

T. Ald. *Hic et colla jugo didicit summittere taurus*
Ed. Bar. Hinc et colla jugo didicit submittere taurus

Ibid. v. 173.

T. Ald. *Et ferro tellus, pontus confinditur aere*
Ed. Bar. — — — contunditur aere

*) V. 140. Lectionem *te tyrio* Scaliger suopte ingenio formavit e depravata scriptura *te tereo*. H.

Ibid. v. 189.

T. Ald. *Cum memor accitos semper dolor admonet annos*
Ed. Bar. Quum memor accitos semper dolor admovet annos

Ibid. v. 195.

T. Ald. *Pro te vel solus densis obsistere turmis*
Ed. Bar. Pro te vel densis solus subsistere turmis

Ibid. v. 197.

T. Ald. *Dum quodcunque tuum est, nostri sit parvula cura*
Ed. Bar. Sum quodcunque tuum nostri est si parvula cura

Ibid. vv. 202. 203.

T. Ald. *Quod tibi si versus noster notus' ve minus' ve*
Vel bene si notus, summo vel moeret in ore

Ed. Bar. Qui tibi si versus noster totusve minusve
Vel bene sit notus, summo vel meret in ore

Ibid. v. 205.

T. Ald. *Quin etiam mea tunc tumulus cum texerit ossa*
Ed. Bar. — — — — seu texerit ossa

Ibid. v. 207.

T. Ald. *Longa manet seu vita, tamen mutata figuram*
Ed. Bar. — — — — mutata figura

Carmen II. v. 7.

T. Ald. *Illam quicquid agit, quoquo vestigia movit*
Ed. Bar. — — — — vestigia flectit

Ibid. v. 19.

T. Ald. *Et quascunque niger rubro de littore conchas*
Ed. Bar. — — — — — gemmas

Ibid. v. 23.

T. Ald. *Hoc solenne sacrum multos celebretur in annos*
Ed. Bar. — — — multos hoc sumet in annos

Carmen III. v. 3.

T. Ald. *Nec tibi sit duros acuisse in pectora dentes*
Ed. Bar. — — — — in pectore dentes

Ibid. v. 5.

T. Ald. *Sed procul abducit venandi Delia cura*
Ed. Bar. — — — — — curam

Ibid. v. 8.

T. Ald. *Claudentem, teneras* — — —
Ed. Bar. Claudendo*) teneras — — —

Carmen IV. v. 4.

T. Ald. *Formosae medicas applicuisse manus*
Ed. Bar. — — apposuisse manus**)

Ibid. v. 20.

T. Ald. *Cogitat, et frustra credula turba sedet*
Ed. Bar. — — — sedula turba sedet

Carmen V. v. 7.

T. Ald. *Mutuus adsit amor, tua per dulcissima furta*
Ed. Bar. — — — te per dulcissima furta

*) V. 8. Lectionem *Claudendo* in contextu habet Goth. in margine Askew. Editio praeter Bartolin. nulla habet, nisi forte Ed. min. a. 1472. H.

**) V. 4. Nota unicam nec aliunde cognitam lectionem *apposuisse* manus. H.

Ibid. v. 13.

T. Ald. *Nec sis nunc iniusta Venus* — —
Ed. Bar. Nec tu sis iniusta venus — —

Carmen VI. v. 19.

T. Ald. *Sit iuveni grata, adveniet cum proximus annus*
Ed. Bar. Si iuveni grata est veniet cum proximus annus

Carmen VII. v. 8.

T. Ald. *Ne legat id nemo* — — —
Ed. Bar. Me legat id nemo — — —

Carmen VIII. v. 4.

T. Ald. }
Ed. Bar. } Atque aretino frigidus amnis agro

Carmen IX. v. 2.

T. Ald. *Natali Romae non sinit esse suo*
Ed. Bar. Natali romae non sinet esse tuo

Carmen X. v. 2.

T. Ald. *Permittis* — — — —
Ed. Bar. Permittas — — — —

Ibid. v. 6.

T. Ald. *Nec credam ignoto maxima cura toro*
Ed. Bar. Ne credam ignoto maxima causa thoro

Carmen XI. v. 5.

T. Ald. *Nam mihi quid prosit* — — —
Ed. Bar. Ah mihi quid prosit — — —

Ibid. v. 7.

T. Ald. *Ne tibi sit mea lux* — — —
Ed. Bar. Nec tibi sim mea lux — — —

Ibid. v. 8.

T. Ald. *Ut videor paucos* — — —
Ed. Bar. Ac videor paucos — — —

Carmen XII. v. 1.

T. Ald. *Nulla tuum titulis subducet foemina lectum*
Ed. Bar. Nulla tuum nobis — — —

Ibid. v. 3.

T. Ald. *Tu mihi sola places* — — —
Ed. Bar. Tu modo sola places — — —

Epithaphion Tibulli abest ab Editione Bartoliniana.

ADDENDA.

Lib. I. Eleg. VI, 75.

Nec saevo sis casta metu] Dictum Xenocratis, de quo agitur in annotatione ad hunc locum et in Analectis, Aristoteli tribuit Diogenes Laert. V. 20. *ἐρωτηθεὶς τί ποτ' αὐτῷ περιγέγονεν ἐκ φιλοσοφίας; ἔφη, Τὸ ἀνεπιτάκτως ποιεῖν, ἅ τινες διὰ τὸν ἀπὸ τῶν νόμων φόβον ποιοῦσιν.*

Lib. II. Eleg. IV. 54.

Ite sub imperium, *sub titulumque, Lares]* Hunc locum in libello academico a. 1813. docte explanavit Wagnerus, Prof. Marburg. dignus, qui audiatur. „Verba illa: *ite sub imperium sub titulumque,* tam arcte cohaerent, ut unam eandemque rem, venditionem scilicet, quae ad hastam fiebat, respicere, ac nullo modo divelli disiungique posse videantur. Sensus profecto illorum verborum quis sit, nos, nisi omnia nos fallunt, edocet Iuvenalis, in cuius Satir. III. 30. sqq. haec leguntur:

— maneant, qui nigrum in candida vertunt,
Queis facile est aedem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et praebere caput *domina* venale *sub hasta.*

Hastae igitur, quae, cum publica auctione aliquid vendebatur, figi solebat, Iuvenalis, *dominam* eam appellando, potestatem quasi et imperium tribuit, cui omnia in venditione essent subiecta. Ad *ite sub imperium* igitur supplendum est *hastae; ite sub imperium hastae* vero, sive *ite sub hastam dominam*, nihil aliud est nisi, *vendimini publice;* et nunc quidem haec verba cum sequentibus arcte cohaerent et omnia optime procedunt.“

CORRIGENDA.

1. In praef. p. X. lin. 10. *leg.* prodidisset. p. XIII. lin. 4. *pro* haec *leg.* hoc.

2. In contextu I. 3. 76. *leg.* Assiduas. IV. 1. 51 et 112. *leg.* saecula. Ibid. v. 113. fecundos. Ibid. v. 151. aëre. Ibid. v. 168. aër. Ibid. v. 209. pennis *pro* penna.

3. In diversitate lectionis, textum inter et commentarium posita, quae pertinet ad Edit. Vossianam Heidelb. a. 1811. P. 65. *adde:* v. 74. et *pro* in. Pag. 93. *leg.* multa. P. 128. *adde:* V. 56. velit. P. 349. *leg.* V. 29. Hic — caussas; hinc. P. 546. *adde:* V. 27. pondere.

4. In commentario P. 44. col. 1. lin. 13. *post* editis *adde*, a. 1801. P. 127. col. 2. lin. 27. *dele verba:* Caeterum et. P. 168. col. 2. lin. 26. *corrig.* II. Serm. 4. 65. P. 193. col. 2. lin. 1. *intonsos.* P. 232. col. 1. lin. 23. *corrig.* ad II. 3. 17 et 75. P. 269. col. 1. lin. 17. *corrig.* II. 5. 101. Ibid. col. 2. lin. 32. *post* fecit *add.* Vossius. P. 286. col. 1. lin. 3. praeludens. P. 301. col. 2. lin. 10. *leg.* Ed. mai. a. 1472. P. 376. col. 2. lin. 1. *corrig.* margine. P. 383. col. 2. lin. 1. olei. P. 469. col. 2. lin. 8. Apollinis. P. 470. col. 2. lin. 17. *Stillabat.* Ibid. lin. 19. *Spirabat.* P. 542. col. 2. lin. 8. *leg.* sale *pro* mica. P. 563. col. 2. lin. 31. Tibulli. P. 617. col. 1. lin. 17. poetae *pro* poeta.

5. In Analectis P. 684. lin. 8. *leg.* eam *pro* eum. P. 697. lin. 20. *corrig.* 77 *pro* 72. P. 738. lin. 20. Elia *pro* Elio.

6. In Epistolis P. 858. lin. 10. *leg.* Ac *pro* At. P. 844. lin. 14. *leg.* vale *pro* valde.

Sophoclis Tragoediae septem ac deperditarum fragmenta. Emendavit, varietatem lectionis, Scholia notasque tum aliorum tum suas adjecit C. G. A. Erfurdt. Accedit Lexicon Sophocleum et Index verborum locupletissimus. Vol. I — VI. 8 mai. 1802 — 1811.
Charta impress. 14 thlr. 16 gr.
Charta script. 17 thlr. 20 gr.

— Tragoediae. Ad optimorum librorum fidem iterum recensuit et brevibus notis instruxit C. G. A. Erfurdt. Vol. I — IV. 8. 1808 — 1819. 2 thlr. 20 gr.

Anonymi Oeconomica, quae vulgo Aristotelis falso ferebantur. E libris scriptis et versione antiqua emend. et enarravit I. G. Schneider, Saxo. 8. 1815. 12 gr.

Plauti, M. Acci, Trinummus, recensuit et praefatus est God. Hermannus. 8 mai. 1800. 12 gr.

Plutarchi Agesilaus et Xenophontis Encomium Agesilai. In scholarum usum edidit, notis et indice instruxit D. C. G. Baumgarten-Crusius. 8 mai. 1812. 16 gr.

Persius, Aulus Flaccus. Uebersetzt und mit Anmerk. begl. v. Franz Passow. 1r Bd. gr. 8. 1809. 2 thlr.
— Textum recensuit F. Passow. 8 mai. 1809. 6 gr.

Musäos. Urschrift, Uebersetzung, Einleitung und kritische Anmerkungen von Fr. Passow. 8. 1810. 1 thlr.

Johannes Secundus Küsse. Aus dem Lat. übers. mit beigedrucktem Original von Fr. Passow. gr. 8. 1807. 10 gr.

Seidler, Aug., de Versibus dochmiacis Tragicorum graecorum. 2 Vol. 8 mai. 1811 et 1812. 2 thlr. 8 gr.

Ruhnkenii, David, Lud. Casp. Valckenaerii et aliorum ad Ioh. Aug. Ernesti Epistolae. Accedunt D. Ruhnkenii Observationes in Callimachum, L. C. Valckenaerii Adnotationes in Thomae Mag. Eclogas et Ioh. Aug. Ernesti Acroasis inedita. Ex Autographis edidit Ioh. Aug. Henr. Tittmann. 8 mai. 1812. 1 thlr. 8 gr.

Plüschke, M. J. C., das lateinische Verbum nach einer noch wenig bekannten, vollständigen, ganz naturgemässen und sehr fasslichen Ordnung der Temporum ausgearbeitet und in 14 Tabellen für den Elementarunterricht in der latein. Sprache systematisch dargestellt. Fol. 1814. 16 gr.

Ciceronis, M. Tullii, Opera omnia, deperditorumque librorum fragmenta. Textum accurate recognovit, potiorem lectionis diversitatem adnotavit, indices rerum et verborum copiosissimos adjecit Chr. Godofr. Schütz. Vol. I — XIX. P. I. 8. 1814 — 1819. 19 thlr. 8 gr.
— Oratio Philippica secunda, übersetzt und mit einem nach Handschriften berichtigten Texte von M. G. G. Wernsdorf. gr. 8. 1815. 20 gr.

Valckenaerii, Lud. Casp., Opuscula philologica, critica, oratoria, nunc primum conjunctim edita. Accedunt indices. T. I et II. 8 mai. 1808 et 1809.
Charta impress. 3 thlr. 8 gr.
Charta script. 4 thlr.

Aeschylos Agamemnon metrisch übersezt von Wilh. von Humboldt. 4. 1816. 1 thlr.

Suetonii, C. Tranq., Opera, textu ad praestantissimas editiones recognito, continuo commentario illustravit, clavem Suetonianam

adjecit Detlev. Carol. Guil. Baumgarten-Crusius. Vol. I — III. 8 mai. 1816 — 1818.

Charta impress. 9 thlr. 12 gr.

Charta script. 11 thlr.

Propertii, Sex. Aurelii, Carmina emendavit ad codicum fidem et annotavit Carolus Lachmannus. 8 mai. 1816. 2 thlr. 8 gr.

Nicandri Colophonii Theriaca, id est de bestiarum venenis eorumque remediis carmen, cum Scholiis graecis auctioribus, Eutecnii metaphrasi graeca, editoris latina et carminum perditorum fragmentis, ad librorum scriptorum fidem recensuit, emendavit et brevi annotatione illustravit J. G. Schneider, Saxo. 8 mai. 1816.

Charta impress. 3 thlr.

Charta script. 3 thl. 16 gr.

Tibulli, Albii, Elegia decima libri primi. Annotationem adjecit G. Klindworth. 4. 1818. 12 gr.

Juvenalis, Dec. Jun., Satyren im Versmaasse des Originals und mit erklärenden Anmerkungen von Otto von Haugwitz. 8. 1818. 2 thlr.

Gnomici poetae graeci. Ad optimorum exemplarium fidem emendavit R. F. P. Brunck. Editio nova correcta notisque et indicibus aucta. 8. 1817. 1 thlr. 16 gr.

Hermanni, God., Elementa doctrinae metricae. 8 mai. 1816. 3 thlr. 12 gr.

— Epitome doctrinae metricae. In usum scholarum. 8 mai. 1818. 1 thlr. 16 gr.

Ciceronis, M. T., Cato major seu de senectute, et Paradoxa, recensuit et scholiis Jac. Facciolati suisque animadversionibus instruxit A. G. Gernhard. 8 maj. 1818.

Charta impress. 1 thlr. 16 gr.

Charta script. 2 thlr.

Arcadius de accentibus. Nunc primum edidit Edm. Henr. Barker. Accedit Appendix. 8 maj. 1819.

Hermann, Gottfr., über das Wesen und die Behandlung der Mythologie, ein Brief an Hrn. Hofrath Creuzer. 8. 1819. 20 gr.

Lucani, M. Annaei, Pharsalia cum notis Hug. Grotii et Rich. Bentleii, accesserunt variae lectt. aliquot codd. nunc primum collatorum et Ezrae de Clercq van Jever selectarum obss. in Lucanum specimina. Ex recens. Weberi. 2 Voll. 8 maj. 1819.

Thiersch, Fr., griechische Grammatik vorzüglich des homerischen Dialekts. 2te viel vermehrte und gänzlich umgearbeitete Aufl. gr. 8. 1818. 1 thlr. 12 gr.

Thiersch, Fr., griechische Grammatik zum Gebrauch für Anfänger. Zweite vermehrte und verbesserte Ausgabe. gr. 8. 1819. 18 gr.

Tryphiodori Excidium Ilii, cum Jac. Merrickii et Godofr. Henr. Schaeferi annotationibus integris, aliorum selectis, suisque maximam partem crit. et grammaticis edidit Fr. Aug. Wernicke. 8 maj. 1819.